

**Pierre GILLES**

*Itinéraires byzantins*

Texte latin établi par

Jean-Pierre GRÉLOIS

*Abréviations*

1561 :              Pierre GILLES, *De Bosporo Thracio libri III ; De Topographia Constantinopoleos et de illius antiquitatibus libri quatuor* G. Rouillé, Lyon 1561

GGM II :              *Geographi Graeci minores* II, éd. C. Müller, Paris 1861.

*Sommaire****AD AMICVM EPISTOLA******DE BOSPORO THRACIO***

[DÉDICACE]

[PRÉFACE]

**LIBER PRIMVS**

CAPVT I	<i>De origine Bospori et de eius multis nominibus</i>
CAPVT II	<i>De Bospori principio et fine, et de eius longitudine</i>
CAPVT III	<i>De latitudine Bospori</i>
CAPVT IV	<i>De figura Bospori et de eius decursu certo quidem, sed multiplico</i>
CAPVT V	<i>De Bospori sinu Cornu nuncupato</i>

**LIBER SECUNDVS**

CAPVT I	<i>De Bospori ora Europaea eiusque locis intra Constantinopolim sitis</i>
CAPVT II	<i>De ora sinus Ceratini cingente Vrbis latus uergens ad septentriones et de eius antiquis locis</i>
CAPVT III	<i>De flumine Cydari et Barbysa, ex Anaplo Dionysii</i>
CAPVT IV	<i>De locis appellatis Mandris et Dryi, et de luco Apollinis, et ponte Philippi, et de Cubis Canopi</i>
CAPVT V	<i>De Regio nauali et de locis antiquis quae olim fuerunt ubi est nunc nauale</i>
CAPVT VI	<i>De isthmo Ceratini recessus, de sepulcro Hipposthenis, de Sycis et delubro Amphiarai</i>
CAPVT VII	<i>De ædibus Dianæ Luciferæ et Veneris Placidæ, et de loco Ostreode, et Metopo, et de ara Apollinis</i>
CAPVT VIII	<i>De Æantio, et Palinormico, et templo Ptolemæi, de Iasonio, et luco Apollinis, et de altis antiquis locis</i>
CAPVT IX	<i>De Rhodiorum portu et de Archio loco</i>
CAPVT X	<i>De Sene Marino, et Parabolo, et de Calamo et Bythia</i>
CAPVT XI	<i>De uico Michaelio et de promunturio appellato Hestiis</i>
CAPVT XII	<i>De locis nominatis Chelis</i>
CAPVT XIII	<i>De promunturio Hermæo et rapido cursu Bospori, de Pyrrhia Cyone, de Bospori summis angustiis, de ponte Darii</i>
CAPVT XIV	<i>Περὶ τοῦ κλύδωνος Ἱόνου, de petra Phidalia, et portu Mulierum, et de loco Cyparode</i>
CAPVT XV	<i>De sinu Leosthenio</i>
CAPVT XVI	<i>De Comarode, et Bacchiis petris, et Thermemeria, et de portu Pitheci, et sinu appellato Pharmacia</i>
CAPVT XVII	<i>De saxis et cautibus litoris excelsi præruptis præcipitisque, et de Clauibus Ponti, de petra nominata Dicæa</i>
CAPVT XVIII	<i>De sinu nuncupato Profundo, de fluvio eiusdem nominis et Saronis ara, de agro nominato Calo</i>

CAPVT XIX	<i>De promunturio Simæo, et sinu Scletrina, et de aris Apollinis et Matris deorum</i>
CAPVT XX	<i>De Milto promunturio et fano Byzantiorum, de Sarapio et templo Phrygiæ deæ</i>
CAPVT XXI	<i>De Chrysorrhœa fluui, de secturis metallorum, de pharo antiquo</i>
CAPVT XXII	<i>De portu Ephesiorum, et de Aphrodisio, de portu Lyciorum et de Myrleanorum domicilio</i>
CAPVT XXIII	<i>De Gypopoli, et de aulis Phinei et Amyci Bebrycis</i>
CAPVT XXIV	<i>De petra Dotina</i>
CAPVT XXV	<i>De Panio promunturio Phari et de Cyaneis petris</i>
LIBER TERTIVS	
CAPVT I	<i>De scopulo nuncupato Colone et de Rheba flumine</i>
CAPVT II	<i>De promunturio Ancyrae et de ancora Iasonis</i>
CAPVT III	<i>De Pyrgo Medeæ et de insulis Cyaneis Asiae</i>
CAPVT IV	<i>De promunturio Coracio, et de Pantichio, et de scalis nuncupatis Chelis</i>
CAPVT V	<i>De fano Louis et Neptuni, et de aris Duodecim Deorum</i>
CAPVT VI	<i>De Argyronio loco, et Nymphae, et lecto Herculis, et de Moucaporide portu, et Lauro Insana et de portu Amyci</i>
CAPVT VII	<i>De sinu Catangio, de promunturio quod Dionysius appellat ὄξυρον, et portu Phixi, de promunturio Lembo nuncupato et de insula exigua</i>
CAPVT VIII	<i>De Nausimachio, et Ciconio, et de promunturiis nuncupatis Ποιζούσοις et de duobus Discis</i>
CAPVT IX	<i>De Chrysopoli et loco appellato Boue, siue Damali</i>
CAPVT X	<i>De fonte nominato Heragora, et templo Veneris, et de æde synodi Chalcedonensis, de Chalcedone</i>
CAPVT XI	<i>De portu Eutropii, et Heræo promunturio, et de antiquis regiis ædibus appellatis Heræis</i>
CAPVT XII	<i>De insulis suburbanis Byzantii et Chalcedonis, et primum de insula Prota, et de Oxia et Platy</i>
CAPVT XIII	<i>De insula Antigono et de insula Pityode</i>
CAPVT XIV	<i>De Chalcidite insula</i>
CAPVT XV	<i>De insula Principis</i>

## ***DE TOPOGRAPHIA CONSTANTINOPOLEOS ET DE ILLIVS ANTIQVITATIBVS***

[ÉPITAPHE DE P. GILLES]

### **PRÆFATIO**

#### **LIBER PRIMVS**

CAPVT I	<i>De Byzantii conditoribus et de eius uaria fortuna</i>
CAPVT II	<i>De magnitudine Byzantii</i>
CAPVT III	<i>De Constantinopolis instauratione eiusque magnitudine</i>
CAPVT IV	<i>De forma, ambitu, latitudine et longitudine qua nunc est Constantinopolis</i>
CAPVT V	<i>Constantinopolis generalis descriptio</i>

CAPVT VI	<i>Singularum partium situs</i>
CAPVT VII	<i>De primo colle, et Regis palatio, æde Sophiæ et de Hippodromo</i>
CAPVT VIII	<i>De prima ualle</i>
CAPVT IX	<i>De secundo colle</i>
CAPVT X	<i>De secunda ualle diuidente secundum collem a tertio</i>
CAPVT XI	<i>De tertio colle</i>
CAPVT XII	<i>De ualle tertia</i>
CAPVT XIII	<i>De quarto colle</i>
CAPVT XIV	<i>De quinto colle</i>
CAPVT XV	<i>De quinta ualle</i>
CAPVT XVI	<i>De sexto colle</i>
CAPVT XVII	<i>De ualle quæ diuidit sexicolle Promunturium a septimo colle</i>
CAPVT XVIII	<i>De septimo colle</i>
CAPVT XIX	<i>De muris Vrbis</i>
CAPVT XX	<i>De Constantinopolis portis et septem turribus antiqui Byzantii</i>
CAPVT XXI	<i>De muris longis</i>

## LIBER SECUNDVS

CAPVT I	<i>De ædificiis et monumentis antiqui Byzantii et Nouæ Romæ</i>
<i>Constantinopolitanae</i>	
CAPVT II	<i>De monumentis primi collis et de prima regione Vrbis</i>
CAPVT III	<i>De templo Sophiæ</i>
CAPVT IV	<i>Descriptio templi Sophiæ quale hodie uisitur</i>
CAPVT V	<i>De statuis inuentis in latere ædis Sophianæ</i>
CAPVT VI	<i>De Pharo promunturii et Manganis</i>
CAPVT VII	<i>De thermis Zeuxippi et de eius statuis</i>
CAPVT VIII	<i>De xenodochiis Sampsonis et Eubuli</i>
CAPVT IX	<i>De statua Eudoxiæ Augustæ, ob quam Chrysostomus electus in exilium</i>
CAPVT X	<i>Quam Vrbis partem complexa fuerit tertia regio</i>
CAPVT XI	<i>De Hippodromo et de eius Obelisco</i>
CAPVT XII	<i>De Colosso structili</i>
CAPVT XIII	<i>De columnis et statuis Hippodromi</i>
CAPVT XIV	<i>De templo Bacchi, et de aula Hormisdæ et de Iustiniani domo</i>
CAPVT XV	<i>De portu Iuliani et Sophiæ, et de regiis Sophiis, et de porticu nominata Sigma</i>
CAPVT XVI	<i>De quarta regione</i>
CAPVT XVII	<i>De foro Augustæo, et columna Theodosii et Iustiniani, et de Senatu</i>
CAPVT XVIII	<i>De regia et Basilica, et palatio Constantini, et de domo nuncupata Chalca</i>
CAPVT XIX	<i>De Basilica et regia ambulatione</i>
CAPVT XX	<i>De Bibliotheca Basilicæ, et de regia porticu, et de Basilica Cisterna</i>
CAPVT XXI	<i>De Chalcopratis</i>
CAPVT XXII	<i>De porticibus sitis inter Palatium et forum Constantini</i>
CAPVT XXIII	<i>De millario Aureo et eius statuis, de Fortuna Vrbis eiusque statua</i>
CAPVT XXIV	<i>De templo Neptuni et de æde Minæ, et de stadiis, et scala Timasii</i>

CAPVT XXV *De Lauso nuncupato, et de eius statuis Veneris Cnidiæ, Iunonis Samiæ, Mineruæ Lindiæ, Cupidinis alati, Iouis Olympii, Saturni, monocerotum, tigridum, uulturum, camelopardalium, et de xenodochii cisterna nuncupata Philoxeno, de Chrysotriclinio*

### LIBER TERTIVS

- CAPVT I *De locis regionis quintæ et secundi collis, de Nauali et portu nuncupato Bosporio, et de Strategio et foro Theodosiaco*  
 CAPVT II *De regione sexta et de reliquis ædificiis antiquis secundi collis*  
 CAPVT III *De columna purpurea, et foro Constantini, et Palladio*  
 CAPVT IV *De Senatu et Nymphæo, de statuis fori Constantini, de labaro et supparis, de Philadelphio Musæo, de morte Arii, et de templis Telluris, Cereris, Persephonæ, Iunonis, Plutonis*  
 CAPVT V *De septima regione, de domo appellata Lampterum*  
 CAPVT VI *De Tauro et foro Theodosii, et columna cochlide Theodosii, et de Tetrapylo, et Pyramide uentorum, de statuis Arcadii et Honorii, de templis Irenæ et Anastasiæ, et de Scironiis petris*  
 CAPVT VII *De octaua regione et de postera parte tertii collis*  
 CAPVT VIII *De nona regione, et de templo Concordiæ, et de horreis Alexandriæ et Theodosii, de domo Crateri et Modio, et de templo Solis et Lunæ, de thermis Anastasianis*  
 CAPVT IX *De tertia ualle et decima regione, de thermis Constantianis et aquæductu Valentiniano, et de nymphæo, de domo Placidiæ et regia Placidiana*

### LIBER QVARTVS

- CAPVT I *De undecima regio et de quarto et quinto collibus*  
 CAPVT II *De templo Apostolorum et sepulcro Constantini Magni, de cisterna Arcadiaca et Modestiacæ, de palatio Placilliano, et Boue æreo*  
 CAPVT III *De sexto colle et decimaquarta regione*  
 CAPVT IV *De Hebdomo suburbio Constantinopoleos et Cyclobio, de triclinio Magnauræ, et de statua Mauricii eiusque armamentario, de loco nuncupato Cynegio*  
 CAPVT V *De Blachernis et aquæductu, de triclinio Blachernæo et palatio, de multis locis antiquissimis*  
 CAPVT VI *De ponte qui est ad Diuum Mamantem, et de eius hippodromo, et leone æreo, de Mauricii regis sepulcro*  
 CAPVT VII *De septimo colle et duodecima regio, et de columna Arcadii*  
 CAPVT VIII *De statuis et antiquissimo tripode Apollinis in Xerolopho statutis*  
 CAPVT IX *De columnis quæ nunc exstant in colle septimo*  
 CAPVT X *De regione tertiadecima Vrbis Sycena appellata, et de oppido Galata, siue Pera*  
 CAPVT XI *Descriptio Galatæ, et de templis Amphiarai, et Diana et Veneris, et foro Honoriano*

[CONCLUSION]

### [XII] AD AMICVM EPISTOLA

Postquam Franciscus rex me prius reliquit quam ad ullos eius nummos uenisse — quorum spe ueneram in Græciam ad codices antiquos inuestigandos, ac etiam obiter ad cognitionem historiae naturalis —, binas literas ad te, alteram ad Cardinalem nostrum scripsi, quibus conabar tibi renouare memoriam Gillii — ueteris tui, dicerem, congerronis, nisi summus ille tuus gradus uerbum hoc iam non agnosceret —, timens ne longa et longinqua peregre profectione ex mente tua omnino exciderim. Iam uero longissime gentium abductus, ea ætate tiro in bellum Persicum qua ueterani emereri solent, necesse habeo iterum tibi nonnullam recordationem mei suggerere, qua incolumi nondum despero nidum aliquem senectutis meæ adsequi me posse. Iam annus est, cum in Galliam maxime redire conabar, si nummi ex sacerdotio meo mihi hoc tempore adfulsissent, priusquam eorum desperatione adductus profectus essem in Soltani Solymani Pachi expeditionem, ne Byzantii in languore desiderem, nummulos meos exspectans diu. De qua quidem expeditione et de toto itinere nostro informarem te magno uolumine, nisi prius uisere cuperem Ægyptum usque ad sinus Arabici proximum portum quem iam appellant Sues, olim Arsinoen. Qua peragrata, et te et Cardinalem Armagniacum informabo mediocri quidem ingenio, sed magno uolumine, de toto itinere nostro, ubi rediero Byzantium. Et ne charta hæc uacula sit, addam itineris summam.

A Chalcedone posita in faucibus Bospori Byzantini, ad Tauricam urbem quattuor decies millia centena passuum fecimus, non modo dimensionum Ptolemæi longitudinibus et latitudinibus, sed etiam passibus nostris. Primum per Bithyniam, in qua uidimus Diacybicen quæ olim Libyssa appellabatur, Hannibalis sepulcrum. Postea Panticum cuius meminit Antonius Pius, et Helenopolim cuius Procopius, Characem, cuius Stephanus. Deinde Nicomediam et lacum supra Nicomediam, de quo Plinius, quem falso quidam putant Ascanium, cum hic sit iuxta Nicæam distans ab illo amplius centum mille passibus, cuius fluuius influit in Propontidem, illius uero in Zagarim et deinde in Pontum Euxinum. Iuxta hunc locum Iustiniani pontem uidimus, celebratum Procopio et Agathiæ epigrammatibus adhuc excisis in ponte exstantibus<sup>1</sup> et etiam in *Florilegio epigrammatum* edito in uulgs. Postquam ingressi sumus in Phrygiam, seu [XIII] Gallogræciam, in qua cum aliarum urbium multarum ruinas uidimus, tum Boli, quam olim Aboni mœnia celebria nobili emporio et balneis et infinitis Græcorum et Romanorum monumentis. Ex Gallogræcia uenimus in Paphlagoniam in qua uidimus Theodosiam Gangrorum. Ex Paphlagonia peruenimus in Cappadociam, transito amne quem Turci Kisil-irmak, id est Amnem Rubrum, Procopius a colore uocat Siberim, quod aquas habeat rubras. Ego uero alio tempore monstrabo esse Halym, Lydici et Persici imperii limitem, cum imperaret Crœsus isthmo Asiæ, id est minori Asiæ. Cuius iuxta pontem statim in Cappadocia est collis Saye, undique præcisus et magna planicie circumdatus. In cuius iugo est arx quam primam obtinuit Ottomanus, fundator imperii Ottomani, eamque arcem alii appellant Ottomagith, alii Ottomagich. Inde aliquot castris factis, uidimus Hierapolim in supercilio excelsi montis, relinquentes prius ad dextram Amasiam et Tocatam<sup>2</sup> et Ancyram, ad sinistram uero Sinopen. Posteaquam trajecto amne Iri uidimus Neocæsaream, prope quam fluit amnis Lycus. Quo trajecto, attigimus Armeniam minorem, in qua spectauimus Azam urbem et fossas unde bolus Armenianus effoditur, et

---

<sup>1</sup> epigrammatibus ... excisis ... exstantibus : epigrammate ... exciso ... exstante *leg.* ?

<sup>2</sup> Tocatam : Iobatam *GGM* II.

oppidum Dascusam<sup>3</sup> quod hodie uocant Æsnigam. Etsi Euphrates præterfluit<sup>4</sup>, tamen amplius binis castris non eum transiuimus, sed ternis. Eo traecto non longe ab eius fonte propeque ostium Arseni fluminis, tribus castris per Armeniam maiorem factis, uenimus Esdrone, quam Procopius uocat Theodosiopolin, limitem Romani et Persici<sup>5</sup> imperii tempore Iustiniani. Inde binis castris transiuimus Araxen tendentem ad orientem et diuidentem Armeniam maiorem a minori Media. Ex Araxe quartis castris uado traieciimus Tigrin non longe ab eius fonte, a quo non procul eminet mont Nimbarus in cuius iugo dicunt arcam Noe resedisse. A Tigri sex castris tentoria fiximus iuxta lacum Mantianum, salsum et ambitu complectentem iter octo dierum, in quem octo magna flumina ingrediuntur, et nullum exit.

Ex eo lacu septem castris uenimus in Cohinam planitie, sed magna difficultate uallium angustarum montis Tauri, in quibus totus exercitus, constans amplius septingentis millibus equorum aut camelorum, a paucis opprimi potuisset. Ex Cohina planitie ad uesperam soluentes iter, totam noctem et dimidium diem insequentem continuauimus ob inopiam pabuli et copiam aquarum salsarum. Hæc nox tirocinium militiæ meæ ualde exercuit nam, cum Regis copiæ se in fugam conieciissent metu Persarum, ego equo et reliquiis ornamentiis spoliatus, a media nocte ad diem usque, inter tot millia equitum fugientium fugi pedes, ut mei socii mirati sint me incolumem euassissem. Sed Deus ludere uoluit tironem senem, et seruare ad nescio quos alios fortunæ ludos, utinam iucundiores ! Inde quartis castris peruenimus Tauricam, quam quidam falso putant Ecbatana, sed falsius Paulus Iouius qui eam putat in Armenia, cum sit in Media, et quidem bene penitus, neque amplius ducentis mille passibus. Ubi quinque diebus consumptis, cum rex Sophianus aufugisset in montes asperos, et ad eum insequendum commeatu deficeremur, urbem reliquimus incolumem, dumtaxat palatio uastato, ac redire coepimus. Quinquaginta millibus confectis, lacum Spautani inuenimus, adeo salsum ut eius totum litus per quattuor stadia extra aquam tectum sit perpetua glacie salis. Ego ut experirer quod Strabo falso tradit *pruritum doloremque facere*, per ipsum nudus ambulaui ducentos passus, tendens in eius altum, neue tum aqua adtingebat umbilicum, uidique totum uadum ubique tectum crusta salis, ut nusquam solum appareret. Hic lacus sex dierum iter in ambitu habet. Iuxta hunc lacum aliquot millia Turcorum cæsa sunt.

Inde quartis castris transiuimus fauces angustarum uallium, ubi circiter quinque millia camelorum, equorum et mulorum perierunt. Inde profecti sumus ad obsidendum Mantianum castrum, in colle situm undique præciso, undique circumdato magna planicie. Quo ditione facta intra octo dies capto, transiuimus montem Niphatem iuxta quem ruit Tigris et subit lacum Arethusam, et Betelmos, quos Zagri montis ramos arbitror. In quorum uallibus angustis multa animalia perierunt, præsertim cum tanto exercitu necesse fuit transire foramen rupis, non maius porta, excavatum in saxo. Ac tandem traecto Tigri uenimus in urbem Caramiti quam Procopius uocat Amidam. Vnde rex Turcorum institutum iter coactus est relinquere et se conuertere contra regem Persarum, qui totam Armeniam maiorem iam excurrerat et, Euphrate traecto, penetrauerat in minorem.

Sed prius rex Solymanus misit Eliam fratrem regis Persarum in Babyloniam [XIV] et Susianam, quam nuper cepit, ex prædaque regia triginta camelos onustos misit imperatori Solymano. Quod munus heri in hac urbe Alepa uidi adferri regi, et deportari a sexcentis genniseris, ordine pompatico ut mos est, cum regi Turcorum quidpiam datur. Nimirum in orbem magnæ areæ ambulantes, et singuli aliquam muneris partem manibus gestantes, regi repræsentabant, spectanti ex cancellata fenestra. Alii ferebant storeas gracilibus arundinibus

<sup>3</sup> Dascusam : Dascusum *GGM* II.

<sup>4</sup> præterfluit : fere fluit *GGM* II.

<sup>5</sup> Persici Parthici *GGM* II.

auro argentoque textilibus inductis elaboratas, alii ephippia gemmis distincta, alii arcus Persicos, plerique stragulas uestes et Babylonicas, alii peripetas mata beluata ex auro argentoque textilibus, alii tentoria summa arte laborata, alii libros Persicos auro et gemmis ornatos, nonnulli sacculos gemmarum plenos. Multi ferebant imagines hominum reliquorumque animalium ex serico auroque et argento elaboratas, alii alia quæ longum esset recensere.

Exin Amidia castra reliquimus et profecti sumus Melitenen urbem Armeniæ minoris septem diebus. Inde rursus traecto Euphrate rediuimus Amidam, ex qua quinque castris uenimus in urbem Edessam quam hodie uocant Orfam<sup>6</sup>, in qua Turci dicunt natum Abraham, ideoque ex fonte, ex quo fluuius manat discurrens per urbem, pisces sacros habent et non adtingunt. At Iudæi dicunt Abraham natum in Carra distante ab Edessa iter unius diei, quam Carras esse arbitror nobiles clade Crassi. Ex Edessa tribus castris Euphratem traiecumus inter Hierapolin et Zeugma Commagenæ, ubi adhuc uisuntur reliquiæ antiqui pontis, ubi catena in hanc ætatem seruatur, cuius meminit Plinius. Ab Euphrate tribus castris uenimus in urbem quam hodie Syri uocant Alep. Olim uero ea erat Berœa, non, ut quidam tradunt, Hierapolis. Hic hiberna quattuor mensium exegimus. Plura non addam reseruans longum meum uolumen itineris mei in redditum meum Byzantium.

Tu uero interea, dum Ægyptum uiso et Byzantium redeo ad mensem Iulium, ne obliuiscaris tui Gillii ! Ac si forte ullum locum uides, ubi ædificare possim nidum senectutis meæ, ne præterreas ! Ita enim canus ad uos rediero, ut humi cubare perpetuo malim, quam semel erigere in nidum suspensum ex longa spe. Adderem, nisi regem audirem remotum a literis, <quod> efficeres cum Domino Castellano, episcopo Matisconensi, ut rex peregrinationi meæ faueret. Sed ne sim importunus, totam hanc prouisionem relinquo iudicio tuo, qui sensus regis eiusque intimorum nosti non minus quam fortunam meam destitutam omni auxilio, et solo meo tenui uectigali ægre sustentatam tot annos peregrinationem. Verum ut sit a literis rex remotus, non tamen a iustitia, quod ex eo<sup>7</sup> colligo, quem quotidie cariorem regi fieri audio, non ob aliud quam ob singularem iustitiam tuam. Quid iustius quam heroicum regem tam diuitem debitum præstare paternum ? Ego per hosce uiginti annos non destiti bene mereri de rege Francisco, ac potius de tota Valesia gente, cum aliis orationibus tum tribus ad regem Angliæ scriptis, suadentibus Franciæ regium nomen ne amplius usurpet, aut eius partes repeatat. Quas priusquam scriberem, testis est Cardinalis Armagniacus me hiemem consumpsisse in bibliotheca legendis codicibus pontificum, apud quos hæc causa tum disceptabatur. Quos si Seisselius legisset, longe aliter hanc causam tractasset. Quid æquius quam regem mihi dare aliquod perfugium senectutis meæ, qui regis præscripto tantam peregrinationem suscepi, et tamdiu sustinui nullo regio auxilio adiutus ? Omnibus me uoluptatibus priuaui, senex tot ærumnas subiui, ut iucundum quiddam regi gratificari possem.

Bene uale.

Ex urbe Alep, emporio celeberrimo totius Orientis, IV Non. April. MDXLIX, tuus antiquus  
cliens

Petrus GILLIVS.

---

<sup>6</sup> Orfam : Offam *GGM* II.

<sup>7</sup> eo : te *leg.* ? *GGM* II.



[†2<sup>r</sup>] ***DE BOSPORO THRACIO***  
*libri III*

ILLVSTRISSIMO  
 ET AMPLISSIMO DO-  
 MINO D. CARDINALI  
 Armaignacio, Patrono et  
 Mœcenati suo

ANTONIVS GYLLIVS S. P.

*Veteribus non solum is fuit mos, Card. ampliss., eis, qui insignem ob causam perpetuitatem meruissent, statuas erigere, sed summi etiam ipsi uiri sui corporis simulachra in publico collocata conspici uoluerunt, nominis gloriæ ita consulentes, quod, etsi ambitionis speciem aliquam habere uiderentur, non usque adeo tamen fugiendum. Sed ut uirtutis monumenta quæque præclara censeo, ita illud multo perennius, quo ingeniorum quam corporum effigies reliquuntur. Siquidem statuae et imagines uel ui conuulsæ decidunt, aut uetustatis situ decoloratae uanescunt, uolumina uero (quæ spirantia sunt hominum simulachra) nullo modi conuelli, aut senio possunt obliterari, immo sanctiora et durabiliora fiunt ipsa uetustate.*

*Quæ cum animo perpendarem, danda mihi fuit opera, ut Gyllii, clientis tui et patrui mei, nomen cum tuo sempiternæ memoriacē traderetur, qua te optimo iure dignum censemus ; in quo et uitæ religio et doctrina enitet, quibus haud dubie uita constat, quod, ex mortalium commercio eas si sustuleris, omnia [†2v] futura sint incondita, nec minus obscura quam si solem et lunam demas. Pythagoram namque ferunt, inter alia sua documenta, admonitos uoluisse discipulos in primis ut Deum religione colerent, animum uero disciplinis. Quorum dogmatum, ut tu cultor es, quantum pietas patitur, obseruantissimus, ita Christianæ persuasionis scriptorum adsiduus lector, et imitator, ut nulli clarissimorum uidearis secundus, nec minus eruditione quam cardinalatu memorandus. Verum hoc unum scio, apicem et primatum hunc, non opes, non nobilitatem (quæ uel sola te commendare poterat) tribuisse tibi, sed religionem illam doctrinæ coniunctam ; quibus sic te adornatum uidemus, tamquam alexipharmaco quodam.*

*Hinc factum est, ut te consilio pollente in legationibus obeundis et Franciscus et Henricus reges usi sint. Maximas enim res apud summos pontifices et, ubi uisum est, tuo consilio, auctoritate, prudentia, gloriose confecere. Neque ab his solum in sapientium numero habitus es, uerum et a summis pontificibus Romanis, et illustrissimis principibus. Hac ratione tanto apice, et meritissimo, co honestatus es, quo sane ante dignus eras quam acciperes. Quippe uiris præcellentibus hoc inest, non ut tam studeant aliquid suspicere, quam mereri.*

*Tam præclaris animi dotibus accedit, quod litteratos diligis, ac foues, illorum benevolentiam expetis, muneribus conciliias. Etenim qui tuus in omnes studiosos semper fuit propensissimus animus ! Hunc eudem in Gyllium multis ab annis perspectum habui, maxime cum, illo uita functo, te uero legationem regiam obeunte apud summum pontificem Paulum quartum, illius lucubrationes una cum ipso deperditas nolueris ; quas in tui unius gratiam Romæ conscribebat, suorum ut errorum prope Vlyxeorum tibi rationem aliquando redderet, fata nisi in contrarium ei obstitissent. Quin et ex tua singulari [†3r] humanitate, benevolentia haud insueta, te in Galliam redeunte post expletum munus, inter cetera id tibi curæ fuit, ut illinc eius conscriptiones, uel fragmenta potius, asportarentur, ne quis eos labores tuo nomine dignos sibi uindicaret. Igitur quod ad Gyllium spectat, si quid utilitatis hinc percepturi sunt studiosi, tibi acceptum ferent, ut qui tanti semper feceris bonas litteras, ab aliis pauci aestimatas. Itaque cum tu nec clientis industria, nec ille tanti mæcenatis liberalitate unquam*

*abusus sit, sed eodem animi consilio uterque publicæ et communi omnium utilitati prospiceret, tu quidem ex animi generositate uirtuti, ille ingenio seruire desiderauit. Ita rem habere satis in hunc usque diem id ostendit, cum doctrinam doctosque, uacuus a negotiis regiis, adiungis tibi atque concilias. Hinc est quod longe maior laus sit tibi tribuenda, quam ceteris principibus (absit uerbo inuidia), in cuius cubiculum permulti libri ingressi sunt, qui ueri et uirtutis uiam tradidere.*

*Quæ omnia cum mihi beneficia experto constarent, ne ab aliorum nostri temporis instituto recedere uiderer, qui cum sua scripta in lucem proferunt, uel ab aliis exarata, haud sine inscriptionis tutela et patrocinio ea in uulgo emittunt, præclarum hunc morem mihi retinendum putaui, ut auspiciis ductuque tuo felicissimo tandem exirent ea, quæ Gyllius conscripsit De Bosporo Thracio, et De Constantinopoli, longe melius ab ipso tot annos lustratis, quam sint a ceteris qui hoc idem temptarunt suis libellis. Fecit denique tua benignitas, ea fide et condicione in manus nostras hæc peruenirent, ut una cum Æliano De animalium historia et libello Demetrii Constantinopolitani De curatione accipitrum, ab ipso e Graeco in Latinum factis, prelo subiicerentur. Qua in re æquissima ipse mihi deesse nolui, diligens tuam celsitudinem, cuius fidei et patrocinio hæc opera com-[†3v] mitterem ; neutiquam aberrans a proposito patrui uita functi, qui studia sua in tua fide, tamquam in sinu tuo, suauissime conquiescere cupiebat, quorum etiam illi semper auctor fueris.*

*Porro autem qualecumque munus litteratorium istud fuerit, cardinalis illustrissime et amplissime (erit enim meæ in te obseruantiae pignus, et grati mei erga te animi argumentum), sic æquo animo amplectaris, quo huius generis solitus es. Quod si tuæ amplitudini placere iudicauero, fiet ut in his, quæ a te desiderari intellegam, uoluntati tuæ a me pro uiribus satisfiat. Bene uale.*

AD P. GYLLIUM.

*Appellant Itali uulgo sua lilia Gylli,  
nec male se nomen sic posuisse ferunt.  
Gyllius inde tibi est aptum cognomen, ut in quo  
dogmata sub niueis moribus enitant.*

## [PRÉFACE]

[1] CVM NOVAM Romam Constantinopolitanam sim descripturus, mihi prius describendus uidetur Bosporus, princeps creator Byzantii melior et præstantior quam Byzas huius urbis conditor, quamvis hic optimus et deo simillimus fuisse traditur ; quo urbs iam tot sæcula carere potuit, et situs loci alium conditorem inuenisset, ut postea deserta inuenit Pausaniam, deinde funditus euersa Constantinum. At Bosporo ne punctum quidem temporis carere potest, supra quem Constantinopolis sita est. In cuius obscuritate illustranda si longior ero, id adtribuendum erit obscuræ caligini tot sæculorum, quæ Bosporum Thracium Cimmerico longe obscuriorem effecerunt, et magis clausum quam esset ante Iasonis transitum tenuerunt, ut huius non modo caput ex tanta caligine exstaret, hoc est Cyaneæ petræ, sed ne eiusdem quidem plus centum loca antiqua olim memoriae prodita ab antiquis scriptoribus, quæ latuerunt in tenebris abhinc fere ruinis Seueri. Quorum caligo discuti non potest, nisi Phinæo cæco, qui nobis ue-[2] lut Iasoni transitum Bospori demonstret, oculos restituero, id est, Dionysio Byzantio antiquissimo Bosporici *Anapli* scriptori, iam tot annos in cæcis tenebris iacenti, lumen adulero. Qui licet hominum in magna luce uersaretur, tamen crassa adeo caligine circumfusus est ut non uideretur, nisi quis simili studio, quo uti conatus sum, eius caliginem discuteret. Ita enim eius nomina antiqua ignorata sunt, ut nulla iamdudum nota sint. Quæ illustrare ob huius freti excellentiam conabor, quod præstat omnibus fretis.

Gaditanum quidem stringit duos orbes, sed incipientes, sed uinculo lato *sexaginta* stadia, at Bosporus duos medios orbes nodo adstringit non latiori quattuor stadiis. Adde quod Bosporus est commodior. *Hic enim utroque* orbe *accalarum* multis commerciis coniunctorum frequentatus, portæ habet dispositionem ob communionem mutuam, aliquando ponte iunctus ab his qui pedibus ex una continente in alteram transire mallen[t] [...]. At [...] Gaditani freti rarus est usus [...], ob inusitatam [...] Libycorum communionem cum Europeis, et ob longinquam Externi maris nauigationem. *Thucydides laudat Siciliam, quod freto uiginti stadiorum [...] disiungitur a continenti*, sed id dumtaxat insulam iungit Italiæ, infame non modo scopolis monstruosis et uoraginibus, uerum etiam beluis, quibus Bosporus caret. Chalcidicum fretum mirabile, sed ob sui Euripi inconstantiam ponte quidem iungentis insulam continent, at non longiori spatio octoginta passibus quibus patet in longitudinem, in latitudinem circiter quadraginta, qui hominum manu obrui potest. Reliquum Chalcidici Euripi Euboicum [3] fretum longum et difficile, non enim *alia infestior classi statio est. Nam et uenti ab utriusque terræ præaltis montibus subiti atque procellosi* fretum hoc torquent. Bosporus autem semper portuosus, et nauigabilis. Prætero isthmum Corinthiacum qui, ut fretum admisisset, duos tamen sinus breues coniungeret, qui non magna nauigationis circuitione iungi possunt. At Bosporus coniungit duo maria, quæ nulla nauigationis circuitione iungi possunt, nisi Bosporo, quem sapienter Euripides *clauem* nominat *Ponti*. Recte physicam rationem secuti poetæ finixerunt Bosporum minime peruum, eumdemque transire, sine Phineo rege Bospori, Iasonem non potuisse, significantes Pontum inuito rege Bospori adiri non posse. Recte *Hesiodus ait Phineum excæcatum fuisse [...], quod nauigationem Cyanearum et Ponti, Phrixo indicauisset*. Omitto Bosporum Cimmerium triginta stadia latum, et uadosum, qui etsi ualde profundus esset, tamen hostes non arceret, sed auxiliaretur hostibus. Conglaciatus enim pontis uicem præstat, cuius campi minus mansueti, quam illius montes. Pætero Hellespontum longe latiorem et sinu Byzantiaco carentem, de quo recte Constantinus iudicauit, cum, posthabito Hellesponto, Constantinopolim in Sigæo promunturio inchoatam eminenti in fauces Hellesponti, transtulit ad Bosporum. Prætermitto reliquos triplicis orbis limites, Pontum Euxinum, mare Internum, Tanaim, Nilum, quorum nullus contra hostes tam tutus quam Bosporus. Illa enim maria latissime patent. Tanais gelu concretus pons est barbarorum. Nilus longissimus, uno loco custoditus, infinitis [4] locis transiri potest. Bosporus una clave duos orbes, duo maria aperit, et claudit.

Piscium copia excellit Massilia, Tarentum, Venetia, sed omnia superat Bosporus, quo uelut per portam duplicis maris pisces transire solent autumno et uere, tam certa lege naturæ quam solent grues bis quotannis Internum mare peruolare, tantaque multitudine, ut primo cuique magnum piscium numerum capere et ferire liceat, neque modo ab usu piscandi instructi, sed etiam totius pescationis rudes, atque adeo pueri et feminæ capere possint domi desidentes ex fenestra calathis demissis, hamisque ab esca nudis etiam imperiti piscandi, pelamides capiant tot et tantas, ut toti Græciae sufficient aliisque nationibus. Et ne numerem infinita genera piscium, tot gregalis generis capiunt, ut *uno reti permulta nauigia [...] impleant*. Ostrearum bonitate excellentium tantam multitudinem cum aliis temporibus largitur Bosporus, tum maximam temporibus quibus perlóngis Græci uesti non solent piscibus sanguinis participibus, ut quotidie uideas fora multa redundare ostrearum aceruis. Amiarum ignotorum piscium Romæ et Venetiis, suauissimi cibi, crebros greges uidere licet in Bosporo, eorumdem quoque pugnas cum delphinis tales spectare, quales traduntur a scriptoribus. Quod si Bosporani non tantopere terrenis carnibus abundarent, si piscibus delectarentur, ut Veneti, si libere piscari possent, ac non pro tributo medium pescationis partem dare cogerentur, et reseruare non haberent necesse Regi omneis pelamides ex Ponto descendentes, profecto omnia fora Byzantina piscium multitudine implerentur. Græci ex an-[5] tiquo quodam proverbio extollunt Hellespontiorum piscium copiam. Sic enim inquiunt : cum quis temere ea, quæ abundant, aliunde adfert ut rara, dicere solebant, *noctuam Athenas [...]*, aut *buxum in Cytorum [...]*, aut *pisces in Hellespontum*. Quo multo præstantior Bosporus, per quem primo pisces pastionibus Ponti pingues facti descendunt, deinde ex his, qui Bosporanorum pescatorum insidias effugerunt, latorem transeunt Hellespontum.

Quid ? quod sua dulcedine superat cetera maria, et suæ dulcedinis fecunditate contendit cum mirabilibus fluuiis, inter quos excellit Nilus, Ægypto quidem fecunditatem dans, sed non tam suis natuvis aquis, quam cæli et terræ siticulosæ natura, id quod deprehenditur ex riulis fontium Arabiæ, Africæ, Mediæ, Babyloniæ : hi enim, sicut Nilus, uicina loca, quæ adluere possunt, fertilia efficiunt. Vnde Byzantiis agris Libyæ tam eximia fertilitas, ut terra agricolis fenus reddat cum centesima fruge ? nisi ex uiciniis mediocribus fluuiis saxorum mole primum retentis, deinde per fossas diuisis. Quot in Gallia delitescunt flumina, quæ si per arenas medium fere occupantes partem orbis transirent, non mediocrem arenis fecunditatem darent ? Bosporus sua dulcedine piscium multitudinem Niliacis arenis numerosiorem alit, non modo a se procreatorum, sed etiam ab utroque mari. Tum mellis et ceræ, frumenti et uini, ceterarumque rerum copiam largitur non modo Bosporanis, sed etiam infinitis nationibus longinquis, atque adeo ipsi Nilo Ægyptoque permulta impertitur. Iure igitur Bosporus uulgo dicitur autumno aureus, uere argenteus, rectius [6] appellandus Chrysorrhoas, quam quisquam alius, etiam si esset Chrysorrhoas Damascenus. Hic enim unius Damasci agros irrigat dumtaxat, præterea nihil fert, innauigabilis.

Iam quispiam cælum Bospori damnabit, ut caliginosum, Apolloniumque adferet, cum scribit Argonautas ex alta specula insulæ Cyzici prospexitte ἡερόεν στόμα Βοσπόρου (οἱ ov ἀερῶδες ἦτοι ὄμιχλῶδες). Id enim non ex Bosporici cæli natura, sed ex longo interuallo accedit, quo amplius octoginta millia passuum a Cyzico abest Bosporus. Loca enim longinqua, et si cæli natura lucida sint, tamen ex longinquu interuallo prospecta obscura uidentur. Erit alius qui non probabit Bospori oras, ut asperas et plane Thracicas. At hæ miti amoenitate certant, non solum cum omnis maris litoribus, sed etiam cum ripis nobilissimorum fluminum. Nilus quidem suam amoenitatem ex una ripa ostentat, ex altera deformat patefaciens exustos et latissime retorridos campos. Vidi Penei ripas, quas amoenas efficiunt illa nobilia Tempe Thessalica, in *nemorosa conuale inter [...] Ossam et Olympum [...] sita*, per quæ media *Peneus uiridis* labitur. Amœna, ut dicuntur, sed angusta et breuia, undique montibus in altitudinem immensam elatis coartata, ut terror adsit prætereuntibus, qui augetur, si Liuio credimus, strepitu Penei agreste quiddam resonantis. Vidi item ripas amœnas aliquot

fluminum Mediæ. Hæ enim sunt illa decantata *Tempe Medica*, uirore quidem plantarum manu satarum laeta, sed undique montibus asperis arenaceis, qui natiuis arboribus carent, circumdata. Verumtamen nulla amœniora spectauit ualle, per quam defluit Bosporus utrimque cin-[7] ctus collibus molliter adsurgentibus, uallibus leniter pronis, utrisque partim nemorosis, partim uitiferis et frugiferis, partim amœnitate uirectorum, floribus, herbis, arboribus etiam fructuosis enitentium, inter quæ excellunt horti Regii. Quos singulos quid aliud esse dicam ? quam Thessalica illa Tempe amœnissima, sed longe amœniora, nisi ea Lapithæ Centauri uelut dracones Hesperidum hortos custodirent, proculque spectatores arcerent. Sileo riuos perennes et perlucidos circiter triginta hinc atque illinc delabentes in Bosporum. Prætero fontes gelidos. Quid unum iam commemorem ? Nymphæum Chalcedoniorum situm iuxta Bosporum, a permultis antiquis commemoratum ? cum ualles Bospori plusquam quinquaginta nihil aliud sint, quam nymphæa uirore nemorum et pratorum, topiario et coronario naturæ opere spectabilia. Ora autem maritima colluet plus triginta sinibus portuosis, ad marginem usque profundis, inter quos excellit sinus Chrysoceras, hoc est Cornucopiæ, siquidem aurum omnium rerum copiam largitur. Collucebat olim ab initio Bospori ad finem ædificiis continuis. Quæ longis bellis euersa iterum excitantur, ut ab initio sinus Ceratini iam litus ad promunturium Hestias (litus patens in longitudinem circiter decem milliarium) exædificatum sit fere continuis ædificiis, non modo in sicco, sed etiam media ex parte in mari substructis, non modo ad hominum habitationem, sed etiam ad stationem scapharum atque excipulas piscium, quæ omnia patitur mitis Bosporus. Non enim fremebundo æstu efferuescit in ædificiorum fundamenta, sicut ce-[8] tera freta quæ litoribus fracta spumarum feruorem in ædium pauimenta furiose iactant, et *fremitu* terribili *murmurantis maris* litora plangentia maritimas urbes uexant. Sed lenis Vrbem et suburbana adluit, neque sese effert extra litus, quamvis humile et planum.

Itaque Iasonem Duodecim Diis apud Bosporum sacrificasse, templumque condidisse arbitror, iudicantem non modo hominum, sed etiam omnium deorum domicilium esse Bosporum. Apollo quidem sex templa habuit iuxta Bosporum, antiquissimum in urbe Chalcedone, nullis oraculis cedens, duo Byzantii, unum in Xerolopho, cum tripode antiquissimo, alterum cum luco laurorum iuxta finem sinus Cornu, quartum iuxta eundem sinum, quintum in promuntorio nuncupato Metopo, sextum in suburbano uico appellato Daphne a profundo luco laurorum Apollini consecrato. Qui in Olympia ut Mercurium cursu secum certantem præuerterit, ita periclitaretur certans in medio Bosporo cum Mercurio, qui semper præfuit promuntorio Hermæo, obsidente maximas Bospori angustias. Cuius radices cum sustinerent Darii pontem eiusque sedem in saxo excisam, ostenderunt Mercurii ingenio Darium Asiam Europæ quasi compedibus alligasse. Iustius apud Bosporum perenni certamine Iuno, Venus, Pallas contendunt, quam ubi semel contendisse dicuntur. Dulcis Venus mare, unde nata est, dulce ostentat excellere. Iuno colles uberes profert, et promunturium Bosporium in quo fuit ædes Iunonis Acrææ. Pallas arces Byzantias proponit non iudici, Paridi iuueni pastori, sed Ioui antiquissimo imperatori et Neptuno [9] præsidentibus Bosporo. Cuius portas Neptunus seruare traditur, et claves Ponti custodire, adiutore filio Byzante fabro clavis Ponticæ, hoc est, arcis Byzantiæ conditore, in qua *antiquum Neptuni templum* fuisse scribit Dionysius. Iupiter Vrius imperatorque quamdiu multumque Bospori angustias tutatus sit, declarat fanum Iouis Vrii in hunc diem nomen retinens. Declarat eiusdem statua in Bosporo sita quæ, *cum tam multa bella ex [...] Ponto emerserint*, seruata est, cum interim sua signa Iupiter pateretur ex Macedonia, ex Græcia auferri. Cum Lucullus ex Ponto auferret colosseum Apollinem, tamen illam, etsi *in toto orbe [...] pulcherrime facta* haberetur, adtingere non ausus est. Nec arce prius cessit, quam Christus ei successit uerus Iupiter Vrius et imperator. Adeo ille Bosporum amore prosequutus est, quem nonnihil augere potuit. Id quod sempiterna nominis memoria Bosporus testatur se transuexisse Io, quam Iupiter amauit, Bosporique accola Semystra educauit Ceroessam, Iouis et Ious filiam, matrem Byzantis qui condidit

Byzantium. Acrius igitur et commodius in Bosporo quam in Olympia, de orbis imperio Iupiter cum Saturno collectari potuisset. Nec modo deorum hominumque Pater, sed etiam Mater deorum Bosporum accoluit, suaque æde arcem oppositam arci Iouis Vrii illustravit. Neque modo dii deæque inter se, sed etiam secum de pulchritudine Bospori certant. In quo mari Venus dulcior, quam in dulciore Ponto<sup>8</sup>, cuius aqua potui pecorum utilior quam dulcium fluminum ? Itaque *accolementes* [...] Pontum *omnia pecora ad mare ducunt, ut ex eo bibant.* Vbi Venus placidior, [10] quam in placido Bosporo ? ubi Veneris Placidæ ara in sinu Auricoru nuncupato eiusdemque templum in suburbano proximo Chalcedoniæ. Et in portu Lyciorum, ubi etsi Bosporus frigidus, tamen Venus frigere non potest, compressa collibus Bacchi et Cereris feracibus. Iuno circa Bosporum duplex et gemina, nempe utraque continens, certat non solum de similitudine, sed etiam de paritate collium, uallium, fontium, frugum, fructuum. Vbi Pallas urbium, arcium tutrix arcem architectari potuisset commodiorem ad retinendum utrumque orbem, quam in Bosporo ? Vbi Pallas Bospori primas sibi partes deberi contendat, quam in arce Byzantii ? quo primum *egressi coloniae deductores* [...] Mineruam coluerunt aramque *Mineruæ Ecbasiæ* [...] ibi erexerunt, et Pallade adiutrice *statim pugnarunt tamquam pro terra patria*, nempe Byzantio, quod lumen est clarissimum Bospori. Habuit item alteram aram supra Bosporum, quam Megarenses coloniae deductores Palladis Dissipatoriæ appellarunt, ab hostibus barbaris dissipandis. Diana item, et Ceres, et Bacchus contendunt ornare Bosporum. Ecquodnam aliud tam breue spatium quinque tempora habuit illustria Dianæ, quam Bosporus ? in cuius exordio fuit {Dianæ} fanum adeo celebre, ut idem fanum ab aliquibus dicatur Dianæ, ab aliis Iouis. Nusquam Diana sua retia marina tendit felicius, quam in Bosporo, in quo medio fuit ædes Dianæ Dictynnæ. Finis Bospori habuit templum Dianæ Orthosiæ, et ædem Persephones in promunturio Bosporio, itemque in opposito litore delubrum Dianæ Luciferæ, atque in Bospori portu Lyciorum nuncupato, [11] templum Dianæ Phosphori. Sed quid tam multa de diis ? cum possem Bosporum eius<sup>9</sup> uariis et propriis laudibus efferre, nisi hæc pauca præloqui uoluisse, non tam ut laudem Bosporum ex iudicio deorum, quam ut Bospori nomina antiqua summatim informem usurpata atque appellata ab aris, templis ceterisque deorum monumentis. Itaque Bosporum deorum domicilium appelaui, quod in eo omnium maiorum deorum aræ ædesque multæ et celeberrimæ fuerunt. Iure igitur nonnulli Bosporum, *Sacrum Ostium* appellarunt. Iure Iason Duodecim Diis fanum consecravit, propterea, ut mihi uidetur, quod omnes dii ad eum ornandum contendisse uidentur. Contra Sostratum qui Bosporum asserit Neptuni opus esse, mihi potius ab orbe condito ipsum patefecisse uidetur Architectus ille Summus qui elementa creauit et distinxit. Quomodo Neptuni fortuita ui Euxinus Pontus tam scite Bosporum aperire potuisset ? in quo nihil fortuitum uidetur, sed summa ratione factum, ut uix ulla humana mens maiore artificio excogitare posset commodiorem ad nauigandum.

Aut si quis tentaret Bospori os aliter fingere, ille esset qui, in alia corporis parte os hominis quam est commodus esse debuisse, frustra probare niteretur. Primum suum introitum inter Cyaneas largum uiginti stadia, montibus cinctum, uelut brachia distendit in complexum introeuntium. Deinde sensim per longitudinem duorum milliarium usque ad promunturium Myrleanum coartatur in angustias milliarias. Post in longitudinem quinque milliariorum, quoniam rectus procedit, multos sinus portuosos efficit. Atque ad finem [12] usque, magnis anfractibus et crebris sinibus pergit flexuosus usque ad mœnia Byzantii cuius mucrone uelut rostro scinditur in duas partes. Quarum rapidior et maior in Propontidem progreditur paulatim,oris recentibus, usque dum inter Chalcedonem et Byzantium dilatatur in quattuordecim

<sup>8</sup> Ponto : Ponti *edd.*

<sup>9</sup> eius : suis *edd.*

stadia, similiter pari introitu ascendentes excipiens in Pontum, ut excipit descendentes ex Ponto. Altera pars sinum efficit, Cornu nuncupatum.

Sed quid plura de Bosporo ? sine quo Byzantium nunquam exstitisset, aut uulgaris urbs remansisset, cuius conditor et genius agathodæmon Bosphorus iure dici potest et debet, sine quo non modo uiuere cum dignitate, sed ne nasci quidem potuisset. Et ne habeam inculcare quæ postea dicam de Byzantio, id fere omne Bosporo acceptum referre oportet, quod laudis tribui potest Byzantio.



## LIBER PRIMVS

*De origine Bospori et de eius multis nominibus*

CAPVT I

BOSPORI Thracici *origo* [...] est *Pontus Euxinus* [...]. *Supra* [...] Pontum est *Mæotis*, quam matrem et nutricem *Ponti diuulgauit* hominum sermo, iam ab usque antiqua memoria traditus [...], Mæotidis *finis Tanais, limes* [...] Europæ et Asiae. Mæotidem Cimmerico freto *excipit* [...] *Pontus* [...]. Auctus Mæotide et multis [...] magnisque *fluminibus* per Thracium euripum exit in Propontidem. Et ut magni lacus fluum aliquem emittere solent, ita Pontus emittit in mare Ægæum uelut flumen maximum, in principio angustum, in medio amplum, in fine strictum. Finis appellatur Hellespontus, medium uero, lacus si-[13] militudinem gerens, Propontis, principium Bosporus.

Hunc multis nominibus scriptores appellant, Græci quidam αὐλῶνα, Pomponius Mela, *canalem*, alii *euripum Thracium*. Herodotus modo *Ponti os* appellat, modo αὐχένα. Laurentius uertit *collum*, poterat pure et Latine reddere *fauces Pontici maris*. Græci nostræ ætatis Λαιψὸν nominant, Turci eodem sensu Bogazin. *Fauces* [...], inquit Liuius, στενὰ uocant Græci. Bosporum quidam recentes scriptores Stenon nuncupant. Pomponius Mela etsi interdum totum fretum nominat *fauces*, tamen partem ultimam Bospori, positam inter Chalcedonem et Byzantium, proprie appellat *fauces*, reliquam oris partem uocat *os*. In Bospori, inquit, *faucibus oppidum, in ore templum est, oppidi nomen Chalcedon* [...], *templi numen Iupiter*, ubi distinguit fauces ab ore, idque apte. Siue existimat Pontum, ut omnes existimant, exire in Ægæum uelut per meatus cuiuspiam animalis, nempe primo per Bosporum quasi per os et fauces, subire in aluum, hoc est in Propontidem, deinde per Hellespontum tamquam per uescæ fauces delabi in Ægæum. Siue putat mare Ægæum exire in Pontum, id quod putare uidetur sed falso, ut paulo infra ostendam, tum enim reuera Ægæum a Propontide, uelut ab aluo, eiiceretur in Pontum per fauces et os Bospori. Non igitur minus recte *Threicias fauces* Bosporum appellabimus, quam Lucanus Hellespontum appellauit. Cicero Bosporum nunc *introitum Ponti*, nunc *os* atque *angustias* dicit. Similiter Aristides Bosporum appellat εἰσβολὰς τοῦ [...] Πόντου, rectius Philostratus ἐκβολὰς τοῦ Πόντου, cum Bosporus sit Ponti exitus potius quam introitus, Pomponius Mela an-[14] *gustias introitumque maris uenientis, nos fretum, Græci πορθμόν appellant*.

Procopius restrictius hunc præfinire uidetur in libro inscripto Περὶ τῶν ἀνεκδότων, quem scripsit contra Iustinianum contraque eius uxorem Theodoram. *Byzantium*, inquit, *utrimque fretum habet, unum in Hellesponto circa Sestum et Abydum, alterum in Ponti [...] Euxini ore, ubi Fanum nominatur. In [...] Hellesponti freto [...] tributum quidem [...] minime* [...] exigebatur, *præfectus uero a rege missus in Abydo sedebat, perscrutans si qua nauis ferens arma sine regis permisso iret Byzantium* [...], aut si quis Byzantio soluisset, qui non ferret litteras et signa hominum quibus hæc cura mandata esset. Non enim fas quemquam ex urbe Byzantio enauigare sine dimissione uirorum operam dantium magistratui appellato *magistro* [...]. Non dimissorum similiter si quis ad barbaros mearet, apud fanum Iouis præsidebat qui perscrutaretur [...], si qua ex Romæorum dictione ferret quæ ad hostes efferre non liceret [...]. Nihil tamen huic [...] præfecto exigere licebat ab his qui illac nauigarent. At ex eo tempore, quo Iustinianus accepit imperium, in utroque freto constituit [...] tributum publicum, et [...] stipendio quidem utroque freto *præfectos* [...] *adficiebat, uerum edicebat, ut omni ui quamuplurimas pecunias* [...] *inde auferrent*. Prætero cetera, quæ Procopius colligit contra acerbam exactionem a Iustiniano utroque freto constitutam. Hoc unum dumtaxat ex his percipe, Procopium Bospori et Hellesponti summas angustias stricte nominare fretum, ut Titus Liuius fretum Chalcidici Euripi uocat summas angustias canalis Eubœam diuidentis a Boëtia.

Certis et propriis etiam aliis uoca-[15] bulis Bosporum scriptores nominant. Ptolemæus *os [...] occiduum Ponti*, Apollonius *Argonauticorum* poeta σκολιοῖ πόρου στεινωπόν appellat, Arrianus [...] *fretum [...] Mysium [...]*, a Mysiis populis, cum id Mysii accolarent, deinde *Thracium [...] a [...] Thracibus accolis*. Potuit etiam appellari Bithynicum, et Mygdonium, et Bebrycium, cum Bithynia, quæ claudit Bospori latus dextrum Asiaticumque, fuerit etiam appellata Mygdonia et Bebrycia. Herodotus nominat *Bosporum [...] Chalcedonie*, Strabo *os Byzantiacum*. Ioannes Tzetzes appellat *Bosporum Damaliten* sua ætate *nuncupatum, uulgo Proosphorium*. Aristides ianuam Ponti uocat, imitatus Pindarum, qui fretum Gaditanum portas dicit Gaditanas. Ora enim similia portis habentur, inde fluminum exitus ostia dicuntur. Plinius fretum Gaditanum appellat *limen Interni maris*. Euripides *clauem Ponti nuncupat Bosporum*.

Vnde autem uocetur Bosporus, etsi omnibus clarum a bouis meatu, tamen dubium controuersumque inter uetustissimos scriptores est quænam bos illa fuerit, et qua transierit. Quod non tantopere quærendum putarem, nisi hoc perspicuo facto plane intellegere non possumus ubi locus appellatus Bos, siue Damalis, ubi Chrysopolis. Poetæ tradunt Io Inachi filiam, mutatam in bouis speciem ira Iunonis fretum hoc transiisse, ex eoque Bosporum appellatum fuisse. Polybius addit transiisse ex Europa ad locum sua ætate nuncupatum Bouem. Arrianus [...] ex quorumdam sententia [...] adiungit, aliam bouem fuisse, quæ huic freto *nomen dederit, quam dicit Phrygibus urgentibus [...] incolumem transiisse fretum positum inter Chalcedonem et Byzantium [...], ducemque [...] [16] illis exstitisse [...]*, quibus *diuinum oraculum [...] datum erat, ut bouem transitus ducem facerent [...]*. Cui obtemperantes *incolumes transierunt. Huiusque meatus monumentum tradit [...] esse bouem æream [...], excitatam a Chalcedonensibus [...], locumque illic [...] esse, qui usque ad [...] suam ætatem forsitan ex hac [...] appellaretur Damalis*. Sed ubi fuerit locus Bos siue Damalis dictus, postea suo loco ostendam. Dionysius Byzantius adfert *quosdam [...] tradere, bouem æstro stimulatam, ad [...] promunturium, in quo postea conditum est Byzantium, delatam, traiecerisse meatum medium, ex eoque hunc Bosporum, illud Bosporium nominatum fuisse*. Alii uero testantur ideo sic nuncupatum, *quod omne fretum appellare olim solerent bosporum. Nonnulli [...] scribunt accolas, si quando olim [...] hoc fretum traicere uellent, rates alligasse adiunctis bobus [...], atque ita traiecerisse, ex eoque nomen adeptum fuisse [...]. Nymphis [...] tradit Acarionem<sup>10</sup> historiæ mandasse Phryges [...] traicere uolentes [...] nauem ædificasse [...] bouis caput in prora habentem*. Hæc quidem ex antiquissimis scriptoribus adtuli, ut cognoscatur num uere recentes scriptores tradant, inter quos Ioannes Antiochenus [...], qui scribit a *Byzante [...] conditore Byzantii bouem in hoc fretum immissam traiecerisse ad Chrysopolim, ex eoque Bosporum appellatum fuisse*, cum Byzas nepos fuerit Ious, quæ antequam Byzas nasceretur, hunc canalem traicerat.

### *De Bospori principio et fine, et de eius longitudine*

#### CAPVT II

HERODOTVS Bosporum Thracium scribit *longum [...] esse centum et uiginti stadia*, sed loca unde incipit et desinit, non explicat. Poly-[17] bius similiter longum esse dicit, et loca quibus terminatur nominat, nempe ex parte Ponti Fano nuncupato, ex parte Propontidis Chalcedone. Sed fani nomen non declarat, Iouisne, an Dianæ, an Neptuni, nam horum trium fana ponuntur in Ponti introitu. Sed Menippus et Arrianus, in suis *Periplis Bithyniae*, id fanum nominant Iouis Vrii et ponunt in Asia, eamdem Bosporo longitudinem dantes a fano Iouis Vrii ad Chalcedonem. Similiter Pomponius Mela, oram Bospori Asiaticam persequens, tradit

---

<sup>10</sup> Acarionem : Andronem *leg.*

*templum [...] in Ponti ore positum, auctore Iasone ædificatum, cui numen<sup>11</sup> esset Iupiter [...], ex eoque templo, dicit, sese ingens Pontus aperit. Quem, Herodoto teste, ut uideret Darius apertum, profectus est ad Cyaneas [...] Planctas nuncupatas [...] a Græcis, ubi in Fano sedens [...] contemplatus est Pontum [...] mirabilem. Ex quibus dubium cuipiam uideri possit, an fanum Iouis fuerit in Cyaneis petris, cum etiam Dionysius orbis terræ scriptor tradat ex ore Bospori Thracii, ubi fama est [...] petras Cyaneas errantes per altum inter se concurrisse [...], mare multum [...] aperiri. Sed ingens Pontus non modo ex insulis Cyaneis sese aperit, uerum etiam ex fano Iouis, quod etiam hodie' Iepòv Græci appellant, posito intra Bosporum distante ab insulis Cyaneis quadraginta stadia. Atque adeo Pontus patescit a loco Bospori longe interiori, distante a Cyaneis plus sexaginta stadia, quem Dionysius Byzantius appellat Clauem Ponti, ubi dicit *Pontum eminentibus promunturiis tectum* incipere aperiri, *nullo impediente amplius uerum aspectum maris*, Symplegadasque appelatas olim fuisse flexiones multiplicium promunturiorum, itaque Cyaneas [18] petras esse non modo insulas nuncupatas Symplegadas, sed etiam rupes cingentes litora Bospori, et radices promunturii, ubi hodie spectatur Fanum, ex quo Darius contemplari potuit Pontum longe lateque.*

At Fanum nuncupatum alibi, quam ubi hodie exstat, non fuisse uidetur ex Strabone. *Distant, inquit, fanum Byzantiorum et fanum Chalcedoniorum* a Cyaneis insulis uiginti stadia, quorum alterum fuit Iouis Vrii, alterum Sarapidis. Quamobrem in sinu quem Græci huius ætatis appellant Dios Acra<sup>12</sup>, fanum Iouis fuisse uideri potest, præsertim cum supra id, quod nunc uocant' Iepòv, Bosporus pergit angustus ultra duo milliaria, nimirum usque ad Dios Acra<sup>13</sup>. Sed ut ibi aliqua Iouis ara fuerit, tamen templum Iouis Vrii, terminus Bospori ab auctoribus celebratus, illic non fuit, et erratum esse in Straboniano codice, uel ex ipsius Strabonis uerbis liquet, cum ait apud templum Byzantiorum et Chalcedoniorum fretum *strictissimum* esse totius Bospori, id quod non est apud sinum nuncupatum Dios Acra<sup>14</sup>, tum magis ex Arriano tradente *Cyaneas [...] quadraginta stadia* distare *a fano Iouis Vrii, ubi idem totius Bospori os strictissimum esse dicit, ibidemque esse ostium Ponti* addit. Philostratus et Dionysius Byzantius dicunt esse quattuor stadiorum, at obiicietur Polybius, scribens Fanum Iouis *distare ab Europa duodecim stadia*. Obiicietur etiam Procopius, tradens Asiam atque Europam *circum Abydum et Sestum prope inter se accedere [...], iterumque [...] circa Byzantium et Chalcedonem usque ad petras Cyaneas olim appellatas, ubi [...] Fanum nunc ita appellatum. In his enim locis decem stadio-[19] rum interuallo, eoque minus, utraque continens separatur ab altera*. Quibus obiectis respondendum est non intellegere Polybium de latitudine Bospori, sed de distantia Fani ab Europa. Fani enim arx sita fuit in supercilio promunturii, ubi etiam nunc castrum est, quod uulgs etiam Græcorum nominat' Iepòv, id est Fanum. Aut si intellegit Fanum iuxta litus Bospori situm, codicis Polybiani erratum esse, aut ipsum errare dicemus. Procopium prorsus a uera mensura aberrare, siue intellegit de interuallo inter Cyaneas sito, inter quas fretum intercedens ex Strabone et meo iudicio patet in latitudinem uiginti stadiorum, siue intellegit Cyaneas cautes cingentes Bosporum et promunturium nuncupatum Fanum, ubi scriptores longe antiquiores dicunt dumtaxat quattuor stadia latas esse angustias. Supra quas eminent duo castella, alterum ex Asia, alterum ex Europa, quæ Græci usque ad hanc diem uocant' Iepòv, ubi antiqua fana fuisse cum ex antedictis

<sup>11</sup> numen : nomen 1561.

<sup>12</sup> Dios Acra : Dios sacra *edd.*

<sup>13</sup> Dios Acra : Dios sacra *edd.*

<sup>14</sup> Dios Acra : Dios sacra *edd.*

adsequor, tum ex meis oculis et pedibus, quibus infra ostendam ab ultimis Bospori faucibus inter Chalcedonem et Byzantium sitis, ad castella Iepā, esse centum et uiginti stadia.

Quorum situs ostendit nullum locum in Bosporo tam aptum esse ad obsidendas Bospori fauces, quam locus ubi hodie Iepōv dicitur, eiusmodi qualis a Polybio describitur. Fanum esse locum natura munitissimum situm *in Ponti ostio [...], quem Byzantii [...] ingenti pecunia mercati fuerunt, opportunitate loci pellecti [...], ne ullam cuiquam commoditatem relinquenter [...] in Pontum uel ex Ponto nauigandi*, nisi id cum uoluntate faceret Byzantiorum. Is locus si ad superiorem Ponti introitum [20] intercurrentem inter Myrilium et sinum nuncupatum Dios Acra<sup>15</sup> fuisset, ubi Bosporus largior et multo rapidior, et undique fere rupes præruptæ, non tam ipsi alios impeditissent quam semetipsos, non habentes neque commodum accessum, neque portum. Adde quod hostibus commoditatem reliquissent muniendi promunturium quod Fanum etiamnum appellatur, natura munitissimum, ad cuius radices fretum est angustissimum totius Bospori. Adde etiam hoc promunturium plenum ruinis retinere adhuc uestigia ueteris oppidi, in cuius summo etiam nunc exstat castrum muris cinctum, quod Turcorum præsidio diligenter custoditur, oppositum oppido Europæ similiter in ruinis iacenti. Quod cum Byzantii tenerent, situm e regione fani Asiatici, ab Strabone nuncupati Chalcedonici, perspexerunt commodissimum esse utrumque tenere ad occupandas introitus Pontici fauces angustas, utrimque portum habentes, olim catenis claudi solitas, quæ usque ad hunc diem in arce fani Asiatici seruari dicuntur, quod distat a pharo huius ætatis quadraginta stadia, cui uicinas insulas Cyaneas infra ostendam. Ex quibus plenius liquebit Fanum hodie nuncupatum esse illud Louis Vrii fanum antiquissimum, quod Polybius, Herodotus, Menippus posuerunt finem Bospori. Quos miror non ulterius posuisse saltem duo milliaria, usque ad sinum Dios Acra<sup>16</sup> appellatum, quo usque canalis Bosporius pergit angustus, ubi non multo latior alicubi quam ad angustias Fani, quam etiam rectius finem Bospori ad Cyaneas insulas posuissent, ut Dionysius Byzantius et alii plerique, inter quos Strabo. *Cyaneæ*, inquit, *in ore Ponti* [21] sitæ, *duæ perparuæ sunt insululæ*, quarum *altera Europæ propinqua, altera Asiae, diuisa inter se freto lato uiginti stadia*, cui consentit Dionysius orbis terræ scriptor.

Sed siue Bospori initium sit a Cyaneis insulis, siue a fano Louis, longitudo quam Strabo adtribuit Bosporo dissentit ab aliorum longitudine. Nam si initium sit a Cyaneis insulis, quas Strabo dicit distare a Fano uiginti stadia, non conuenit cum Arriano, neque cum meo iudicio. Illas enim Arrianus dicit distare quadraginta stadia a Fano. A quo si Bosporus incipit, Strabonis mensura iusta non est, quam ponit hoc modo. *Cum*, inquit, ex angustissimo freto intercidenti inter duo Fana processeris [...] decem stadia [...], obuiam sese offert fretum [...] coartans Bospori fauces in quinque stadia, cum ab angustiis Fanorum ad alteras angustias, quæ sunt ad Hermæum promunturium, sint amplius quinquaginta stadia, id quod ipse mensus sum. Et Herodotus confirmat : Darius, inquit, ponte *Bospori* [...] transitum *coniunxit* ad eum *locum [...]*, qui *est mediis inter [...]* Fanum et Byzantium. Locumque, ubi pons iunctus est continuatis nauibus, Polybius appellat Hermæum promunturium, a quo usque ad Byzantiorum Cornu nuncupatum Strabo non absurde quadraginta ponit stadia, si recte dimensus sum. Et priusquam dimetirer, collegeram ex Sozomeno. A promunturio, inquit, nuncupato Hestis ad Constantinopolim *nauigatio* est *circa triginta [...]* stadiorum, a promunturio Hermæo ad promunturium Hestias recta nauigatio excedit milliare, ex quo patet a fano Louis ad Cornu Byzantiorum stadia esse amplius nonaginta. At ex Strabonis mensura essent dumtaxat sexa-[22] ginta, cum a Byzantio ad Fanum ex antiquioribus Strabone scriptoribus stadia constet esse centum et uiginti, a quibus mensura codicis Pliniani etiam ab Hermolao emendati dissentit. *Bosporus*, inquit, *D. pass. inter uallo Asiam Europæ [...]* auferens, *abest a*

<sup>15</sup> Dios Acra : Dios sacra *edd.*

<sup>16</sup> Dios Acra : Dios sacra *edd.*

*Chalcedone XII.M.D. pass., inde fauces primæ VIII.MDCCL.<sup>17</sup> pass. ubi Phinopolis<sup>18</sup>. Si errores ibi non sunt notularum numerariarum, ut esse longitudinis non uidetur Hermolao, certe mihi errare uidetur ponens XII.MD. pass. a Chalcedone ad angustias Bospori largas D. pass. Siue eas intellegit esse in Hermæo, ut intelligere uidetur alio loco. *Angustiæ*, inquit, *Thraciæ Bosporus*<sup>19</sup> appellantur *latitudine D. pass.*, *qua Darius pater Xerxis ponte transuexit copias*. At, ut iam dixi, Strabo ab angustiis Hermæi promunturii ad Cornu Byzantiorum ponit quadraginta stadia. Herodotus ab his angustiis ad Chalcedonem milliaria designat circiter septem et quingentos passus, cum *locum, ubi [...] Darius pontem fecit [...], medium esse* dicit *inter [...] Fanum et Byzantium*, unde fauces primæ non abessent a Chalcedone octo milliaria. Siue Plinius intellegit angustias Fani, tum enim magis fallitur, nam ex Polybio a Fano ad Chalcedonem sunt centum et uiginti stadia. Quod autem addit, ab his angustiis ad *fauces primas [...], ubi Phinopolis* est, VIII.MDCCL<sup>20</sup>, designat fauces prope Cyaneas. Cum dicit ibi esset Phinopolim, quam alio loco dicit esse *iuxta [...] Bosporum*, aberrare uidetur, nam siue a promunturii Hermæi angustiis intellegit (sunt amplius XII. milliaria ad Cyaneas), siue a Fani angustiis, quas Arrianus tradit distare a Cyaneis quadraginta stadia. Sed quid diutius me [23] torquet Plinii inconstantia, qui alibi non ueretur scribere Cyaneas distare ab ostio M. XIV., ab Europa M. D., quæ profecto non distant ab Europa plus octoginta passibus Romanis, neque ab ostio, etiamsi eius initium sit a fano Iouis, amplius quinque milliaribus.*

Verum illi non ferendi, ignorantes initium et finem Bospori, quos designat Eustathius : *Thracicum[...], inquit, Bosporum [...] alii [...] dicunt esse angustias [...] Anapli nuncupati*. Ego uero postea ostendam Anapolum esse prope Hestias promunturium. Deinde adiungit Eustathius *diligentius* perfectiusque *tradere qui dicunt supra Chalcedonem esse os Ponti, ubi etiam sunt maxime<sup>21</sup> angustiæ*. Nempe designat angustias quas dixi unas apud promunturium Hermæum, alteras ad fanum Iouis. In quo errore cognoui esse nonnullos Byzantios illic existimantes Bosporum dici, ex eo quod boues ultro citroque transire solitos sæpe uiderint. Plinius similiter angustias Bospori proprie Bosporum appellare uidetur, cum ait, *Bosporus D.P. inter uallo Asiam Europæ [...] auferens abest a Chalcedone XII.MD.P., inde fauces primæ*. Nam quod Xenophontis codices, tam editi quam nondum editi, habeant Chrysopolim Asiæ urbem extra Ponti ostium sitam esse, sic enim Græce est ἔξω τοῦ στόματος, sed existimo legendum ἔσω, uel εἴσω τοῦ στόματος, cum omnes geographi intra Bosporum constituunt Chrysopolim, quæ in penitiore Bosporo est quam Chalcedon et Byzantium urbes ab omnibus principibus geographis in Bosporo constitutæ. Itaque miror Herodianum scribere Byzantium *situm [...] esse in angustissimo Propontidis freto*, quod<sup>22</sup> facile pateret si dumtaxat dixisset situm iuxta Propontidem, quod for-[24] tasse etiam Herodiani ætate Byzantium aliqua ex parte, sed minima ex tribus, Propontidem adtingeret. At ex ea parte fretum angustissimum non est, ac potius nullum fretum est, sed lata Propontis. Nescio an imitatus sit Polybium, qui Hellespontum appellat *Propontidis angustias*. Varro *Propontidis fauces* dixit, ubi Xerxes pontem iunxit. At hi etsi poterant appellare Ponti secundas angustias, et fauces tamen recte

<sup>17</sup> MDCCL : MCCL 1561.

<sup>18</sup> Phinopolis : Spiropolis *leg.*

<sup>19</sup> Thraciæ Bosporus : Thracii Bospori 1561.

<sup>20</sup> MDCCL : MCCL 1561.

<sup>21</sup> maxime : maximæ *edd.*

<sup>22</sup> quod : quem 1561, quæ *GGM II*.

appellarunt Propontidis. Nam influit Hellespontum Propontis, at non item in Bosporum, quin nusquam Bosporus rapidior fertur aduersus Propontidem, quam circa Byzantium. In eodem errore est Eustathius, ponens Chalcedonem in Propontide, sic enim interpretatus Dionysii uersum,

Χαλκιδέες μὲν πρῶτα παρὰ στόμα γαῖαν ἔχουσιν,  
τουτέστι περὶ στόμα, ἥγουν περὶ τὴν Προποντίδα, cum potius interpretari Bosporum debuissest. Similiter labitur Priscianus, sic eumdem uersum Latine reddens :

*Sunt Chalcedonii primi post ostia Ponti,*

contra Herodoti, Polybii, Strabonis, et reliquorum summorum scriptorum sententiam, qui intercedens fretum inter Chalcedonem et Byzantium appellant Bosporum. Dionysius Byzantius, antiquissimus Bosporici *Anapli* scriptor, promunturium, in quo situm est Byzantium, appellat Bosporum, ex eo quod bos illa, quæ nomen dedit Bosporo, ex hoc promunturio transierit in Asiam.

Sed quam interdum geographiæ neglegentes fuerint etiam insignes grammatici, cum ex aliis perspexi, tum ex Eustathio et Prisciano, tum maxime ex Ioanne Tzetze, qui Bosporum Thracium appellandum esse Hellespontium, et totam Propontidem Hellespontiam præscribit, magis quam do-[25] cet. Sed quam arroganti licentia, ex ipso loquente cognosce, Bosporus, inquit, *apud nos appellatur Thracius, et Hellespontius, is, qui communis consuetudine Prospchorion uocatur. Disce etiam Hellespontum, unde et quousque tendat. Ex Abydi angustiis, et ex omnibus mediis interiectis, usque ad pontem Blachernarum Hellespontus appellatur, Bebrycium mare in medio positum circumcludens, mareque Heracleæ Thracicæ [...]. Quis autem maris scriptor de Bosporis duobus scripserit, et de Hellesponto ? e turba multorum historicorum haud scio. Tamen Tzetzem ne mentiri in huiusmodi rebus existimes, sed exactius dicere omnibus historicis, et magis memoriter quam quisquam uiuentium.* Quis talem Græculam uanitatem, uel potius Abasgicam ferat ? Profitetur se nescire quis e multis historicis scripserit de Bosporo et, cum hæc nesciat, tamen adseueranter adfirmat se omnium optime scire, quis sit Bosporus et Hellespontus. De quibus cum nihil doceat, sed tyrannice præscribat pauca, et in his paucis a seipso dissentit. Hellespontum enim dicit appellari omne mare quod intercedit inter Abydi angustias et pontem Blachernarum, hoc est totam Propontidem et partem Bospori. Cur Hellespontum finit ad pontem Blachernarum ? cum prius definierit Bosporum Thracium appellari Hellespontium, etiam in mediis angustiis ubi Darius pontem iunxit. Quid causæ hunc mouerit ? Cur tam temere Bosporum præscripserit, dicam ne, an iusserit Hellespontium esse appellandum ? Non reperio, nisi forte in Homero legerat πλατὺν Ἑλλήσποντον.

At Eustathius exponit Hellespontum angustum esse inter [26] Sestum et Abydum, latum uero ad Sigæum et Rhœtium promunturia. Dionysius Alexandrinus Æolidem regionem sitam esse dicit *supra magnum Hellespontum*, unde aliqui interpretati sunt Hellespontum sibi partem uicinam maris Ægei uindicare, partemque Propontidis at propinquam. Alii, Tzetzæ similes, πλατὺν καὶ μέγαν Ἑλλήσποντον minus recte interpretati sunt *totam Propontidem*, ut ostendam in tractatione Propontidis. Nam Eustathius cum uno loco ait *Propontidem [...] esse os Ponti*, corrigendus esset, nisi alio loco resipiscere uideretur, cum inquit, *exactius et emendatius dicunt, qui tradunt os Ponti esse supra Chalcedonem*, ut tradunt omnes historici, geographi, poetæque Dionysius Alexandrinus et Apollonius Rhodius, qui omnes ut partiti sint Hellespontum et Propontidem, alias dicam, ut uero Bosporum terminarint, iam dixi.

Cuius de initio et fine quid certissimum habeam, si quis meam sententiam forte requirit, dico, non modo ex capitib[us] sed etiam ex pedum sensu, initium Bospori a Cyaneis, non a Fano, mihi uideri, intuenti a promunturio phari, cui proximæ sunt Cyaneæ insulæ Europææ, ad promunturium Asiæ contrarium, propinquum Cyaneis Asiaticis, Pontum coartari in fretum latum uiginti stadia, ut tam recte ibi Bosporus uocari debeat, quam a Chalcedone ubi finitur.

Nam ut spatium, quod intercedit inter Chalcedonem et Byzantium, dilatatur in stadia circiter uiginti, deinde sensim in septem stadia stringitur, sic inter Cyaneas fretum interiectum latum est uiginti stadia, deinde sensim stringitur usque ad Myrleanum promunturium in angustias paulo latiores an-[27] gustiis Fani. Sed de Cyaneis copiosius dicetur<sup>23</sup>. Iam de initio Bospori loquor, quod a Cyaneis duci adseueranter adfirmo. Ergo, dicet quispiam, errarunt Polybius, Herodotus, Menippus, atque alii plerique antiquissimi et eruditissimi, qui Bosporum fano Iouis terminarunt? Errasse non dico, sed ita intellegendos censeo, cum id spatii, quod intercedit inter Fanum et Cyaneas insulas, suburbanis duorum fanorum solo freto diuisorum plenum esset ædificiis, hæc omnia tunc Fana fuisse nuncupata, ut nunc eadem loca uocant Ἱερά, atque ipsum os Ponti ab arcibus fanorum ad Cyaneas uulgas uocat Ἱερόν. Ita enim malo intellegere tantos auctores, ut eos reuerear potius quam accusem neglegentiam. Quamuis Polybius id interuallum situm inter fana et Cyaneas excludere ab ore Ponti uidetur, cum ait *a Cyaneis ad fanum Iouis Vrii, ubi est ostium Ponti, quadraginta esse stadia*. Quid enim necesse erat definire, esse os Ponti, ubi est Fanum, cum etiam id sit, ubi sunt Cyaneæ? Similiter Strabo sentire uideretur, cum ait, *Cyaneas [...] inter se diuisas esse freto lato uiginti stadia, tantumdemque easdem distare a fano Byzantiorum [...], quod est [...] strictissimum totius Bospori Thracii*, quodque etiam est *ostium Ponti*, nisi prius dixisset *Cyaneas insulas in Ponti ore sitas esse*. Itaque Polybium similiter ut Strabonem sentire dici conuenit, potius quam accusare neglegentiam metiendi Bospori ueram longitudinem. Quæ si a Cyaneis incipit, longior est quadraginta stadiis, quam si exorditur a Fano, non ut mihi soli uidetur, sed et Arriano scribenti *a Cyaneis ad fanum Iouis Vrii [...] esse quadraginta stadia [...]*, a Fano *ad portum Laurus insanæ [...] quadra-[28] ginta, a Daphne Byzantium octoginta stadia*. Quare miror Dionysium Byzantium scribentem Bospori *longitudinem centum et uiginti stadia* patere, cum insulis Cyaneis is Bosporum terminet, nisi arbitrer ipsum secutum aliorum iudicium, ponentium initium Bospori in Fano, potius quam suum. Aut fortasse erratum est codicis transcripti a nescio quo existimante in Dionysio ita legendum, ut in aliorum scriptorum codicibus Bospori dimensionem legerat. Iam cum ex antedictis liqueat totius Bospori longitudinem esse centum et sexaginta stadiorum, longe errat Zosimus historicus, Bosporum tradens longum *trecenta circiter stadia, et promunturium Fanum nuncupatum, in ore Ponti situm [...], distare a Chalcedone ducenta stadia*. Siue intellegit medium et directum cursum Bospori, siue eius oram terrestrem. Quam ipse, quoad fieri potuit, meis passibus mensus sum, motus tanta auctorum dissensione, quæ me currentem incitauit, ut pedibus semel et nauigatione iterum et sæpius Bosporum perlustrarem. Atque ita metirer a fine Bospori ad promunturium Bosporum plus minusue sex stadia esse. A Bosporio promunturio ad Metopum, fauces sinus Ceratini mensus sum oculis totidem stadia patere. A Metopo ad Fanum pedibus profectus, secundum litus Europæum ambulaui circiter triginta nouem millia passuum meorum, qui deductis flexibus et sinibus aduerti absonam non esse mensuram eorum qui, a Fano ad ultimas Bospori fauces inter Chalcedonem et Byzantium sitas, numerant centum et uiginti stadia. Inde usque ad pharum, ubi Cyanea Europæa, oculo quantum æstimare potui, recte Arrianus nu-[29] merat quadraginta stadia. Pedibus metiri non potui ob præruptum litus rupibus præcipitibus, quamuis litus totum circuire tentauerim constanti quidem nixu, sed inconstanti mensura. Ut enim pedibus manibusque ad uirgulta admittens ascenderam, confestim obiecta rupe præcisa et directa mihi cum periculo descendendum erat.

Sed satis superque de Bospori longitudine, atque de eius principio et fine, quem aliqui ponunt ubi principium exsistit, habentes rationem nauigantium ex Propontide in Pontum,

---

23 dicetur : dicitur 1561.

magis quam naturalis principii Bospori<sup>24</sup> incipientis a Ponto et desinentis in Propontidem. Quod nihil mihi aliud esse uidetur, quam ostia fluminum appellare initia, eorumque fontes finem : ut Cæsar ostia Rheni uocat capita, alii scriptores fluminum fontes nominare solent capita.

*De latitudine Bospori*

CAPVT III

VARIA Bospori latitudo est, ne quis forte seducatur Herodoto aliisque simpliciter præfinentibus Bospori latitudinem quattuor aut quinque stadiis. Ea enim intellegenda est angustissima, ut profecto est duobus locis. Primus est ad fanum Iouis, ubi Arrianus et Strabo aiunt Bosporum angustissimum. Philostratus et Dionysius Byzantius idem sentiunt atque definiunt largum quattuor stadia. Alter locus est ad Hermæum promunturium, quem Strabo et Pomponius Mela dicunt latum quinque stadia. Polybius similiter sentit additque *strictissimum <locum> esse [...] oris Pontici*. Dionysius Byzantius ait quattuor stadiorum. Has utrasque angustias fune mensus essem, nisi suspiciosi [30] accolæ me deterruissent. Sed tamen quantum oculis iudicare poteram, mihi uidebantur eadem fere latitudine, dimidio quidem artiores, quam Hellesponti, tametsi Lucanus Hellespontias aut artiores, aut non minus artas designare uidetur his uersibus,

*Threiciasque legit fauces, et amore notatum  
æquor, et Heroas lacrimoso litore turres,  
qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle.  
Non Asiam breuioris aquæ disternat usquam  
fluctus ab Europa, quamuis Byzantium arto  
Pontus, et ostriferam<sup>25</sup> dirimat Calchedona cursu.*

Hæ Bospori solæ duæ angustiæ sunt notatae litterarum monumentis. At piscatores nostræ ætatis alias ponunt angustias, unas quidem a promunturio Europæo nuncupato Hestiis ad litus Asiaticum, quod uulgo uocatur Cechrium<sup>26</sup>, easque piscatores nonnulli testantur tam angustas esse, quam ad Hermæum promunturium. Alias angustias definiunt piscatores inter promunturium Argyronium et Milton, quas tam angustas inquiunt, quam ad fanum Iouis. Evidem ipse alias animaduerti angustias inter Coracium promunturium et portum Lyciorum, alias inter promunturium Clidium et litus contrarium, uicinum uico Stauro nuncupato.

Reliqua Bospori latitudo uaria est, sed uix usquam excedit duodecim stadia, nisi ubi in aliquos sinus dilatatur, atque ubi principium est, inter Cyaneas latum uiginti stadia, et finis inter Byzantium et Chalcedonem, quem Polybius dicit *patere [...] in longitudinem<sup>27</sup> quattuordecim stadiorum*. Antoninus Pius in suo *Itinere* traiectum ait a *Byzantio [...] ad Chalcedonem esse quattuor mille pas-[31] suum*. Plinius *Chalcedonem [...] scribit distare Byzantio septem stadia*. Idem alio loco, pelamidum, inquit, *omnis captura Byzantii [...], magna Chalcedonis penuria M. pass. interfluentis medii euri*. Sic enim legebatur ante castigationem Hermolai. At is legendum censem D. aut DC. et Strabonem adfert id interuallum tradere πεντέσταδιον, quasi uero dumtaxat de loco Bospori angustissimo intellegi possit, quasi uero, ut Plinius ait, ex eo loco territi pisces saxi aspectu miri candoris peterent

<sup>24</sup> Bospori : Bosporici 1561.

<sup>25</sup> ostriferam : ostriferas *edd.*

<sup>26</sup> Cechrium : Cecrium *edd.*

<sup>27</sup> longitudinem : latitudinem *leg. ?*

Byzantium. At locus ubi fuit hoc saxum non fuit in euripi angustiis quinque aut quattuor stadiorum sed, ut infra ostendam, in traiectu lato plus minusue mille passibus. At enim quantum oculis æstimare potui, euripus intercedens inter Chalcedonem et Byzantium non adtingit duodeuiginti stadia. Dionysius Byzantius canalem Bospori intercurrentem inter promunturium nuncupatum Bouem siue Damalim, et *contrarium [...] promunturium Bosporum [...] nominatum*, in quo Byzantium situm est, scribit latum esse *septem stadia*.

*De figura Bospori et de eius decursu certo quidem, sed multiplici*

CAPVT IV

QVÆ Bospori figura, quie decursus, an continuatus a principio ad finem decurrere persevereret, an interdum intermittat defluere, qui flexus, qui sinus, utrum canalis per planitiem an inter montes, rapidusne sit locorum angustiis an obiectionibus promuntiorum, quodnam eius litus præceps et præruptum, et quod planum, iam declarare conabor.

Bosporus non rectus procedit, sed [32] flexuosus, ut scribit Apollonius Rhodius et Eratosthenes σκολιός, at quomodo non scribunt. Progreditur enim non Mæandri more aut aliorum fluminum, quæ recuruis et tortuosis flexibus feruntur, non aptis ad nauigandum. Sed ita ipsum natura incuruauit ut, subinde ad parallelas promunturium eminentias fractus, per multosque anfractus retentus, sedatior mearet aptiorque ad nauigandum decurreret, undique montibus cinctus. Vnde fit, ut non modo triginta portus nobiles habeat, sed totus fere portuosus sit. Qui si planicie cingeretur aut rectus pergeret, ualde ad nauigandum incommodus esset, at per anfractus portuosos amplos pergens, ad formam normæ, ad nauigandum commodissimus habetur. Ut enim norma fabrilis constat regulis duabus, ita iunctis capitibus duobus et diuaricatis alteris capitibus, ut rectum angulum efficiant, ita Bospori decursus ex Ponto exiens, a positione cæli media inter orientem solstitialem et septentriones ad hibernum occasum directo cursu procedens amplius duo millaria, primum latus anguli normalis efficit ad sinum Bathycolpon nuncupatum, a quo flexus ad orientem hibernum recto itinere pergens in longitudinem paulo amplius duorum milliarium alterum latus normæ complet. Exinde alio facto angulo normali accedit ad promunturium Hermæum circiter tria millia passuum Romanorum ad occasum uersus. Inde a septentrionibus ad meridianum cardinem, a regione cæli media inter septentrionem et ortum solstitialem ad occasum hibernum peruenit Byzantium, unde a septentrione ad meridiem rapitur in Propontidem. In summa, ab initio [33] ad finem septem facit anfractus non modo Bosphorus canalis, sed litus etiam utrimque canalem cingens.

Hi septem anfractus alterni retundunt alternas septenas rapidas confluentis percussionses, et retrouquent in contrarium litus. Primus decursus effluentis Bospori ab initio rectus defertur in Europam, ad locum appellatum petram Dicæam, alter in Asiam ad locum Glarium nuncupatum, tertius in Europam contra Hermæum promunturium. Non igitur *decursus* Bospori a Ponto ad Hermæum promunturium *similis est ob similitudinem*, ut Polybius ait, *locorum utrimque* Bosporum adtingentium, cum iam uiderimus ob similitudinem duos decursus confici ultra promunturium Hermæum diuersos a communi decursu Bospori, id quod ego iterum et saepius uidi, et piscatores testantur. Atque Dionysius Byzantius inter Dicæam petram et promunturium Hermæum ponit Ὁξύρρονν καὶ περίρρονν, promunturia ita nuncupata a uehementi defluxu Bospori. Quartus decursus defertur in Asiæ promunturium uulgo nominatum Moletrinum, quintus in Europam, ad promunturium Hestias<sup>28</sup>. A quo

---

28 Hestias : et 1561.

uiolenter reiectus ita fertur in Asiam ut, exiliter deinde repulsus ab Europa, iactetur<sup>29</sup> fluctuans iuxta Asiam, primo ad utrumque promunturium claudens uicum Chrysoceramum, postea ad promunturium dictum Bouem, siue Damalim. A quo septimus repulsus rapidus fertur ad promunturium Bosporum, siue Byzantium, nuncupatum. Cuius mucrone *discissus [...] diffilit in duas partes, quarum rapidior præcipitat in fretum ad Propontidem uersus, altera debilior exsilit in sinum Cornu appellatum.* Hi septem decursus flu-[34] ctuum adeo impetu rapido feruntur, ut remos præternauigantium ui rapiant molasque uersare ualeant, ut nouem locis moletrina constitui possint, neque tantum molas uersent<sup>30</sup>, sed et naues remis et uelis impulsas retardent et longe retro interdum conuertant, atque adeo pisces ipsos, et cancros, a celeritate nominatos equites, iter terrestre inire cogant. In ceteris locis defluxus Bosporici feruntur similes *ob similitudinem locorum ex utraque parte canalem adtingentium, quibus similibus utriusque continentis contractus fluuii in modum descendit.*

Vnde autem fiat, ut hi septem decursus defluxionis Bosporicæ sint rapidiores ceteris fluctibus et, efferuescentes in terram cum litus attigerint, referuescant et reuoluantur identidem ? Profecto id fieri existimo, non tam locorum angustiis, ut quidam putant, quam anfractibus promunturiorum obiectorum, quibus ut refractus retardatur, sic angustiis procliuior incitatorque labitur. Si enim angustiis locorum id fieret, rapidior esset apud fanum Iouis, at ibi rapidus non est ob directum canalis alueum. Nam primus anfractus, et ultimus, patentes in latitudinem circiter milliaris, non tam angustiis utriusque continentis refringuntur, quam obiectione promunturiorum fluctus reiicientum in contrarium litus, ut ab Hermæo promunturio tamquam ictu quodam repulsus in opposita Asiæ loca recidat, illinc rursus reuertens, ad promunturium Hestias fertur, a quo refractus incurrit in locum Bouem. Tantoque impetu hi anfractus retorquentur, ut non modo undarum partem maiorem et uiolentiorem deorsum detrudant, sed etiam debiliorem et communem Bospori decursum [35] sursum uersus recurrere cogant. Vidi etiam reflante uento reiectos fluctus a promunturio Bosporio per uortices ferri ad Hestias, uersus promunturium ubi collectatio quædam uorticosa uidetur contrariorum fluctuum, aliorum descendentium, aliorum ascendentium. Sic enim undarum cursus fertur contra promunturium Bosporum, ut et fluuios ingredientes sinum nuncupatum Cornu, et fluxum Bospori illuc reiectum exire non permittat, sed cogat eos ascendere ultra tria milliaria, id quod percipitur etiam oculis uulgi, cum flumina sinum Cornu ingressa, turbida ex multis pluviis, non possunt subire cursum fluxus delati a loco Boue nuncupato ad promunturium Byzantium, ubi uidentur aquæ turbidæ ascendentes amplius stadia quindecim, diuisæ a decursu fluxus clari et cœrulei descendentí a promunturio Hestiis, ad quod decursus rapidus quidem defertur, sed paulo infra multis uorticibus circumfertur ob rejections aliorum promunturiorum. Itidem fluxus ad promunturium Asiæ, quod uulgo uocant Moletrinum, etsi adsiduo et rapido cursu deiicitur, ut eius murmur circumsonans audiatur, tamen paulo infra uarie et multipliciter reuoluitur ob repulsiones contrariorum fluctuum.

Itaque duplii cursu ferme usque ad fanum Iouis fluxus Bospori mouetur, uno quidem deorsum uersus depulso<sup>31</sup> a locorum angustiis et rejections promunturiorum, altero<sup>32</sup> sursum reiecto a uiolenta fluxus descendentis et coercito sinibus et flexibus. In summa, quos dixi promunturiorum et fluctuum, anfractus septies cursum communem Bospori sistunt, et uiolenter coercent, ut cogant ipsum retrorsum currere. Ni-[36] mirum primus decursus, contra

<sup>29</sup> Asiam ut, exiliter ... Europa, iactetur : Asiam, exiliter ... Europa, ut iactetur *leg.* ?

<sup>30</sup> uersent *add. GGM II.*

<sup>31</sup> depulso : depulsus *edd.*

<sup>32</sup> altero : alteri 1561.

petram Dicæam olim nuncupatam delatus, retundit fluxum Bospori communem in Bathycolpon sinum ita nominatum, usque ad Scletrinum sinum. Secundus a promunturiis Asiæ, quorum unum appellat Dionysius Ὀξύρρουν, alterum περίρρουν, repulsus decursum repellit communem in sinum Soltanicum dictum, usque ad promunturium Turcicum nominatum. Tertius a promunturio Hermæo reiectus reiicit in promunturium Phidaliæ, usque ad Comarodes, quartus a promunturio Moletrinario in sinum Anapli appellatum, usque ad promunturium Amanolum, quintus a promunturio appellato Hestiis in sinum τῶν Χηλῶν, ad Neocastrum usque. Sextus et septimus refracti a Damalico et Bosporio promunturiis reiiciunt defluxum debilem ad loca superiora, ad promunturium Hestias uersus. Hæc quidem multa adtuli, ut planius percipientur Hipparchi perpaucæ uerba, sed multi momenti. Is enim narrat Bosporum, etsi *solum defluxum [...] habeat*, et non refluxum, tamen μονὰς ποτὲ ποιεῖσθαι, hoc est mansiones facere, stare, subsistere.

Ex antedictis iam facile cognoscimus Mæotim esse matrem Ponti, et Pontum Bospori patrem et Propontidis, et Hellesponti, contra Procopium scribentem *duo maria [...], Αἰγαῖον et Εὔξινον nominatum Pontum, coire inter se ad Byzantii partem orientalem*; contra etiam eos qui asserere audent illorum originem esse a freto Gaditano, per quod dicunt mare ingrediens *nusquam desinere, quoad in [...] Colchos peruerterit*. Nam quod, ut ipsi etiam fatentur, *effluxus [...] Ponti uelut fluuius descendant ad urbem Byzantium, dicunt nihil ad rem referre, omnibus enim fretis affectio-[37] nes accidere solitas esse, quæ nulli rationi perspicuae uidentur, quas nemo [...] unquam explicare potuit, ne [...] Aristoteles quidem [...] ratiocinationis naturalis princeps*. Qui *huiusce rei causa ad Chalcidem Eubœæ [...] profectus, Chalcidici freti, quod Euripum nominant [...], rationem naturalem exactissime scrutari uolens [...]*, cum *diu [...] multumque huius cursus instabiles et uagos considerasset, misere mortuus est*. Maxima pars scriptorum tradit hunc Euripum septem cursus in die definire totidemque referre. *Quid, Cicero inquit, Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius ? T. Liuius contradicit uentosque adfert ab utriusque terræ præaltis montibus subitos ac procellosos [...] deiici, fretumque ipsum Chalcidici Euripi ciere, eiusque motum non septiens die, sicut fama fert, temporibus statis [...] reciprocari, sed temere in modum uenti nunc illuc uerso mari, uelut monte præcipiti deuolutum torrentem rapi*.

Evidem in Chalcidem cum uenissem, Liui sententiam probare non poteram, cum nullo flante uento certis temporibus contemplarer modo ferri ab ortu solis, modo ab occasu, tanto impetu ut uento contrario et plena nauigia contra nauigantia secum asportaret. Molasque multas ab eo uersari uidi, aliquot horas ab ortu ad occasum solis, aliquot ab occasu ad orientem. Cum autem ipse a moletrinariis, qui ex molarum motu accessum et recessum omnium maxime animaduertere habent necesse, percunctatus essem, quoties et quot horas nunc huc, nunc illuc conuerterentur molæ, responderunt communiter intra uiginti quattuor horas cursum quater mutari solitum esse, sex horis ab una [38] parte accedere, totidem ab altera recedere. Cum autem adiungere inciperent, esse quædam tempora cum has certas uices non obseruaret, et ipse nimium attento uultu et animo excipiens illorum sermonem, et rei ueritatem scire cupiens, quænam essent illa tempora inquirere adgressus, deprehensus a quibusdam coryceis et repente correptus, ut explorator aliquamdiu in custodia retentus sum.

*Iam in freto diuidente Italiam a Sicilia multa præter rationem fieri solent. Videtur enim ex mari [...] Adriatico fluxus illuc accedere [...] et ex mari Tyrrheno. Sed [...] hoc repente crebres uortices a nulla nobis perspecta causa ciere et naues perdere [...] perspicitur, propterea quæ a poetis dicuntur a Charybdi absorberi [...]. Qui uero dicunt in freto [...] Siculo multa fieri præter rationem, iidem putant plurima eiusmodi præter rationem fieri in omnibus fretis, ex proxima utrimque terra [...], cuius angustiis aiunt cursum fluxus in [...] quasdam necessitates cogi [...] rationem non habentes. Quamobrem etsi fluxus a fano [...] Iouis ad urbem Byzantium uidetur ferri, tamen nemo, inquiunt, recte asseret mare Αἰγαῖον et Pontum illuc desinere, quorum opinionem confirmare uidentur piscatores nostræ ætatis piscari*

in Bosporo soliti. Hi enim testantur Bosporum immenses gurgites et uoragini habere, *neque omnino totum [...] Bospori fluxum abire Byzantium, sed eius quamdam partem superam* et summam, hominum oculis *perspicuam [...] ex Ponto deferri Byzantium uersus, alteram uero partem inferam [...] adtingentem uadum, contra [...] decursus superi et summi fluctus procedere [...] id quod ipsi se colligere dictitant ex eo quod, postquam [...] retia [...] deiecerunt in profundam altitudinem, [39] semper ab imo fluxu asportata feruntur sursum ad Fanum uersus.* Vidi tempestatibus nauigia demersa nusquam exstisset neque eorum uestores, quod argumento est fretum hoc quosdam abyssos et uoragini habere, in quarum altitudinem contrariis fluctibus præcipitia agantur eaque demergantur. Sed de his ut quisque uolet, iudicet.

Ego tamen Pontum per Bosporum in Propontidem non modo decursus perpetuos medii aluei tenere, sed etiam ad certos anfractus conuersiones perpetuas sempiternasque conficere cum ex antedictis percipio, tum ex illis causis quas, ut probent paludem Mæotidem exsiccandam esse et Pontum conuersum iri in paludem, quidam adferunt, nimirum multitudinem fluminum exaggerantium, differentiam uadorum. Ex his enim causis Pontus mihi potius adsiduo decursu defluxurus per Bosporum, quam aut Mæotis in terram, aut Pontus in paludem conuertendus esse uidetur. Dicunt enim, permeantium in alueos flumen multitudine cum humor continenter augeatur, nec aliunde exitum habeat, necesse fore excrescat, ut tandem efferri per ostia cogatur, propterea que cæni arenæque et reliquæ materiæ multitudine, quam continenter innumeri amnes defluentes in Mæotidem et Pontum deuehant, adeo alueos Mæotidis et Ponti complendos esse, ut superfluere humorem, et per ostia exire futurum sit necesse, tandemque Mæotidem in terram, et Pontum in paludem conuersum iri. Nam *quod ad Mæotidem pertinet [...], Aristoteles tradit eius uadum exaggeratione eorum, quæ adsidue deferuntur a fluminibus excreuisse, ut naues [...] sua ætate multo minores quam anno ante sexagesimo quæ-[40] stus gratia<sup>33</sup> in Mæotidem ingrederentur.* Mæotis enim, ut Polybius ait, iam *repleta [...] est, et altissima eius pars quinque, uel ad summum septem ulnis* altior non est. Miror intra sexagesimum annum maiorem exaggerationem factam esse, quam abhinc ætate Aristotelis et Polybii. Nam nautæ nostræ ætatis testantur similiter adhuc habere septem ulnas.

Quid quod ratione qua demonstrare conantur Pontum ex accumulatis fluuiorum coarceruationibus replendum esse ? Eadem probare possemus mare Internum ex Ponti perpetuo influxu exaggerandum esse. Nam quod dicunt uadum Ponti minus altum quam maris Ægæi, idcirco tardius Pontum existimo paludem fore, quam si magna altitudine esset. Nam ut flumen lubrici congestus adsidui Ponticum uadum sublimius reddiderint, sic Pontus in sublime elatus declivior delabitur in Ægæum. Et quanto hinc atque illinc fit pressior atque angustior, tanto celerior in Bosporum deuoluitur. Quod si in minorem altitudinem Ægæum mare deprimeretur quam Pontus, eo putarem Pontum exaggeratiorem fore, repulsante<sup>34</sup> Ægæi uado eminentiori. Adde quod antequam Ponti os apertum esset, facilius exaggerari debuisset<sup>35</sup> Pontus, cum undique circumclusus esset montibus. At tum infinitis sæculis exaggeratedus non est. Eo minus exaggerabitur, cum habet exitum per quem continenter tantum possit efferri quantum infertur. Ac si uadum magis adleuaretur, tamen palus non fieret, ut enim illud extolleretur, ita Pontus adsurget, præsertim infinitis fluminibus auctus et eminentibus montibus clausus. At maris natura est, ut sua ui spirabili reiiciat ea quæ ingerantur. Neque [41] eadem maris ratio est quæ flumen, quantum pertinet ad exaggerationem. Illa enim in ostiis suam uim ostendunt, sed suos aggeres paulo ultra ostia promouent, uel sua imbecillitate, uel

<sup>33</sup> gratia : gratiam 1561.

<sup>34</sup> Pontum exaggerationem fore, repulsante : exaggerationem fore, Pontum repulsante leg. ?

<sup>35</sup> debuisset : debut 1561.

repellente ui ponti. Ac tantum abest ut ostiorum exaggerati congestus Ponti uada efferant, ut Pontum, si fortasse paulo angustiorem reddere possunt, eo uiolentiorem facere debeant ad transmittendam fluminum materiam reiectam, atque uehementiorem ad uada excauanda in maiorem altitudinem. Cur tot lacus immensa profunditate, undique influentibus, nullis manifesto effluentibus, paludes non efficiuntur ? Cur sinus Bospori, nuncupatus Cornu, tanta altitudine est ? in quem cum duo flumina deuehant adsiduam terræ aggerationem, et purgamenta Constantinopolis utrimque proiificantur, non tot annis aggeratur ? præsertim rapido cursu Bospori fluxum sinus retardante et impediente. Quia tanta est Bospori rapiditas, ut sensim ea extrudat in Propontidem. Quare ut ex his rationibus Pontus obruendus esse non uidetur, ita Pontus<sup>36</sup> maiori impetu effluere uidetur per Bosporum ? Quo enim magis Ponticum <mare> adtolletur, eo facilius deferetur, quam si id in altam profunditatem deprimeretur, quam si abyssos haberet, per quas penetrans in tartarum Platonicum secum aquæ partem deportaret ; quas si ut Oceanus, unde recedunt et accedunt omnia flumina, haberet, profecto minus efflueret in Bosporum.

Ex eo etiam colligitur Bosporum exsistere ex Ponti accessu, et non Aegæi maris, quod illius aqua dulcis sit, ut Ponti longe dulcioris mari Aegæo ob copiam fluminum Pontum subeuntium. Dulcem Pontum Arrianus probat ex [42] eo quod pecora circumuicina eius aquam bibant. Ipse Bosporum etiam percipio similiter dulcem esse, quod totus aliquando conglacauerit tempore Copronymi tyranni. Anno enim a Christo concepto septingentesimo et quinquagesimo sexto, *hiems fuit perfrigida accerrimaque [...], et gelu maximum, ut [...] Ponti Euxini ora maritima in latitudinem centum milliarium [...] glaciei<sup>37</sup> rigore in lapidis duritiem conuersa sit, glaciesque [...] a summo mari ad profundum crassa extiterit triginta cubita [...].* Præter hæc cum eiusmodi glacies fuissest *niue tecta, crevit uiginti alia cubita, ita mare ut continentis assimilaretur, et pedibus calcaretur [...] hominum ceterorumque animalium mansuetorum et agrestium [...], a Zicchia ad Danubium [...], et reliqua ora maritima usque ad Mesembriam [...],* ut Bosporum Thracium ultro citroque transirent iumenta onusta et boues plastra onusta trahentes. Deinde *Februario mense [...] glacies [...] in plurimas sectiones collibus et insulis multorum iugerum similes et pares disrupta, et uentorum ui [...] Byzantium per [...] Bosporum acta [...] in Propontidem et [...] in Hellespontum, in quibus essent [...] animalia mansueta et agrestia, uiua et mortua [...] gelu constricta.* Ex his glaciei sectionibus *quædam [...] in Acropolim Byzantii impacta contriuit [...] gradus, quibus e mari in Vrbem ascendebat. Alia glaciei sectio ingentis molis ad murum allisa illum magno impulsu concussit, ut [...] non modo muri, sed etiam domus uicinæ labefactarentur.* Atque alia pergrandis glaciei moles, <Vrbem> a Manganis ad Bosporium portum, hoc est primum collem, olim Byzantium, nunc Regis claustrum, *cinxit, cuius altitudo muros superabat.* Evidem ipse unam et alteram hie-[43] mem Byzantii frigidam sensi, semelque et iterum uidi Bospori sinum nominatum Cornu, ab ostiis fluminum ad Galatam conglaciasset, non quidem glacie, quæ sustineret homines, sed tamen tanta ut scaphæ ultro citroque commeare non possent, nisi remis ante glacies frangeretur.

Sed hæc hactenus generatim de Bosporo. Nunc per partes singula eius loca tam antiqua quam noua proferam, tum promuntiorum et uallium situs, et fluuiorum ortus et perennitates, et portuum commoditates et sinuum felicitatem, e quibus primum tractabo sinum Cornu appellatum, Bospori nobilissimam partem.

### *De Bospori sinu Cornu nuncupato*

36 Pontus : Bosporus 1561, *om. GGM II.*

37 glaciei : glacies 1561.

## CAPVT V

CVM EX Ponto Bosporus ad Byzantii accessit promunturium Bosporum appellatum, huius promunturii rostro in duas partes scinditur, quarum maior et violentior inter Chalcedonem et Byzantium per fretum pergit ire ad meridiem, altera debilior cursum suum inflectit ad occasum, in sinum quem efficit Bosporus intercedentem inter Constantinopolim et Galatam. *Hunc Procopius scribit indigenas [...] appellare Cornu, a Ceroessa matre Byzantis, qui [...] Byzantium condidit.* Dionysius Byzantius similiter *Cornu* nuncupat, et rationem huius nominis adfert *a similitudine* quam habet cum cornu. Strabo appellat *Cornu Byzantiacum [...]*, et declarat cui *cornu similis* sit, nempe *ceruino*, nam in multos sinus perinde, quasi in ramos quosdam diffunditur.

Plinius eiusque simiolus Solinus *promunturium [...], in quo [...]* [44] situm est *Byzantium*, uocant modo *Chrysoceras*, modo Auri *Cornu*, Martianus Capella *Ceras Chryseon*. Arbitror Capellam et Solinum secutos Pliniani codicis erratum, aut Plinium ipsum errare, id quod uel ex Plinii uerbis percipi potest, cum ait, *ex ea causa* Byzantii promunturium Auri *Cornu appellatum [...]* esse, quod thunni, *aspectu* saxi albi in litore Asiæ siti *repente territi, semper aduersum* Byzantii promunturium [...] Chrysoceras *præcipiti petant agmine*, cum ea de causa potius sinus appellandus sit Auri *Cornu*, præsertim ciuibus Byzantinis ita sinum suum appellantibus, e quorum numero est Dionysius Byzantius. Cui potius quam Plinio fidem adhibere debemus, et Straboni quos uidisse constat Ceras Byzantiacum. At Plinium fortasse decipere potuit ambiguitas Polybii scribentis Bospori *fluxum [...] repulsum [...] a loco* Asiæ nominato *Boue [...] ferri Byzantium*, a quo, inquit, *scissi [...] Bospori parua pars in sinum suum delata definit Cornu nominatum, maior uero* fertur per meatum. Aut si Plinius deceptus non est ex eo quod fortasse Polybius sit in eadem sententia, poterimus utrumque appellare *Cornu*, cum permulta promunturia a geographis cornua appellantur, ut Cyprus Cerastis a multitudine promuntiorum. Præsertim cum Byzantii Promunturium multos colles habeat, quibus curuata in tria cornua, Constantinopolis tricornis rectius quam triangula appellari possit. Sed illi ferendi non sunt, qui tabulis etiam iterum et sæpius editis tradunt *Cornu Byzantium* esse promunturium Galatae situm contra Constantinopolim.

Sinus initium faciunt duo promunturia, unum a meridie appellatum Bosporum, alterum a septentrio-[45] nibus Metopum olim dictum. Tria enim promunturia triangulum efficientia, inter se distantia plus minusue milliare, supra Bosporum eminent. Duo quidem ab Europa in fauces sinus impendent, scilicet Bosporum et Metopicum, tertium ab Asia Damalicum appellatum, a quo Bosporus tendens ad occasum flectitur ad meridiem. Ex quibus cognoscitur Procopius errare, tradens *a Sycis nuncupatis fretum* *Cornu nominatum incipere*. Ostia Cydari et Barbysæ fluminum sinui *Cornu* finem constituunt, cuius longitudo ab ortu aestiuo procedit circiter octo stadia ad occasum hiemalem, deinde ad occasum aestuum. Inde flectitur ad septentriones, quem iure Ceras Chryseon appellauit antiquitas, cum et piscosus, et portuosus maxime sit. Uno ore multos intra se portus amplectens, uniuersos usque ad marginem litoris profundos, montibus circumdatos efficientibus octo flexus, quattuor quidem a latere dextro ingredientium, in quo est Galata. Primum flexum in longitudinem circiter bis mille passuum collis Metopicus et Galatinus leuiter incuruant, ut nusquam hic flexus latior sit centum passibus. Secundus flexus fit a colle Galatino, ita eminenti in sinum Ceratinum, ut ille ex tribus partibus eo adluatur, collisque Galatini latus uergens ad occasum hunc flexum efficiat longe intus recedentem, ut si ab intimo flexu rectam lineam duceres ad collem Metopicum eminentem supra ostium sinus, intra lineam includeres totum oppidum Galatam et maximam partem ædificiorum suburbanorum, partim eminentium supra Galatam, partim in collis iugo sitorum. Huius flexus maxime portuosi recessus longior, quam [46] nauale longissimum triremium Regiarum, in circuitu eiusdem explicatum, altero tanto latiore reddit sinum Ceratinum, quam patet inter Constantinopolim et Galatam. Terminatur mucrone uirecti Regii

inchoante tertium flexum minus curuum, sed eadem ferme circuitus longitudine. Post quam sinus inflexus ad septentriones, quarto flexu mediocri accepto, finitur ostiis Cydari et Barbysæ. Iam uero sinistrum sinus latus, in quod eminent sex colles Constantinopoleos, similiter quattuor flexus admittit Vrbis. Primus collis adeo eminent in sinus ostium, ut totus ultra alios colles in altum projectus sit, et tamquam de industria immissum brachium protegat sinum a uentis. Secundus et tertius colles interius recedunt ad meridiem uersus. Reliqui sic eminent in septentriones, ut duos recessus duorum arcum similitudinem gerentes accipient, quorum primum exprimunt radices primi et quinti collum eminentes, alterum quinti et sexti in sinum projectæ. Hos duos recessus tertius maximus flexus intra se includit. Adeo enim extra ceteros sinistri lateris colles eminent primus collis, efficiens angulum Vrbis ab ortu solis, et sextus inflectens alterum Vrbis angulum ab occasu, ut si lineam ab horum alterutro mucrone duceres ad alterum mucronem, intra lineam includeres sinum Ceratinum et Galatæ planitiem maritimam. Id quod diuino munere tributum tuetur sinum atque defendit a uentis. Quartum recessum extra Vrbem recipit sinistrum latus, ubi sinus ipse et colles circumsurgentia inflectuntur ad septentrionem magno naturæ beneficio, ne ab occasu uenti incurrere directi possint in longitudinem sinus, [47] unde fit ut ex omnibus partibus (excipio fauces) circumdatus collibus perpetuo dorso coniunctis. Quos inter etsi intercedunt crebræ ualles, tamen dorsum non penetrant et breues sunt. Aut si una aut altera oblonga est, in ualliculos desinit flexuosas, inter quas interiectus aliquis collis in earum fauces eminent. Strabonis longitudo, quam *sexaginta stadiorum* attribuit sinui Ceratino, congruit fere cum mea dimensione. Procopii longe dissentit a rei ueritate, tradentis *sinus ambitum [...] continere quadraginta [...] stadia*. Longius uero aberrat Laonicus Chalcocondyles, scribens Byzantii portum *secundum [...] Vrbem intus [...] procedere [...] ad stadia octoginta*.

Sinus altitudo uaria, nam ab ostio ad medium sinus nusquam minor dicitur uiginti passibus, ubi multis locis excedit triginta, alicubi quadraginta aut amplius. Cum autem ultra Byzantium processit usque ad ostia fluminum, partim uadosus est partim palustris, ut nauicularum cursus dirigatur palis fixis, signantibus partem nauigabilem. Primo enim syrtes, deinde paludes, et permulti euripi circumdantes plusquam triginta insululas.

Illius similiter latitudo uaria est. In fauibus plus minus sex stadiis patet, deinde paulatim stringitur usque ad medianam Galatam, ubi in stadia paulo plus tria coartatur, quæ artiori catena claudi possint, quam latior eius alueus inter Acropolim et Galatam situs, contra hostium naues olim constringi catenis solitus. Neque modo tormentis bellicis saxa emittentibus ex utroque litore, sed etiam machinis ignem liquidum profundentibus, hostiles naues ab his aditu arceri, atque etiam exuri igne speculari posse demonstrauit *Proclus*, quem *dicunt spe-[48] cula [...] ignifera [...]*, quæ ipse *fabricatus esset, ex muro Constantinopolis appendisse contra naues hostiles*. Quæ *his speculis ignem ex solaribus radiis concipientes*<sup>38</sup> in se ipsas *projectum*<sup>39</sup> [...] *conflagrarent, atque uectores [...], quod olim Dion Archimedem excogitasse narrat, obsidentibus Syracusas Romanis*. Denique sinus ubi latissimus est, sex stadia non excedit, nec dubium est, quin olim latior esset, pluresque recessus haberet, quam nunc habet, coartatus emissariis<sup>40</sup> purgamentis adsiduis et subtractionibus ædificiorum. Ne quis miretur, si minus *cornu ceruino similis* sit, minusque in [...] multos sinus, perinde ut in ramos quosdam, ut Strabo ait, *scindatur, in quos irruentes pelamides capiantur*. Nam cum ex sublicis, quas crebras uidi immitti et defigi in litore sinus in subtractionem ædificiorum atque ad oram maris efficiendam magis portuosam, tum ex Dionysio Byzantio percipio, alios recessus

<sup>38</sup> concipientes : conceptum 1561.

<sup>39</sup> projectum : projectam 1561.

<sup>40</sup> emissariis : emissitiis *edd.*

aliisque oram olim fuisse, quam nunc est ; tum ex Zosimo, qui ante mille annos scripsit, usque adeo Vrbem excreuisse hominum multitudine *ut etiam [...] in foris anguste habitarent [...], ut non parua pars maris circum [...] Vrbem in terram conuersa esset<sup>41</sup>, palis in circuitu defixis aedificia sustinentibus.*

Verum ut ex his sinus alicubi coartatus fuerit, profecto non minus profundus factus est, atque adeo magis portuosus, ut nauis appulsæ puppis mare intueatur, prora uero terræ assideat, uelut utroque elemento inter se certante, utrum magis possit Vrbi inseruire. Hic sinus omnes portus maris commoditates<sup>42</sup> applicandi præstat. In ceteros enim omnes<sup>43</sup> portus ui remorum aut uentorum applicatio sit. In illum sine uentis, sine remis, naturalis et perennis Bospori [49] cursus naues inducit, et reducit. Postquam enim naues ad huius ostium aditumque accesserunt, deinde absque gubernatione eunt, et sua sponte ad portum appelluntur. Totus enim sinus portus est.

Et hæc quidem ab initio Bospori ad finem deorsum uersus generatim dixi. Nunc oram maritimam per partes describam, a fine litoris Europæi sursum uersus ad initium, quod est ad Cyaneas, inde deorsum Chalcedonem usque, imitatus *Anapnum* Dionysii, quem potissimum sequor, Menippique et Arriani aliorumque *Periplos* in declarandis nominibus locorum antiquis quæ, cum respublica Byzantiorum floreret, in usu erant ante Seueri ruinas.

---

<sup>41</sup> esset : esse 1561.

<sup>42</sup> commoditates : commoditate *edd.*

<sup>43</sup> omnes : omnis 1561.



## LIBER SECUNDVS

*De Bospori ora Europaea eiusque locis intra Constantinopolim sitis*  
CAPVT I

BOSPORI latus Europæum in angulo desinit, quo Vrbis latus orienti expositum flectitur ad occasum, et Propontis incipit efficere latus Vrbis meridianum. Simul et ab eodem flexu Vrbis latus ad ortum solis spectans incipit procedere ab occasu ferme brumali ad ortum solstitialem in longitudinem plus minus millarii usque ad tigna in speculam sublata piscatorum Regiorum. Deinde amplius quattuor stadiis pergit a meridie ad septentrionem ad promunturii Bosporii rostrum usque, quo Bosporus scinditur in duas partes, quarum maior cingit Vrbis latus uergens ad orientem, id est Vrbis frontem et primam peninsulani [50] Promunturii partem, in qua olim fuerunt illustria loca nuncupata Mangana, et Arcadianæ thermæ, et primæ regionis pars quæ continebat *domum Placidæ Augustæ, domum nobilissimæ Marinæ, [...] porticus perpetuas duas, [...] gradus quattuor.* In hac etiam Vrbis fronte fuit pars secundæ regionis, quæ ab initio Theatri Minoris post æqualitatem [...] latenter molli subeleuata cliuo, mox ad mare præcipitiis abrupta descendebat. Continebat in se [...] Templum magnum et antiquum, *Senatum, tribunal [...], thermas Zeuxippi [...], porticus magnas quattuor.* Nunc continet claustrum Regii partem sitam in latere primi Vrbis collis pertinente ad Solis ortum. Quem quidem collem circuit ultima pars Bospori, proprie a Dionysio Byzantio appellata promunturium Bosporium, in quo situm fuit antiquum Byzantium. *De [...] promunturio,* inquit, *quod Bosporium appellamus, peruulgatur [...] sermo [...] bouem æstro [...] stimulatam<sup>44</sup> ex promunturio Bosporio transnatasse [...] in Asiam.* Idem Dionysius alibi ait, *parum abfuisse quin [...] Byzantium conderetur in loco nuncupato Semystra a nutrice Ceroessæ matris Byzantis, nisi coruus rapuisset ex media flamma partem uictimæ, eamque [...] in promunturium Bosporium tulisse [...], quod signum secuti coloniæ Megaricæ deductores Byzantium condiderunt in promunturio Bosporio.* Idem alio loco, dum loquitur de Metopo loco ita appellato, *Ostreodem,* inquit, locus *excipit Metopon appellatus [...], ex eo quod urbis [...] aspectui obiicitur, nam intuetur ipsum promunturium Bosporium.* Quod Nicephorus historicus appellat promunturium aquilonare. *Prospiciebatur[...],* inquit, *classis Latinorum iam præternauigans Byzantii aquilonare pro-[51] munturium, ubi duæ turre constructæ exsistunt ex lapidibus albis expolitis [...], ubi etiam [...] Demetrii martyris constitutum est templum.* Videbatur autem [...] Latinis laboriosus flexus, ob maris uortices et uelut labyrinthos quosdam, qui illic semper fieri solent, ad similitudinem Scyllæ et Charybdis, quas Græci decantant in freto Siculo esse. In hoc promunturio Dionysius ponit aram Mineruæ Ecbasiæ, ex eo nominatæ quod *huc egressi primum coloniæ deductores statim tamquam pro patria terra pugnassent.* Similiter Cyzici fuit ara Apollinis Ecbasii. Argonautæ, inquit Apollonius, cum nauem extra urbem appulissent, Cyziceni *illos [...] interius nauem [...]* appellere suaserunt in portum urbis, ubi Ecbasio Apollini in litore aram excitarunt, ex eo quod nauis Argo in Dolioniam egressa fuisset. *Deilochus templum esse dicit, non Ecbasii Apollinis, sed Iasonii Apollinis.* Socrates [...] dicit id templum appellari Cyziceni Apollinis. Quam Dionysius appellat Ecbasion Mineruam, possemus etiam appellare Ecbateriam, ut Siphnei Dianam appellantur.

*De ora sinus Ceratini cingente Vrbis latus uergens ad septentriones et de eius antiquis locis*  
CAPVT II

---

44 stimulatam : stimulatum 1561.

MŒNIA Vrbis a Propontide usque ad mucronem promunturii Bosporii adluuntur extremis faucibus Bospori, nullo spatio a mœnibus et mari intermisso nisi, paulo antequam perueniatur ad Bosporum mucronem, ducentorum passuum in longitudinem, ubi nauale exiguum Regiorum leborum, quibus enauigare Rex solet in [52] agros suburbanos, et machinæ bellicæ. Inde a mucrone promunturii Bosporii, unde incipit ora sinus Ceratini claudens latus Vrbis conuersum ad aquilonem, usque ad finem Vrbis, mœnia non adtingunt mare, sed spatium relinquunt. Quod quale sit, et quantum, quibusue rebus occupetur, dicam per partes. Id spatii, quod est in summo mucrone, patet in latitudinem alicubi circiter uiginti passuum, sed latiorem medium. Nempe circiter octoginta passuum, ubi est porticus tecta plumbo, sustentata duodenis columnis marmoris ophitici, laqueata lacusculis auratis et Persica arte pictis. Exiguo uirecto cincta, præ se habet Bosporum, a tergo portam ferream, qua patet aditus in claustrum Regium. Hæc aperta nauigantibus retegit uiam decumanam Regii horti molliter adsurgentem ad Regis palatum. Ab hac porticu usque ad Vrbis portam Oriam appellatam, ora intermissa inter murum Regios hortos cludentem et litus magnis saxis præmunitum inclusa tenetur a Rege, consita malis Punicis ceterisque plantis. In qua media est mediocris recessus maris opere abductus in tectam stationem nauigiorum, quibus cultores Regiorum hortorum utuntur ad uehenda Regi necessaria. Iuxta est domus amœna, præ se habens mare, a tergo portam, qua patet aditus in Regios hortos. In hanc domum secedere solitus Regiis hortis præfectus, negotiatur cum Vrbis incolis. Hæc ora priusquam esset conuersa in claustra Regia, continebat domos piscatorum et forum piscarium. Cum uero Byzantinorum respublica floreret, duos portus intra murum catenis clausos habuit, quorum brachia sustinebant turres ualde eminentes. Fuit portus [53] Phosphorius ab Stephano commemoratus, fuit Neorium, fuit etiam scala Timasii, ut in tractatione Vrbis plenius monstrabitur. Pro porta quam uulgo uocant Oriam corrupte, quasi olim Neorii portam, spatium iacet uacuum ad exonerandas naues accommodatum. Patet ducentos quadraginta passus in longitudinem, in latitudinem uero ante portam centum passus. Paulo ultra portam in quinquaginta stringitur, unde traiectus est ad Chrysopolim et Chalcedonem, ubi etiam oræ maritimæ præfectus tribunal habet, ubi item domus portorii Turcici, ut in contrario litore Galatino est altera domus constituta ad exigendum portorium Francorum. Post hoc interuallum est forum Piscarium, ex quo magnus traiectus patet ad Galatam, quem antiqui appellabant traiectum Sycenum. A tergo est Vrbis porta Piscaria nuncupata, qua ascenditur ad Magnum Forum, quod Turci nominant Bezesten. A porta Piscaria ora maris frequens suburbanis, in longitudinem quadringentorum quinquaginta passuum continuatur ad portam Fructuariam, quam Turci appellant Gemicapi, ubi omne genus fructuum tam recentium quam conditorum, et frugum esculentarum uenalium mercatus habetur, unde magnus traiectus exsistit ad Galatam. A porta Fructuaria ad portam Lignariam, ab aceruis lignorum uenalium constructis in ampla area ante portam explicata, appellatam, intercedunt ducenti passus, iuxta litus pleni ædificiis et uariis tabernis, aliis obsoniorum, fructuum, aliis aliarum rerum. Inter ædificia et murum Vrbis excurrit uia lata silicibus strata, et iuxta muri crepidines constituta sunt aquæ castella, quorum alia perenni [54] fistula aquam largiuntur, alia operculis ad tempus reserantur. A porta Lignaria in longitudinem trecentorum passuum inuenio domos perpetuas, exceptis uiis intercurrentibus, alias ubi ligna materiaria uenduntur, alias ubi capsæ sunt. Deinde succedit spatium trecentorum passuum ab ædificiis uacuum, solam uiam silicibus stratam, et Escharidas a Græcis dictas, in quas subducuntur nauigia, et palos defixos ad quos illa alligantur, continens, aquasque salientes extra muros ex aquæductibus Vrbis, claras et liquidas, partim potabiles, partim resilientes in euripos marmoreos ad pannos lauandos. Deinde breui spatio exædificato succedit porta Farinaria, a Turcis uocata Vncapi. Ante portam est area lata, ubi frumenta et farinæ uenduntur. Est etiam ædificium magnum, plenum saccis farinæ quadratis, laneis. Iuxta naues stant frumentariæ permultæ et scaphæ plurimæ, traiicientes in ulteriora suburbana. Est

idem ædes Mamehana plumbo tecta, cum turri excelsa, unde exclamare preces presbyter, et euocare solet incolas uiculi suburbani siti ante hanc portam, ex qua ingressus patet in uiam adsurgentem per medium ulle, tertio et quarto Vrbis collibus clausam.

Hæc quidem etsi peruulgata, tamen neglegenda non censui, ut facilius pereueniatur in notionem antiquorum locorum, quæ a promunturio Bosporio ad portam Farinariam ponit Dionysius Byzantius. Supra *etiam*, inquit, promunturium Bosporium *templum* est *Neptuni antiquum* [...], apud quod fuit lapis *in mare emens* [...] quem, Byzantinis<sup>45</sup> *in locum ornatiorem supra stadium* [...] *transferre conantibus, non permisit* [...] se transferri, *siue amans* [...] locum mari uicinum, [55] *siue ostendens parui momenti* [...] esse pietati diuicias.

*Sub templo*<sup>46</sup> *Neptuni, intra urbis murum, in locis in planitiem explicatis erant stadia et gymnasia* [...]. At ex maris parte erat nauigatio [...] in sinum Ceras [...] leniter fluens.

*Primam promunturii Bosporii conuersionem circumflexionemque excipiebant*<sup>47</sup> *tres portus, quorum medius satis profundus a ceteris uentis* [...] *tegebatur, ab Africo* [...] *tutus omnino non erat.*

*Deinde* [...] *turris bene magna, rotunda* [...] *continenti iungebat urbis mœnia. Primus post mœnia campus erat peninsulæ ceruicis sensim descendantis ad litus, et ne urbs esset insula prohibentis. Post erat templum* [...] *Telluris super mare, cuius quidem fastigium tecto carens* [...] *significabat antiquam Terræ libertatem. Eius parietes quibus cludebatur* [...] *erant facti ex lapide expolito.*

*Paulo supra* [...] *Telluris ædem erant templa Cereris et Proserpinæ paria, in* [...] *quibus picturæ* [...] *multæ, priscae felicitatis insignes* [...] *reliquiæ, et statuæ exactæ artis, nihilo summa arte elaboratis inferiores, erant.*

Item in abscessu maris duæ ædes Iunonis et Plutonis<sup>48</sup> [...], quarum solum *nomen* exstat. *Illam*<sup>49</sup> enim [...] Persæ exusserunt in expeditione Cyri contra Scythes, ea ulciscentes, quæ Byzantina ciuitas commisisse contra Regem accusabatur. *Plutonis templum* Philippus Macedo [...] *inopia materiæ demolitus est* [...], locorum uero [...] *nomina remanserunt. Hic enim Plutonis acra, ille Iunonia acra dicitur* [...], ubi quotannis uictimam primo anni die mactat [...] gens Megarica. Hæc quidem Dionysius qui, cum ait Iunonis et Plutonis ædes fuisse κατὰ ἀπόβασιν τῆς θαλάσσης, uideri potest acram significare oram maris potius quam<sup>50</sup> promunturium, quod nullum sit in hac oræ parte, nisi Dionysii [56] temporibus mare adtingeret radices secundi collis. At nunc ab huius radicibus simulque a mari, intermissa est planities. At si ætate Dionysii non adtingeret mare radices secundi collis, possumus interpretari κατὰ ἀπόβασιν θαλάσσης : *ad recessum abscedentem a mari*. Nam Iunonia acra mihi fuisse in cliuis potius secundi collis, quam in ora maris sub ipsum subiecta, uidetur, ex coloniæ Byzantinæ deductoribus partim Megarensibus, partim Corinthiis, qui magna religione colebant Iunonem Acræam appellatam *ex eo quod statuta esset in acropoli Corinthi*. Fuit etiam non longe a Corintho altera Juno Acræa in promunturio sita, cuius meminit

<sup>45</sup> Byzantinis : Byzantini 1561.

<sup>46</sup> sub templo : supra templum *leg. Mango.*

<sup>47</sup> circumflexionemque excipiebant : circumflexionem quæ excipiebat 1561.

<sup>48</sup> Iunonis et Plutonis : Plutonis et Iunonis *edd.*

<sup>49</sup> illam : illud *edd.*

<sup>50</sup> potius quam : potiusque 1561.

T. Liuius. *Promunturium, inquit, est aduersus Sicyonem Iunonis, quam Acræam uocant, in alium excurrens.*

Post acram Plutonis et Iunonis Dionysius ponit *Scironias petras* nuncupatas a *Corinthiis* participibus coloniæ deductæ Byzantium, qui his petris *nomen imposuerunt a similitudinem loci difficilis*, qualem habebant petræ Scironiæ sitæ inter Megaram et isthmum Corinthiacum. Ex his Dionysii uerbis has petras, etsi nunc non exstantes, olim excisas ad molliendos Vrbis cliuos, tamen exstisso ad imas collis tertii radices ostendam in descriptione Vrbis.

Nunc redeo ad continuandum spatium inter sinum et mœnia situm, quod reliqueram ad portam Vncapam, ultra quam in longitudinem quadringentorum passuum ora sinus procedit, occupata aut ædificiis, aut aceruis coctorum laterum uenialium, partim integrorum, partim in puluerem contritorum ad testacea et Signina opera conficienda. Inde domus piscatorum usque ad portam Blachernæam tenent oram [57] sinus patentem in longitudinem ter mille et quadringentorum sexaginta passuum, quorum primi octingenti finiuntur porta Iubalica nuncupata, contra quam est medius flexus naualis Regii siti in contrario litore. A porta Iubalica ad portam uulgo appellatam Hagiam, a uicina æde Diuæ Theodosiæ, trecenti sexaginta passus, ab Hagia porta ad secundam portam Phanarii, sexcenti passus. Phanarium est pars Vrbis oræ maritimæ, quam murus Vrbis claudens duas portas habet, in quas eminent cliui quinti collis, quibus finitur flexus sinus primus, inchoatus a promuntorio Bosporio, et incipit secundus flexus, finitus radicibus sexti collis. Quidquid est muri inter portas Phanarias, caret turribus, sed est duplex murus, alter in litore, alter in cliuo collis quinti ; uterque cingit locum nominatum Phanarium. A porta Phanarii, cuius e regione est finis naualis Regii, processi octingentos passus usque ad portam appellatam Palatinam<sup>51</sup>, contra quam in ulteriore litore est finis uirecti Regii, et initium frequentis uici, quem Hagiam Parasceuen Græci uocant. Ultra portam Palatinam progressus circiter centum uiginti passus, animaduerti tres magnos arcus adstructos Vrbis muro, et substructos, per quos olim imperatores subducebant triremes in portum opere factum, nunc exsiccatum et conuersum in hortos concauos, præ se gerentes speciem portus obruti. Ab his arcibus discedens trecentos passus, offendit spatium in centum passuum longitudinem ab ædificiis uacuum, ubi adtingit muros mare uadosum, ut facile sit super id ædificare.

Post octingentis passibus confectis, perueni ad portam Blachernæam, qua finiuntur domus piscæ-[58] torum, ex media parte fundatæ in terra, ex altera parte substructæ sublicis in mare uadosum defixis. Inter sublicas locum relinquunt portuosum, quo nauigia piscatoria subducuntur in stationem sub domos piscatorum. Pisces uelut in latibula et pascua refugientes capiuntur retibus appellatis hypochis suspensis ex tigno. Hoc genus piscationis tamquam domesticum, exercent feminæ, uiri autem procul piscantur. Neque ad hanc piscationem opus est magnis instrumentis, sed dumtaxat uno tigno sine stipite, siue arboris trunco, siue nauis exolescente malo, siue antenna habente infimum caput intra domum piscantis subnixum, alterum supremum extra domum eminens leniter pronum. Ex cuius summo capite appensam hypocham fune per trochleam trajecto demittunt in aquam feminæ fenestræ insistentes, et subtrahunt aliquanto post, cum feminis licet esse otiosis a ceteris negotiis domesticis. Aut si nihil aliud negotii habent, sedent in tabulatis prominentibus uel mœnianis. Nentes, aut sarcientes, aut omnino animi causa otiantes, speculantur pisces retia subeuentes, ad eosque subtrahendos adsurgunt, et remissis hypochis, ad officia domestica redeunt. Cum hanc piscationem spectarem, uidebar intueri tale quidpiam, quale etiam fieri uidi in palude Prasiade. Quam accolentes supra defixas sublicas [...] in media parte [...] paludis tabulata collocant sustinentia casas, uno ponticulo aditum habentes ex continenti [...], et fores [...] inter tabulata compactas deorsum ad paludem uersus deferentes, in quibus degunt. Puerorum

---

51 Palatinam : Palatiam 1561.

*paruulorum pedes fune alligant, metuentes ne in paludem delabantur [...]. Tanta est in hac palude piscium copia, ut quo-[59] ties quis ianuam [...] reserauerit, ex eaque calathum aut sportam [...] demiserit uacuam [...], paulo post [...] retrahat piscium plenam.*

Paulo ultra portam Blachernæam obiicitur murus transuersus, a mœnibus Vrbis sinuque intermissum spatium secans, habens portam. Ex qua sexagenis passibus confectis, alter murus transuersus obducitur primo muro similis. Abhinc centum passus Vrbs finitur angulo uno, ex tribus grandibus Vrbem triangulam efficientibus. Ab hoc angulo ad portam Neorii uia lata patet, silicibus constrata, secans spatium, quod dixi ambire muros, contractum quidem, sed uariæ latitudinis. Nam ante Vrbis portas plerasque latius est quinquagenis passibus.

Id minutatim excutere uolui, ut pateant loca facilius antiqua, quæ Dionysius Byzantius describit a tertio colle ad sextum collem. *Post [...], inquit, Scironides petras, quas ante dixi fuisse olim ad radices tertii collis, longum litus [...] ad piscatum atque ad uadi altitudinem nullis litoribus etiam optimis deterius — nam ex paucis usque ad marginem profundum est — et [...] mare placidum et quietum, et [...] litus aditu facile, nuncupatum Cycla, ex eo quod in hoc litore Græci barbaros circumclusos [...] deuicissent. In eodem litore ara consecrata est Mineruæ Dissipatoriæ, designans ex circumclusione multitudinis dissipationem.* Hucusque Dionysius. Cycla et ara Mineruæ Dissipatoriæ fuerunt in maritima planite subiecta sub ualle Vrbis tertiam, quam efficiunt tertius et quartus colles. Cyclobium a posteris appellatum arbitror ex Zonara, cum ait imperatore Constantino Pogonato Agarenos [...] graui classe [...] Vrbem obsedisse, quæ stationem [...] habebat a promunturio Hebdomo sito ad occasum us- [60] que ad Cyclobion. Similiter alii historici tradunt ab [...] Hebdomo [...] promunturio atque a [...] domo Magnaura [...] ad occasum pertinentibus, usque [...] ad palatium Cyclobion spectans ad orientem, stetisse [...] classem [...] Agarenorum. Quid sit Hebdomum promunturium, ostendam in tractatione Vrbis.

Deinde Dionysius *Cycla*, inquit, *Melias sinus excipit, piscosus quidem si quis alias, in omnibus enim omnes superat. Promunturiis prominentibus et cautibus sub aqua delitescentibus utrimque conclusus, hic sinus a quodam heroe indigena nuncupato Melia nomen adeptus [...]. Vt plurimum numquam fallit piscatorem.* Cum ex his uerbis Dionysii, tum ex eius *Anapli* ordine, sinum Meliam existimo alibi esse non potuisse, quam in tertia Vrbis ualle cincta utrimque promunturiis tertii et quarti collis, quæ est, si iam intra muros Vrbis clausa est, tota exædificata et sicca. Tamen eam olim recessum maris fuisse, posteaque exsiccatam et terra aggeratam fuisse ad suscipiendas domorum sedes, uero proximum uidetur, cum ex eo quod eius longa planities ad libellam fere æquata supra mare parum eminet, tum ex illis causis, quas supra demonstrauit, cur Bosporus minus nunc sit sinuosus.

*Post [...] Melianum sinum Dionysius ponit locum nominatum Κῆπον, aitque nomen adeptum esse ex terra, inter paucas [...] ad culturam hortorum idonea, maris uero lucrum aduenticum acquisiuisse. Non enim mare olim ibi indagabatur [...], sed otiosum [...] manebat, cum tamen piscibus deuersorium præbere soleat.* [61] An Byzantius Κῆπος sit ex his, quos adeptus est auus Demosthenis Gylon appellatus, adsequi non possum ex Æschine tradente *Gylonem* figulum, auum Demosthenis, *cum hostibus prodidisset Nymphaeum Ponticum*, quod *tum [...] Atheniensium erat, mortis condemnatum [...] ab Atheniensibus effugisse [...] et peruenisse ad Bosporum, et illic accepisse donum a tyrannis nominatos Κήπους*<sup>52</sup>. Neque declarat Æschines, neque quisquam aliis, an apud Bosporum Thracium, an Cimmerium, hi horti fuerint, an tyranni illi essent Byzantii, qui tum ab Atheniensibus defecerant et potentibus ciuibus tyrannice gubernabantur, an Nymphaeum prope Heracliam

---

52 nominatos Κήπους: nominatis Κήποις 1561.

Ponticam consanguineam Byzantiorum, nempe coloniam Megaricam, situm, Gylonis<sup>53</sup> proditione adepti sint.

[60] Ἀψασιεῖον ab Arcadio *nominatum* [...] in hoc loco situm est, et *Iupiter* Ἀψάσιος *colitur*, ita uocatus a Dionysio, nisi codicis erratum sit, cum tamen a Callima-[61] cho in *Iambis* Apesas appellatus sit, sicut Stephanus scribit : Non [...] Ioui Apesanti sacrificauit equas Arcadicas. Pausanias supra Nemeam [...], inquit, Apesas mons [...], in quo Perseum primum Ioui Apesantio rem diuinam fecisse tradunt. Statius Papinius de eo sic dicit :

Mons erat audaci seductus in æthera dorso,  
nomine Lernæi memorant Aphesanta coloni,  
gentibus Argolicis olim sacer.

Post Hapsasion Dionysius ponit *promunturium plurimum super alia promunturia eminens* [...], *uentorum uiolentiam excipiens*. *Huius promunturii eminentia abrupta abit in mare et haud firma præterit* [...] profundum mare, nam promunturii pars *inferna sectionem petræ in multam* [...] auulsionem *abrumptus exigua coniungitur continenti, dissoluendæ et quam mox ruinam edituræ similis*, unde *similitudo aspectus illi nomen dedit, nam Mella*-[62] *pocopsas nominatur*. Et hac Dionysii descriptione et ordine narrandi alibi esse non potest hic locus, quam ad radices quinti collis, ubi paulo ante dixi nunc esse locum Phanarium nuncupatum. Is etsi opere excisus est iam ante tot sæcula, tamen adeo natura rupibus præruptis et præcipitibus exsistit, ut nondum penitus excisus sit, quin adeo alicubi præcisis, ut ob directos cliuos ædificia non habeat, et si qua pars habet, ea casuris similia uidentur.

Inde Dionysius, *post* [...] locum, inquit, qui appellatur Mellapocpsas, *duo loca sunt omnibus anni temporibus piscium captum largientia, a* [...] submissionibus *promunturiorum et* [...] *remissione maris in hæc loca refusi, alte sinuosi, placati et tranquilli*. Horum locorum *unus appellatur Ingenidas* [...], alter dicitur *Peraicus*<sup>54</sup>, *ut multorum hominum habet sermo, a Piræo* [...] Attico, *ut quidam dicunt* [...], *a quodam* [...] antiquo heroë indigena. *Inter hæc duo loca est Cittos*, locus ita dictus *a multitudine* [...] *hederæ ibi facile prouenientis*.

*Peraico*<sup>55</sup> succedit continuo *Camara, acclue*<sup>56</sup> et *uentis expositum litus* [...], quod *multam maris refractionem excipit*. Ex his quæ iam dixit Dionysius et postea dicet, *Ingenidam, et Peraicum*<sup>57</sup>, et *Camaram* fuisse existimo partim in radicibus sexti collis, partim in ima planicie uallis quartæ, clausæ quinto et sexto Vrbis collibus, sinum efficientibus in medium ullem insinuatum, sed temporibus Dionysii longe penitus insinuabatur. Nunc minus in ullem recedit, tot sæculis aggeratus substructionibus Vrbis.

A radicibus sexti collis sinus incipit esse uadosus ex parte Vrbis ob breuia et syrtes, ex altera parte profundus. Deinde utrimque uadorum frequentia nauigatio [63] palis defixis regitur, ut a flexu, quo incuruatur ad septentrionem usque ad ostia fluminum, sit palustris et lutulentus, ut uento agitatus turbidus fluat, frequentibusque insulis sit aggeratus, quas habet amplius quadraginta siluis cannarum tectas, infirmas ut, etsi in aliquarum parte siccis pedibus insistere queas, tamen in alia cænosa nequeas. Prima insulula incipiens a radicibus collis siti inter flumina, diuidens eorum ostia, producitur in passuum longitudinem circiter sexcentorum, reliquæ diuisæ exiguis euripis parum altis et cæniosis, qui dudum obruti essent cæno delabente

<sup>53</sup> Gylonis : Glyconis 1561.

<sup>54</sup> Peraicus : Piræicus *edd.*

<sup>55</sup> Peraico : Piræico *edd.*

<sup>56</sup> acclue : accluus 1561.

<sup>57</sup> Peraicum : Piræicum *edd.*

ex proximis ostiis fluminum, nisi excrescentes insulas ad fingendos lateres rescinderent laterum figuli. Hi, ubi palam in terram palustrem defixerunt, sese totos demergunt, ne capitibus quidem supra aquam exstantes, ut palam frusto terræ exciso onustam extrahere queant. Insularum euripi piscosi sunt, latibula piscibus præbentes. Qui cum hieme alii capiuntur, tum æstate mugilum copia supra storeas exsilientium ad id præparatas, ut Venetiis solent supra rates ad horum piscatum accommodatas. Nunc in his insulis cerui non sunt, ut olim erant, propter proximam uicinitatem Vrbis, propterque propinquos utrimque colles antiquis nemoribus spoliatos, quibus olim uestitos fuisse ostendam ex Dionysio Byzantio. Nunc quam pulchre describat hanc Bospori partem palustrem, subjungam.

Locum, inquit, nuncupatum Camaram (quem ante dixi fuisse ad radices sexti collis) excipit Σαπρὰ θάλασσα, id est Marcidum mare, *finis totius sinus, iacet enim in fundo sinus nuncupati Cornu [...]*. Inuenit hoc nomen siue a uicinis fluminibus in se exeun-[64] tibus [...], natuas aquas maris corrumpentibus [...], siue [...] ex eo nomen reperit, quia immobile [...] uentis [...] agitari non potest ob uadorum aggerationem [...], quam deferunt ostia flumen continuam et mollem [...], palustre efficientem<sup>58</sup> mare, in quo etiam [...] pisces capiuntur [...]. Primus [...] huiusce maris Marcidi locus appellatur Polyrrhetium<sup>59</sup> a uiro Polyrrheto [...]. Post hunc locus est nominatus Βαθεῖα Σκοπιά, hoc est Profunda specula ab altitudine maris. Tertius uocatur Blachernas [...] a quodam [...] rege ibi regnante. Hæc quidem Dionysius. De his paludibus intellegit Nicephorus historicus, cum ait aduentante classe Latinorum, regis Constantinopolitani triremes subductas fuisse circum fluminis ostia [...], ubi et sinus finis [...] et fluminis, ubi exaggerata multa arena et [...] materia utrimque [...] stringens os, et uix angustum quemdam [...] aditu difficilem meatum intermittens, non modo magnis [...] triremibus, sed et [...] dicrotis [...], et uacuis nauigiolis ob breuia et uada. Ex Dionysii uerbis postremis percipitur, quæ fides adhibenda sit recentibus scriptoribus Blachernas tradentibus ex eo appellatas fuisse [...], quod ibi sinus palustris sit, proptereaque obrutum fuisse dicunt illis temporibus, cum *Marcianus et Pulcheria magnum templum Blachernarum aedificarunt*. Verum etsi obrutus fuit, et Græci uulgo in hunc diem locum palustrem appellare soleant βλακόν, unde illi putant Blachernas uocatas fuisse, tamen Dionysio antiquissimo scriptori potius credendum censeo.

Is deinde subiungens, maris, inquit, Marcidi *ultimus* locus appellatus *Paludes*<sup>60</sup> [...], ex eo quod *in illo subsidat lutulenta [...] flumen secessio*. Non enim illius uadum [...] arena, sed cæno, *tectum* [...] est, neque nauigiis nisi perparuis [65] nauigabilis est [...]. Inde cænum *sublime* [...] usque ad exitus flumen, quorum uterque fertur separatus ab altero, in exitu ambo coniuguntur et uelut per unum ostium exeunt [...] in sinum Cornu. In mediis paludibus [...] boum nutricibus sunt *prata uberes pastiones largientia* [...] etiam ceruis. *Hos deus* [...] *designauit* [...], cum deductoribus coloniæ consilium *petentibus* [...], ubi conderent urbem appellatam Byzantium, ita respondit :

ὅλβιοι οἱ κείνην πόλιν ἀνέρες οἰκήσουσιν,  
ἀκτῆς Θρηικίης ὑγρὸν παρ' ἄκρον στόμα Πόντου,  
[...]  
ἐνθ' ἵχθὺς ἔλαφός τε νομὸν βόσκονται ἀν' αὐτόν.

*Hæc quidem dicta sunt de re quæ accidit. Cerui enim tempore hiberno ex siluis descententes depascunt palustrem arundinem, pisces uero maris et flumen participes in tranquillitate sinus Ceratini delitescant. Pigri [...] in ubertate pabuli [...] deglutiunt uadi radices. Hæc*

58 efficientem : efficients 1561.

59 Polyrrhetium : Polyrrhetius *edd.*

60 Paludes : Palodes *leg.*

quidem Dionysius. Mihi uero potius oraculum uidetur, hunc locum non intellexisse, sed promunturium Bosporum, ubi extreum os Bospori, ut postea admonuit Apollo coloniae deductores deceptos illo loco. Qui, cum ad has sinus extremas paludes pararent condere Byzantium, *coruus rapuit [...] uictimæ partem, eamque [...] deferens ad promunturium Bosporum*, declarauit oraculum præsignificare Bosporum promunturium, quod definit extreum os Bospori ubi, cum essent nemora et oræ maritimæ palustres compascuæ, iisdem pastionibus uescebantur cerui et pisces.

Verum ut ab initio litoris Europæi usque ad finem Vrbis, quæ olim loca antiqua habuerit, quæue nunc noua habeat Bospori ora, declarauit, ita deinceps ad Cyaneas declarare ab Vrbis [66] fine constitui. A quo quidem fine in longitudinem bis mille passuum progressa ad flexum, quo sinus tendens ad occasum incuruatur ad septentriones, maritima planities continuatur cum ima uallis planicie in bis mille passuum longitudinem et latitudinem quadringentorum patente, et paulo quidem amplius. Qua uallis insinuatur in plures quam quindecim ualliculas alias rectas, alias transuersas, omnes in unum collum dorsum desinentes. Natura fauente quieti sinus, hæc planities, siue maritima, siue in uallem insinuata, tota ædificiis fere occupata est suburbanis uicum efficientibus, partim in planicie, partim in collibus positum quattuor millia passuum circuitu complexum. Non enim ubique ædificia inter se continentia, sed sparsa uagantur. Totus a Mechmetanis uicus habitatur. Itaque undecim ædes habet ceremoniæ Mechmetanæ. Earum ceteris præstant tres, ad quarum maximam Turcorum Rex sacrificium, quod *corbanum* uocant, facere solet, cum quidpiam arduum adgreditur, iuxta ædis uestibulum, ornatum duodecim columnis marmoris Thebæi. Situm est sepulcrum hemisphærio cylindraceo clausum, nescio cuius hominis, quem Turci ualde sanctum habent et perpetui sodales flamines custodiunt, circumlucentibus noctes diesque amplius septuaginta funeralibus cereis, tectum purpura. Hunc Turci uocant Aibasarium, a quo uicus nomen adeptus est. Sæpe ab his flaminibus percunctatus sum, quis sanctus esset Aibasarius, a quibus nihil aliud adsequi potui, nisi Aibasarium appellari Mechmetanæ religionis unum ex adsertoribus, inter quos numerant tamquam principem Arium. Græcus, nescio [67] quis, mihi confirmabat esse sepulcrum reliquiarium Iob, sed nihil ex monumentis litterarum proferebat. In quibus dumtaxat legi Arcadium imperatorem *ossa [...] Samuelis [...] prophetæ a Iudea Constantinopolim transtulisse [...]*, tam hilariter obuiam illis procedente populo, quam si Samuelem uiuentem cernerent. Quidam adferunt Aibasarium uicum appellatum ab Hagio Basilio, sed nullum in litteris producunt testimonium. Mihi potius locus hic sacer fuisse uidetur Diuo Mamanti, ut litteratis testimonium ostendam in descriptione Vrbis. Ab hoc uico usque ad ostia fluminum ora sinus in septentriones flexa aliquantum spatium procedit, hortis frequens et ædificiis, paulo ultra castellum aquæ defluentis ex collis ualde proni medio cliuo, ubi sacer fons perennis fluit, quem circumdant fundamenta antiquæ ædis, quam uulgs Græcorum appellat Diuam Photinem, cum tamen in hoc loco, aut non longe remoto, fuisse uideatur ædes Diui Cosmæ et Damiani, ex Procopio, cum ait *ad finem sinus in loco arduo et uehementer sublimi, templum Diuis Cosmæ et Damiano iam ab antiquis usque temporibus constitutum fuisse, quod statim uidetur ab ingredientibus sinum Ceras*. Iustinianus imperator, habitus *medicis [...] iam uicinus ad moriendum, diuorum precibus seruatus [...]*, ut illis *gratiam referret [...]*, templum illis sacrum *immutata pristina forma, quæ ignobilis erat et ornamenti expers [...]*, *pulchre et magnifice instaurauit, et lumen splendore illustrauit id templum*. Si forte accuratius uelis, uide Anthimi martyris ædem, quam Procopius ponit e regione in litore ulteriore. Iam autem a fonte Diuæ Photinæ ad ostia fluminum, [68] et promunturium Semystræ ambulaui circiter mille passus. Cur uero uocetur Semystra, et quibus nominibus appellantur flumina, Dionysius Byzantius docet.

*De flumine Cydari et Barbysa<sup>61</sup>, ex Anaplo Dionysii*  
CAPVT III

FLVMEN, inquit, *Cydarus uenit ab occasu æstiuo, Barbyses uero [...] a borea uento. [...] Barbysen alii dicunt educatorem [...] Byzantis, alii [...] nauigationis ducem eorum qui cum Iasone et Minyis nauigarunt ad Colchos, quidam heroem indigenam fuisse. Vbi flumina delata ad obuium promunturium crassum inter se coeunt in mare exeuntia, ibi ara est Semystræ, a qua [...] locus nomen inuenit. Semystra [...] nutrix fuit Ceroessæ matris Byzantis. Io enim cum, Louis arte in uaccam conuersa iraque Iunonis æstro alato [...] stimulata, multas [...] terras percurrisset, apud hunc [...] locum parturiendi dolore adfecta (nam erat diuini seminis plena) infantem feminam peperit. Hanc tollens Semystra lactat et nutrit gerentem insigne transformationis maternæ, cornuum enim typi [...] ex front [...] eminebant, unde appellatur Ceroessa. Ex hac et Neptuno genitus est Byzas, uir similiter ut deus honoratus, a quo Byzantium conditum est. Semystra [...] locus parum abfuit quin urbs [...] efficeretur, nam ibi duces coloniæ urbem condere constituerant [...], nisi ex media flamma coruus rapuisset partem uictimæ eamque [...] in Bosporium promunturium tulisset. Hoc ab Apolline ostentum coniecerunt [...] Græci. A pastore edocti [...], qui ab specula intuitus erat, ubi coruus uictimæ rapinam deposuisset, secutique signum [69] condiderunt Byzantium in promunturio Bosporio. Hucusque dicta sint ex Dionysio, quæ iam inde ab antiquissimis temporibus perulgata. Si quis me otiosior altius consideret, non sine physica ratione inueniet, Io uaccam cornigeram peperisse Ceroessam iuxta fluuiorum ostia, hoc est cornua, iuxtaque sinum Cornu nuncupatum. E quibus aqua dulcis, prodiens supra salsam sinus et freti summam aquam, fertur uelut altera Io, sinusque Ceratinus agnoscat uerus filius Ceroessæ et Neptuni, id est aquæ dulcis et salsaæ, ueriorque quam quisquam Byzas deprehendetur conditor Byzantii. Iam quale sit promunturium, ad quod dicit Dionysius flumina exire in mare, profecto obtusum et, ut ille ait, crassum ? In altitudinem editum amplius mille passuum, quorum septingenti inferiores sunt decliuiores, quadringenti superiores minus proclives. Iugi ceruix, qua promunturium adnectitur dorso montis, latior non est triginta passibus, angustata duabus uallibus, una a meridie, in qua summa depressa est fossa conseruatrix niuium, suis labris sustinens ligneum tugurium fastigatum in mucronem metæ, cuiusmodi plurimæ circa Vrbem uidentur. Altera ualle promunturii stringitur a septentrione, in qua ima est sacer fons, quem Græci *hagiasma* appellare solent.*

Promunturii radices partim adtingunt ripam Cydari, partim impendent in planitiem a ripa et promunturio intermissam, latitudinis trecentos, longitudinis plus minus quingentos septuaginta passus habentem, circuitu complectentem circiter mille et quingentos passus. Secundum hanc medianam est coitus Cydari et Barbysæ fluminum, quorum uterque paulo [70] supra eamdem planitiem fluit ab altero separatus promunturio longo et acuto. Id existimo esse, quod Dionysius Drepanum uocat. A tergo, inquit, *Semystræ, paulo supra fluminum ostia, initium circumflexus in alterum latus sinus Ceratini efficit promunturium Drepanum inflexum [...], cuius cacumen acutum [...] appellarunt Bucolon*, hoc est Bubulcum, *grata memoria prosecuti indicem, ex hoc loco [...] speculatum urbis conditorem coruum. Ex his Dionysii uerbis aduerte, quem is appellat Barbysem, Suidam reliquiosque recentes scriptores scribere Barbyssum. Quam recte ? fides sit penes emendatos codices ! Barbysæ nomen adeo iam ignotum est etiam accolis, ut aliter appellare Byzantini nesciant quam Chartaricon fluuium, ab officina ostiis fluminum propinqua, ubi chartæ contusæ explanantur. Rustici, qui accolunt eius fontes, hunc nominant Pectinachorion, a uico ita nuncupato illius fontibus uicino. Longus est circiter quindecim milliaria. Lenis adeo fluit, ut in neutram partem moueri uideatur, adeoque*

---

61 Barbysa : Barbysæ 1561, Barbyse GGM II.

profundus, ut pontibus etiam tota æstate transeatur. Eadem est eius latitudo, spatio ferme decem milliariorum, in quo quidem spatio euripi ab eo deriuati omni anni tempore præcipites uersant molas moletrinorum sexdecim. Fluit per medium uallem planam et pratensem, ut a fontibus usque ad ostium sit perpetuum pratum, cuius maximam partem Rex possidet. Quæ quanta sit, coniectare etiam absens potes ex quadringentis agricolis Christianis, quos, cum illuc profectus essem, offendì uno ordine dispositos herbam secantes, quibus præerant Turci quinque equites, octo pedites, opus urgentes. Totidem qua-[71] drigas feno onustas inueni, singulas uno pare boum tractas, quattuor rotis sustentatas, posterioribus maioribus excelsioribusque ad excipiendas priores. Incidi item in genisarios, qui circiter trecenti emissi dicebantur ad colligendas fluminum et lacum nymphæas, quibus Barbyses et Cydarus abundant, quibusque Regiæ potiones fiunt Regi usitatæ, ut Christianis uinolentæ.

Sed redeo ad Barbysen. Primo a septentrione ad meridiem aliquot milliaria procedit, deinde uarios flexus efficit, nunc ad ortum æquinoctialem, nunc ad hibernum, nunc inter ortum et meridiem, tandemque spatium quattuor milliariorum progrediens ab ortu solstitiali ad occasum hibernum, exit in sinum Ceratinum. Illius uallis per anfractus normales, similiter ut Bosphorus, pergit, quem habet parallelum, ita ut, si is porrigeretur usque ad Pontum, ut quidam ipsius uallem porrigi dicunt, insulam efficeret Barbyses et Bosphorus. Qui ab illius ostio proficiscuntur ad eiusdem fontes, uident illum a ripa dextra duos fluuios accipere, utrosque uenientes ab ortu solis, tota æstate perennes, unum in medio cursu, alterum paulo infra suos fontes perlucidum, etiam totam æstatem molas uersare ualentem. Quem scriptores uocant Hydalem, nunc eius nomen ignorantes, alii appellant Belgradum, a uico prope ipsius ripas sito, alii flumen nominant Camerarum a fornicibus, quibus ducebatur Constantinopolim. Hunc enim Andronicus rex excelsis fornicibus opereque subterraneo in Vrbem *perducere* [...] adgressus est, cum ut cetera Vrbs aqua abundaret, tum maxime *hi qui habitarent* [...] *circa Blachernas* [...], ubi cogitabat magnum nymphæum construere, [72] ut ibi habitantes copiosiorem aquam haberent. At morte interceptus, opus reliquit imperfectum, quod posteri reges absoluere neglexerunt, ut opus nimium sumptuosum, *ut etiam* [...] *Isacius rex, qui Andronicum et regno, et uita priuauit, turrim et palatium, quæ Andronicus ad secessum temporis æstiui prope fornices fluminum ædificauerat, demolitus fuerit,* [...] *hoc pulcherrimum factum Andronico* [...] *inuidens*. Hac ætate prope fornices, quos dixi transuersos secare Barbysem, uicus est, quem Pyrgon uulgo appellant. Etiam si iampridem ibi nulla turris, nullum palatium sit, tamen olim fuisse Pyrgi incolæ dicunt, saxaque effossa ex fundamentis murorum se uidisse testantur, incisum nomen Andronici habentia. Iam Hydalis influit in Barbysem fornicibus diruptis, quibus Constantinopolim ducebatur.

Cydarus fluuius, quem uulgo Machleuam appellant, similiter ut Barbyses fornicibus transuersis secatur, Hydalem et Barbysæ partem Constantinopolim ducentibus. Longior quidem est quam Barbyses, sed minor, similiterque ferme ut Barbyses per anfractus fertur, a quo uelut fere parallelo curuo ipse curuus distat uario quidem interuallo, sed perpetuo collino, inter fornices utriusque patente in latitudinem circiter quattuor milliariorum. Vario etiam cursu progreditur, nam a fornicibus, ultra quas non progressus sum, uidi ipsum ab occasu ad ortu solis tendere, deinde flecti ad meridiem, postremo amplius duo milliaria a septentrionibus ad meridiem proficiscentem influere in sinum Ceras. Quamobrem Dionysium, cum ait *Cydarum uenire ab occasu æstiuo, intellegere non oportet cum interuallo* [73] circiter duum milliariorum, <quo> ostio propinquus accedit.

*De locis appellatis Mandris et Dryi, et de luco Apollinis, et ponte Philippi, et de Cubis*

*Canopi*

CAPVT IV

*POST Bucolon<sup>62</sup>, inquit Dionysius, sunt loca nuncupata Mandræ et Drys. Ille quidem a loco quieto [...] et tecto, mari enim [...] tranquillo adluitur. Drys uero habet lucum [...] Apollini sacrum.*

Post promunturium est longus sinus Auleon appellatus. Id promunturium a septentriione clauditur ualle Barbysæ, a meridie ualle efficiente sinum longum, quem Dionysius appellat Auleona, cuius ora lunata patet in longitudinem mille et septingentorum passuum. In qua media est Regis uirectum insinuatum in imam planitiem uallis a septentrionibus clausæ promunturio elato in passus circiter octingentos, quorum imi trecenti ualde declives, reliqui leniores. Dionysii ætate puto imam uallem, in qua nunc est Regis uirectum, fuisse palustrem, et partem sinus Auleonis, siue Aulonis. Cuius e regione in ulteriore litore fuit locus nominatus Semystra.

*Post [...] Auleona Dionysius dicit esse pontem, Philippi Macedonis opus [...] quo sinus Cornu traiceretur. Philippus enim in uadum [...] saxa deiecit, eorumque multitudinem supra uadum accumulauit multis operis, ut pontis commoditate uti posset [...] abunde ad commeatum terrestrem, nam [...] classe Byzantiis par non fuit, multo mari imperantibus.*

Iuxta hunc pontem fuit Nicæi herois ara, et locus leniter circumflexus, ad capiendos pisces receptaculum, et locus qui dicitur [...] Neos Bo-[74] los, id est Nouus Iactus. Inter promunturium, quo sinus prius pergens ad occasum flectitur ad septentriones, interque uicum Aibasarium supra aquam paulum exstantia uidentur æstate pilarum fundamenta, quæ an sustinuerint pontem Philippi, an aliorum, iudicare non possum. Hoc unum dumtaxat possum ex Dionysii uerbis elicere, uel in illarum loco, uel in propinquu fuisse pontem Philippi. Ante trecentos annos fuisse pontem uel in prædicto uel propinquu liquet ex Tzete, ut alibi dicetur. Nam ante mille autem annos fuisse pontem sublicium ostendemus in antiqua *Descriptione* regionum Constantinopolitanarum. Qui omnes bellis subsecutis euersi sunt. Mechmetes Rex, qui Constantinopolim cepit, ut Vrbem strictius obsideret, pontem efficit a contrariæ continentis regione appellata τῶν Κεραμαρείων<sup>63</sup> ad Vrbem ferentem [...] dolis ligneis inter se apte colligatis et firmiter, ut traicere [...] posset milites ab exercitu obsidente Sycas ad Vrbemque [...], ut eam undique obsideret. Iam uero in litore, quod modo descripsi a loco appellato Mandris usque ad aram Nicæi herois, percipitur ex Procopio fuisse templum Anthimi martyris, cum ait, Iustinianum in cliuo arduo ad finem sinus [...] ædificasse ædem [...] Diuorum Cosmæ et Damiani [...], in alteraque sinus parte [...] templum, ubi nullum prius fuerat, dicasse Anthimo martyri secundum [...] sinus oram [...], ubi maris fluxus templi crepidines adluit iam mitigatus [...]. Non enim cum fremitu [...] murmurantis maris ad illius<sup>64</sup> saxa frangitur, [...] sed iam mollis et lenis tacitusque accedit [...] ad id templum [...], in magnam altitudinem editum, lapidum decore auroque [...] ornatum. Nunc nulla exstant illius uestigia, neque quis-[75] quam reperitur qui, in quo loco id fuerit a maioribus audierit aut legerit ; quin potius omnes prorsus ignorant ullum templum in hoc litore fuisse.

A promunturio, quo dixi sinum incuruari ad septentriones, incipit flexus longus, et molliter curuatus finitur mucrone uirecti Regii ab Abramo Bassa consiti. Huiusc flexus ora ædificiis plena est et figlinis laterculorum coctilium et crudorum, cum in multas insinuata ualliculas, tum penitus in uallem Diuæ Parasceuæ longam duo milliaria, cuius ima planities adtingens sinus oram, lata quadringentos passus, deinde statim stringitur in ducentos, sensimque angustata adtolitur in cliuos. Clauditur duobus collibus, uno exædificato ab occasu tres tumulos emittente, qui in sinum eminentes efficiunt duas ualliculas. Ab ortu solis includitur

<sup>62</sup> Bucolon : Buculam 1561.

<sup>63</sup> Κεραμαρείων : Κρομαρείων edd.

<sup>64</sup> illius : illic leg. ?

altero colle ex tribus lateribus, pleno ædificiorum usque ad oram maris, ut mediæ ædificiorum partes sublicis sustineantur in sinus uadum defixis.

In summa ualle olim fuit templum Pantaleemonis iuxta fontes riui perennis, olim in sinum influentis. Nunc partim deriuatus est opere subterraneo in propinquum Regis uirectum, partim in balneum et hortos sub uallem subiectos consumitur. Ne quis miretur, si illum iam non uideat supra terram fluere, qualem Dionysius informat, describens hæc loca. Circa, inquit, locum *re et nomine*<sup>65</sup> Ἀκτίνα<sup>65</sup> [...], sunt *Cubi Canopi et Fontes* [...], *ualde enim* [...] *locus irriguus* est. *Cubi autem* sunt *insignia Persicæ historiæ*. *Huc enim nonnulli descendebant ad* animorum *remissionem* [...] et ludos, ut amœnitate litoris perfuerentur. *Canopus*<sup>66</sup> [...] *nomen* [...] inuenit a similitudine deliciarum, quæ huic loco est cum Ἀgy-[76] ptio Canopo. *Mizon*<sup>67</sup> *fluuus* hanc oram secans [...] *sinui nomen* dedit. Fluit perennis [...], sed haud nauigabilis est. Hæc quidem Dionysius, quem miror ex eo quod ait, non esse nauigabilem, cum iam tam exilis sit, ut ad irrigandos hortos totus consumatur. Itaque arbitror partim terræ motibus, quibus obnoxia est regio Constantinopolitana, partim subterraneis subductionibus in Regium hortum adtenuatum esse. Nunc in hoc loco uicus est longus, aquis abundans, quo Constantinopolitani frequentes secedere solent, ut maris et terræ deliciis fruantur. Recte appellatur<sup>68</sup> hic locus *Cubi*<sup>69</sup> *Canopi*, siue quia Ἀgyptiorum Plato κυβείων inuentum esse dicit, et *Canopus*<sup>70</sup> mollioris remissionis Ἀgyptiis ludus erat, siue quia Byzantii coloni Attici mores sequebantur Atticorum unde oriundi erant. Attici enim maximo studio κυβείων amplectebantur ut, etiam in ædes sacras congregati, taxillis lusitarent. Hunc locum iam Græci appellant Hagian Parasceuen, quem imperatore Iustiniano Diui Laurentii appellatum fuisse existimo ab æde Diui Laurentii in hoc suburbano constituta. Quam Procopius *antea ignobilem* [...] et *obscuram* [...] tradit Iustinianum nobilem et præclarum rediddisse, *in sinistra sinus parte* [...] *sitam e regione* [...] *Diuæ Mariæ in* [...] *Blachernis*. Nunc neutra exstat, funditus enim utraque euersa est, exceptis fundamentorum exilibus uestigiis. Procopius obscure locutus uideri potest, cum ait Laurentianam ædem in sinistra sinus parte sitam fuisse, neque addit, quorum ratione ingredientiumne in sinum, an egredientium. Ego illam appelaui dextram, habens rationem ingredientium et naturalis sinus principii, quod nascitur a Bosporo, non ab [77] ostiis fluminum, ubi sinus finitur. *Vltra* templum Diui Laurentii Procopius scribit *Prisco et Nicolao Diuis ædem Iustinianum ex integro construxisse* [...], *ubi Byzantii loci amore capti plurimum uersantur*, partim loci amoenitate ducti, partim uenerantes [...] diuorum [...] ædem decoram, quam longe in altum rex uim impetu maris adferens [...] constituit.

*De Regio nauali et de locis antiquis quæ olim fuerunt ubi est nunc nauale*

CAPVT V

POST uicum suburbanum Canopicum sequitur uirectum Regium, quod olim partem fuisse Canopi existimo ex loci situ et ex auditione senum testantium, priusquam id consitum esset,

<sup>65</sup> Ἀκτίνα: Actinen *edd.*

<sup>66</sup> Canopus : Canopi *edd.*

<sup>67</sup> Mizon : Cison *edd.*

<sup>68</sup> appellatur : appellatus 1561.

<sup>69</sup> Cubi : Cubus *edd.*

<sup>70</sup> Canopus : Canopum 1561.

Constantinopolitanos frequentes eo secedere solitos ob loci amoenitatem. Amplius decem stadia circuitu complectitur. Eius media pars posita in maritima planicie, altera in colliculis et ualliculis, silua cupressorum arborumque fructiferarum adumbratur, ut regia domus arboribus circumsita a præternaugantibus non perspiciatur. Distinctum est uii, et herbis consitum eo ordine, quo cetera uirecta, quæ cupressos non obliquis ordinibus in quincuncem dispositas, sed secundum uias habent directas in ordines rectos. Virecti ora maritima, parietibus clausa, media angulatum mucronem agit, procurrentem in sinum, uelut linguam, cum natura tum magis opere productum. Ex quo extremo ædicula in sinum eminet uelut specula, sublicis sustentata, quibus uelut clatrīs pisces subeunt in piscinam proximam. Huiuscemodi ædiculas undique fenestratas Turci *sardaca* appellare solent. Quæ uel in locis eminentibus uel undique patentibus, ut in mediis domorum areis aut in earum frontibus uelut mæniana, [78] construere solent, aut quadrata aut hexagona aut octogona, aut ligneis testudinibus aut hemisphæriis præclare laqueatis, et Persica pictura collucentibus.

Illa ædicula finitur flexus a nobis iam excursus, incipitque alter finitus Sycarum promunturio. Recessus intimus abductus in hunc medium flexum cuneatus est, deinde molliter dilatatur in longitudinem octo stadiorum, occupatam triremium Regiarum sicco nauali loculato. Sic enim triremes centum et tredecim in aridum subductæ exsistunt, ut totidem ædificiis, uelut loculamentis continuis, separantur, clausis ab utroque latere parietibus tectum imbricatum sustinentibus, a fronte a tergo apertis, præ se habentibus sinum, a tergo murum claudentem totum nauale. Is, cum uenisse Byzantium, ex crudis factus erat laterculis, post ex lapidibus cæmenticiis. Atque inter loculamenta et murum additæ sunt cellæ usibus triremium accommodatae, etiam addita ædificia armamentaria plumbo tecta.

Supra naualis partem quæ pertinet ad occasum, eminent colliculi, ualliculis distincti, tecti sepulcris Turcorum et Iudæorum. A medio sinus et naualis flexu uallis nascitur pergens a meridie ad septentriones, cuius ima planities ad libellam æquata angustior non est quadringentis passibus neque, ubi in ualliculas insinuatur, latior sexcentis. Eius maritima pars, adtingens nauale, habitatur frequenti uico, quem uocant Cassin Bassam, a satrapa, qui in eo loco amplas thermas construxit plumbo tectas, uario marmore constratas. Reliqua uallis planities tota consita est hortis uberibus. Per hanc medianam fluuius, sed haud perennis fluit. Olim perennem fuisse exi-[79] stimo. Nunc partim permultis iugibus puteis usque fere ad labrum plenis, partim aquæductibus et terræ motibus exhaustus, cursum æstuum perpetuare nequit. Vallis latus, quod efficit collis Sycenus, editum in altitudinem septingentorum passuum, tegitur sepulcris Turcicis, quæ ornant stelæ<sup>71</sup> lapideæ et uirentes siluæ cupressorum. Alterum uallis latus ad solis ortum pertinens, procliuius quidem, sed non altius quadringentis passibus, continens sepulcra Iudæorum, tecta aut mensis lapideis, aut carinatis operculis. Hæc uallis cum processit quattuor stadia in longitudinem, obiectu duorum collium singulorum uicos singulos habentium scinditur in tres ualles pratis, hortis, uineis cultas, quarum duæ extremæ maiores, quæ in ualliculas quattuordecim interciduntur, desinentes omnes in dorsum perpetuum, alias flexuosas, alias tortuosas, id quod efficit nauale tutius a uentis septentrionibus. Palustrem fuisse olim hanc uallem et nemorosam, coniicio ex Dionysio Byzantio. Post, inquit, Cubos Canopi<sup>72</sup> est palus [...] habens radices sub aqua latentes [...], claudens sinum [...], ubi est receptaculum piscibus capiendis [...] aptum, saxis concavis ad ipsos introitus obuiam procedentibus [...], in quæ delabuntur pisces noctis tenebris errantes.

*Post paludem sunt Chæragria nuncupata, a rebus, quæ ibi fiunt, nominata, quoniam [...] apri ex montibus descendentes, ad hæc loca abacti, a uenatoribus fraude capiuntur. Omne*

71 stelæ : stellæ 1561.

72 Canopi : Canopis 1561.

*enim sinus latus [...] uento noto obiectum, siluis plenum erat. Ex his Dionysii uerbis percipio uallem illam palustrem fuisse. Nunc exsiccata est uel exædificationibus, uel agriculturis, uel puteorum copia, uel aquæductibus, [80] atque omne sinus latus, uento noto expositum, ab arboribus nudum est, nisi manu satis.*

*De isthmo Ceratini recessus, de sepulcro Hipposthenis, de Sycis et delubro Amphiarai*  
CAPVT VI

DEINDE Dionysius addit : Secundum locum, ad quem desinit recessus Ceratini sinus, incipit [...] isthmicum promunturium, apertam iam et multam Propontidem prospiciens, in quo sepulcrum Hipposthenis exstat herois Megarensis, a quo locus nomen adeptus est. Quod isthmicum promunturium Dionysius dicit, id intellege esse collem in quo nunc situm est oppidum nuncupatum Galata. Nam si a primis faucibus Ceratini sinus lineam duceret ad eiusdem recessum intimum, in quo ante dixi Regium nauale esse, intra lineam includeres collem Galacticum, ex cuius iugo prospicientibus multa aperitur Propontis.

*Post Hipposthenem, inquit Dionysius, locus est appellatus Sycodes<sup>73</sup> a multitudine et pulchritudine ficuum arborum. Quidam curiosiores dicunt [...], primam ficum arborem ibidem natam esse. Locum hunc, cum declarabo Sycenam regionem decimam tertiam Vrbis, ostendam esse Galatam, quam olim primum appellarunt Sycas, post Iustinianas, postremo Peram, siue Galatam.*

*Inde* Dionysius, persequens suum *Anapolum*, ponit Amphiarai *delubrum*, quod *Byzantii Megarensium* [...] coloni construxerunt, *memoria et honore prosequentes* Amphiaraum Oiclei filium. Amphiaraum cum ceteri Graeci tum Megarenses honorarunt, deum ut haberent, atque [81] ab eius solo, in quo fuit humatus, oracula peterent.

*De ædibus Dianæ Luciferæ et Veneris Placidæ, et de loco Ostreode, et Metopo, et de ara Apollinis*  
CAPVT VII

POST, inquit, Amphiarai delubrum est {Syamphas} *locus, Auletes nominatus*. Is una cum aliis colonis Byzantium deductus fuerat, cui Apollinis ars reliquit nominis memoriam.

*Inde* est *Bolos*, is est *Iactus*, *ad piscationem hibernam percommodus loci natura, in quo est templum Dianæ Luciferæ et Veneris Placidæ [...]. Existimatur enim largiri uentorum commoditatem, eosque turbulentos placare.*

*Deinde* est locus *Ostreodes*, *a rebus, quæ ibi fiunt, nominatus [...]. Maris enim [...] uadum ostrearum multitudine [...] exalbescientium constratum [...] fit perspicuum aspicientibus [...], maxime in tranquillitate et quiete uentorum. Hic autem locus semper alit quod impendatur et in commune conferatur. Est [...] enim luxuriosis locus generationis ostrearum contendentis cum earum piscatione.*

*Ostreoda* locum excipit nuncupatum *Metopon*. *Hoc [...] sub aspectum urbis subiectum est ; aspicit enim [...] Bosporum promunturium. Nomen inuenit a figura [...], nam ex continentis parte planum est terrenis tumulis [...], ex parte maris declive et præceps [...]. Non tamen diuini testimonii expers est, et enim apud ipsum colitur Apollo. Ex his Dionysii uerbis scimus Metopon esse frontem ante urbis oculos positam. Quam prius nisi cognitam habeamus, adsequi nequimus, intra ne oppidum Galatam, an paulo an longe extra Galatam fuerint templa Amphiarai, Dianæ [82] Luciferæ et Veneris Placidæ et locus Ostreodes. Cum igitur nulla pars Europæ posita sit ante oculos Byzantii, nullaque recte intueatur promunturium Bosporum,*

---

<sup>73</sup> Sycodes : Sycides leg. ?

nisi collis nascens prope portam Galatæ, cum eius frons tota subiecta sit sub aspectum promunturii Bosporii, patet illum esse, quem Dionysius appellat Metopon. Græci huius ætatis appellant acram Spandoninam quæquam sit in conspectu Byzantii. Rex Soleimanus declarauit, cum nullam aliam ob causam id usurpauit longo uirecto, quam ut in conspectu suo colles haberet silua uirenti uestitos, et ut excluderet oculos id incolentium despicientium in claustrum sui palatii in promunturio Bosporio siti. Quale illud iam sit, subiungam. Ex duabus partibus mari adluitur, ab ortu solis Bosporo, a meridie sinu Ceratino. Interius ad septentriones recedit quam collis Galatinus, quem antiqui Sycenum appellabant, ut uelut de industria cedere uideatur colli Syceno, ne illi aspectum solis orientis tollat. Duobus cornibus prominet, uno in sinus ostium, altero in portam Sycenam. Triplici latere deprimitur, primo in uallem, qua clauditur ab occasu quaque separatur a colle Syceno, uineis, hortis, aedificiis plena, desinenti in planitem, quæ ante portam Sycenam explicatur, in qua iacent globorum marmoreorum magni acerui simulque magna multitudo machinarum bellicarum, unde porta nomen habet, ubi thermæ et officinæ fabriles fusilium machinarum bellicarum. Alterum promunturii latus demittitur ad meridiem, totum obiectum oculis ueteris Byzantii, ualde proclive, ut eius ascensus gradibus aut anfractibus moliatur. Vsque ad mare prounum deiici-[83] tur, ut litus sit excelsum, præceps, præruptum. Lateris media pars intumescit duobus tumulis ab infera parte præcipitibus, a supera explicatis in planitem leniter adsurgentem ad promunturii fastigium, porrectum in longam planitem. Ora maritima sub hoc latus subiecta producitur in longitudinem mille passuum, quorum quadringenti Sycenæ portæ propinquiores patent in latitudinem quinquaginta passuum, ubi communis ambulatio suburbana platanis adumbratur, in qua olim ædes Diui Constantini, cuius superficies nunc non exstat. Dumtaxat gradibus lapideis in fornicem subterraneam Græci descendunt ad potionem aquæ fontanæ Constantino sacræ. Reliqua oræ maritimæ pars tota procliuis, excepta uia humano opere explanata. Tertium promunturii latus, similiter ualde proclive et præceps usque ad litus, uergens ad solis ortum, intuens promunturium Asiæ Damalicum, quo Bosphorus contendens ad occasum flectitur ad meridiem. Ex antedictis appetet Metopon esse aut totum promunturium, aut eius partem eminentem in primas sinus fauces, quam uulgo appellant acram Spandoninam. Si totum Dionysius intellegit, existimare debemus Bolum, templa Dianæ et Veneris locumque Ostreodem fuisse intra urbem Galatam, eamque urbis partem non comprehensam fuisse intra locum Sycodem (ut non uidetur ex antiqua regionum *Descriptione* Vrbis, ponente in latere Galatæ meridiano Sycenam regionem, quæ etiamnum cernitur in media Galata propriis muris clausa, opposita Constantinopoleos ualli, in qua ima est traiectus Sycenus), Galatæque latus uergens<sup>74</sup> ad solis ortum post Syco-[84] dem fuisse, quod incipit ab angulo Diuæ Claræ, quo sinus tendens ad occasum brumalem, flectitur ad occasum fere solstitiale, quoque finitur recessus inchoatus<sup>75</sup> a promunturio Spandonino, longus duo millia passuum, quorum octingenti intra urbem.

Iactus hibernæ punctioni aptus uidetur angulus soli expositus, a uentis septentrionibus tectus. In quo hodie spectantur duæ ædes sacræ, quarum unam Franci appellant Diuam Claram, alteram Græci Photinen, quasi Phosphoron, non sine antiqua ratione, quoniam hic esset ædes Dianæ Phosphori et Veneris Placidæ, quæ etiam Phosphoros, ea est Lucifer, nominatur. Nam primi illi propagatores religionis Christianæ, quo facilius nationes a cultu antiquorum deorum ad uerum pietatis cultum paulatim abducerent, ueramque religionem illos colere adsuefacerent, sub antiquis deorum nominibus noua induxerunt diuorum nomina. Suidas scribit Constantinum regem Romæorum, filium Leonis Isauri Iconomachi, *Venerem*

<sup>74</sup> uergens : urgens *edd.*

<sup>75</sup> inchoatus : inchoatur 1561.

*coluisse, eique humanas uictimas mactasse [...] in regione Vrbis Peræa, ubi Diuæ Mauræ templum esset, quod is demolitus locum effecit homicidiarium, quem Mauram nominauit [...], in quo [...] nocte [...] pueros sacrificabat.* Existimo illam ædem primo appellatam Phosphoron a Diana Lucifera, deinde Photinam, post Mauram. Vide, an sit uitiatus codex Suidæ habens Sanctam Mauram pro Sancta Photina. Nam cum Iconomachus Constantinus imaginum cultum oppugnaret, uerisimile uidetur ædem Diuæ Photinæ contumeliose appellasse Diuæ Mauræ. Nunc nemo est, qui audierit aut legerit in regione Vrbis Peræa Diuæ Mauræ ædem fuisse, sed dum-[85] taxat Photinæ. Adde, quod litora contraria multa de paritate et similitudine inter se contendunt, ut duæ Cyaneæ, ut duo angustiarum Fana, ut alia pleraque, ut litus Diuæ Photinæ fortasse ideo ædem Dianæ Phosphori habuit, quod sit e regione Phosphorii portus in contrario litore siti, ex eo appellati, quia illic Diana Phosphorus lucem Byzantiis adtulerit contra *Philippum Macedonem* cuniculis *Byzantium oppugnantem*. Venus uero Placida non commodius collocari potuit, quam in hoc litore ubi Bosporus labitur placidus et silens. In qua parte regionis Peræa Constantinus Veneris cultor colere Venerem melius potuit quam in antiquissima Veneris sede ?

Iam cognitis ædibus Dianæ Luciferæ et Veneris Placidæ, et Metopo, iudicare possumus Ostreodem locum fuisse inter ædem Diuæ Photinæ et primas radices promunturii Spandonini, præsertim si id totum intellegit Dionysius Metopon esse. Quamuis ostrearum piscatio frequentius hodie exerceatur a Sycarum porta ad finem promunturii Metopici, et eo ulterius, ob uadum maris purgatum et apertum, in quod sparguntur et disseminantur quotannis ostreæ integræ, non, ut olim falso acceperam, diuisæ atque disruptæ, tamen antequam esset litus subiectum sub partem oppidi Galatae obiectam orienti, ostrearum piscationem copiosam præbere potuit. Postea uero quam huius litoris pars uadosa ædificata est, pars quotidie aut obruitur projectis oppidi purgationibus, aut frequentium nauigiorum stationibus occupatur. Piscatio ostrearum nunc minus exercetur in hoc suburbano litore, etiamnum exalbescente ostreis sua sponte prouenientibus, [86] non autem seminatis, ut seminantur circa promunturium Metopicum quotannis in hunc modum. Posteaquam Græci a piscibus sanguine participibus suam longam abstinentiam sustentarunt ostreis luculentis quidem, sed sanguinis, ut ipsi putant, parentibus, ex locis paulo remotioribus ab Vrbe naues ostreis plenas ad hæc loca maritima Vrbi propinquiora adducunt, atque in mare palis abiiciunt ostreas integras, non dissectas ut mendaces quidam, monstruosarum narrationum factores, in Italiam sparserant et disseminauerant, ut me imprudentem deceperint, ut uix cum uenissem Byzantium, prudens factus a peritis piscatoribus, dissuadere potuerim imperitorum opinionem iamdudum confirmatam. Ex illa igitur sparsione et dissemination fit, ut quotannis ostrearum genus renouetur, luxusque morum Græcorum redintegretur. Sin autem minus totum promunturium intellegit Metopon esse Dionysius, sed solam promunturii linguam eminentem supra primas sinus fauces, tum coniectare possumus Ostreodem locum occupasse oram maritimam aduentem urbis latus orienti aduersum, et radices promunturii Spandonini spectantes ad meridianam cæli regionem.

*De Æantio, et Palinormico, et templo Ptolemæi, de Iasonio, et luco Apollinis, et de altis antiquis locis*

CAPVT VIII

SED REDEO ad Dionysium, qui a Metopo deinceps ita *Anaplu* persecutur. Post, inquit, *Metopon*, est *Æantion*, nomen adeptum ab Aiace Telamonis<sup>76</sup>, quem propter [87] quamdam uaticinationem colunt Megarenses ex instituto eorum qui deduxerunt coloniam.

---

76 Telamonis : Telamone 1561, Telamonio GGM II.

*Inde [...] procidens præcipitum, conuersum in mare, nominatum est Palinormicum a secunda applicatione. Postquam enim coloniae deductores ad eum locum naues primo appullissent [...] ex eoque soluissent, rursus ad eumdem locum reuerterunt.*

*Paulo supra [...] præcipitum Palinormicon exsistit templum Ptolemæi Philadelphi [...], quem Byzantii æque ac deum uenerati sunt, quod ex eius in urbem animi magnitudine [...] fructum magnum accepissent. Etenim Byzantiis Ptolemæus in Asia regionem frumentique multas myriades et sagittas et pecunias dederat.*

*Deinde est locus dictus Delphinus et Carandas. Causa nominum hæc est. Vir Chalcis [...] nominatus, genere Byzantius, scientia citharædus, nullis summis citharædis inferior [...], cum [...] orthium carmen caneret, delphinus ex pelago [...] exstitit, seque ad audiendum erexit cantilenæ impetum [...], maritimæ oræ insistens, extra mare eminens [...], aspectum sublime gerens, ut uehementi cantu impleretur, ob audiendi studium nihil a uadi commotione læsus [...]. Cum autem Chalcis canere desinebat [...], delphinus mare subibat, ad locumque consuetum redibat [...]. Carandas pastor accola, siue inuidia atque odio in Chalcidem [...], siue auaritia incitatus, delphino insidiatus est sensim ad maris oram adlabenti eumque [...] sublimem accendentem interfecit [...]. Non tamen pascatione potitus est. Chalcis enim suum auditorem magnifica sepultura adfecit, locisque nomina Delphinum et Carandam imposuit, illum [...] donans honoris memoria, hunc ignominiæ.*

*Postea est acra [...] in breuem recessum insinua-[88] ta. Basis ipsius et radix petra in fundo Thermastis appellatur.*

*Post hanc ipsam litus noto uento apertum nominatur Pentecontoricon a [...] nauibus quinquaginta remos habentibus ad litus id appulsis.*

*Scytham enim dicunt nuncupatum Taurum ex suis sedibus migrantem huc appulsum fuisse, atque ad Cretam [...] nauigasse, Pasiphaen Minois filiam<sup>77</sup> stuprasse, unde nata fabula amoris et prolis ex ipso procreatæ.*

*Deinde succedit Iasonium, ex eo nomen adeptum, quod Iason nauigans ad Colchos illuc [...] appulsus fuerit, ubi est nemus [...] profundæ laurus plenum araque Apollinis, litus autem longum [...], omne uentis occiduis et meridianis expositum. Vbi infra ostendero Iasonium esse uicum, quem Græci hodie uocant Diplociona, Turci Bisitas, facilius percipietur Æantion, templum Ptolemæi, Delphinum et Carandam, petram Thermastin, Pentecontoricon loca sita fuisse inter Metopon et uicum Diplociona.*

Ea ut magis perspicua fiant, prius pergo exponere situm reliquæ oræ maritimæ. Quam continuare intermisseram ad promunturii Metopici mucronem præcipitem et præcisum usque ad mare, uia dumtaxat intermissa humano opere explanata, iactis in mare uadosum et saxosum ædificiis aut molis substructionibus, ubi finitur longus flexus a promunturio Clidio inchoatus. Ab illius igitur mucrone seu rostro passus trecentos progressus, incidi in uallem diuidentem Metopicon promunturium a colle, in quo est suburbanum Aiatis Bassæ. Cuius imæ radices maritimæ porriguntur in passuum longitudinem circiter octingentorum, quorum primi quadringtoniti maritimam habent planitiem patentem in pas-[89] suum circiter quadraginta latitudinem. Supra impudent cliui, imi quidem præcipites et fere directi in altitudinem ferme centenum passuum, inde a medio colle ad summum uerticem exigue proni. At reliqui quadringtoniti planitiem maritimam non habent, sed cliuos a mari ad supercilium collis præcipites. Excipio imam planitiem ualliculæ mediæ, inter cliuos interiectæ quæ, medium Aiatis<sup>78</sup> uirectum perennibus fontibus irriguum secans, cingitur duobus tumulis præcipitibus et præruptis, altero eminente supra scalam Commercii, ubi fundamenta uidentur antiquæ

<sup>77</sup> filiam : uxorem *leg.* ?

<sup>78</sup> Aiatis : Aiacis *edd.*

molis, partim sub aqua delitescentia, partim supra mare exstantia, quæ piscatores uocant Caridata (nescio an quasi fortasse Carandam a Dionysio nuncupatam). Altero tumulo præcingitur usque ad mare præcipiti atque imminente in uallem, qua a septentrionibus clauditur, lata iuxta litus ducentos octoginta passus, ipsa a septentrionibus clausa colle radices præcipites agente et propagante ad mare usque, latus centum passus. Ab earum initio ora maris, quæ tendebat a promunturio Metopico ad cæli partem medium inter Vrsam et aquilonem, flectitur ad ortum æstium. Iam uallem et collem occupat Regius hortus circuitu quattuor millia passuum complexus, uirens silua cupressorum arborumque frugiferarum, Carabolus uocatus a satrapa illius constructore. Quem aiunt piscatores obruisse maris recessum insinuatum in imam horti uallem, cinctam a septentrionibus colle radices præeruptas et saxeas usque ad mare spargente. Sub his radicibus Dionysius ponere uidetur petram Thermastin, nam, ut ipse ait, hæc *acra [...] insinuabatur* in breuem re-[90] cessum, et *post eam litus est noto uento apertum* (quæ aut excisa est, aut si nunc exstat, non agnoscitur), præsertim si Dionysius acram non intellegit esse promunturium, sed simpliciter oram maris, quæ tota ab hoc loco ad collis Metopici promunturium adluitur mari uadiso, crebris petris supra aquam eminentibus inculcato. Earum quænam sit Thermastis, internoscere difficile est, iam tot sæculis ora maritima immutata, aliis saxa litorea exscindentibus, aliis imos collium cliuos explanantibus, aliis sinus uallium obruentibus. Hæc commutatio me impedit, quo minus iudicare audeam, an Palinormicon fuerit iuxta collis Metopici promunturium, an ad radices collis eminentis in scalam Commercii. Hoc unum arbitrari possum Palinormicon fuisse secundum radices alterutrius horum collium.

A uallicula Regii horti, ad quam coniectauit fuisse Thermastin petram, ora maritima, quæ dirigebatur ad septentriones, flectitur ad plagam cæli medianam inter solstitialem et æquinoctialem ortum, in qua plaga longi latique horti Rostani Bassæ, et Aenobarbi Regiæ classi præfecti, eiusque sepulcrum iuxta litus situm, circumclusum ædicula rotunda desinente in conuexum, tegulis plumbeis tecta, ædiculæ<sup>79</sup> area quadrata circumsæpta muris, platanis et populis adumbrata. Et ne maris fluctus mortuum piratam submergant, quem uiuum submergere non potuerunt, cum aliis saxis litus munierunt, tum duabus columnis marmoris Thebæi terræ motu collapsis. A quibus stantibus uicus proximus appellatus est Diplocion, constitutus in maritima planicie. Cuius plurima pars patet in latitudinem [91] quadringtonitorum passuum et amplius, cum insinuatur in duas ualles. Quarum una diffunditur in planitem septingentis passibus longiore, hortis collucentem fontibusque perennibus, utrimque collinis uineis et agris frumentariis cinctam, in qua est uicus Diplocion. Vbi olim fuisse Iasonium aramque Apollinis et lucum profundæ laurus conicio cum ex eo, quod situs hic locus est in *litore longo [...] uentis meridianis occiduisque exposito*, ut ait Dionysius, tum ex eius ordine narrandi antedicta loca et consequentia. Locum, ubi fuit ara Apollinis et magnus lucus laurorum, uero proximum uidetur eum fuisse, quem posteri appellarent Daphnen, cuius meminit Stephanus. *Daphne*, inquit, *Insana portus [...] est iuxta os Ponti, in dextro litore constitutus nauigantibus ad Pontum. In sinistro uero ascendentibus ad Anapolum exstat [...] suburbium Daphne [...] nuncupatum, quod etiam appellatur Sergium.* Ex Procopio aliisque scribentibus Anapolum esse ad promunturium Hestias, hoc dumtaxat adsequimur, Daphnen suburbium esse inter Byzantium et promunturium Hestias, nulliusque scriptoris traditione proprius accedi potest ad cognitionem Daphnæ, quam ex his quæ modo Stephani et Procopii adtuli. At uero Dionysius ad ipsius notionem nos, aut quam proxime perducit. Quispiam fortasse obiicit, in hoc sinistro latere fuisse item Daphnen Medeæ, quam postea ex Dionysio ostendam fuisse inter locum nuncupatum Senem Marinum et promunturium Hestias in ualle, in qua etiam nunc uisuntur rudera ædis Demetrianæ, dubiumque sibi atque

---

<sup>79</sup> tecta, ædiculæ : tectam ædiculam 1561.

controuersum uideri dicet, utra Daphne fuerit suburbium Byzantii. Mihi [92] uero propius uidetur Byzantios Daphnen aramque Apollinis coluisse et frequentasse quam Daphnen Medeæ pharmacidis. Cultus enim deorum loca incolis frequentia efficere solet. Vt enim Antiochia Daphnen suburbium frequentans effecit nobile et maximum ob cultum Apollinis Daphnici, ita Byzantium Daphnen aramque Apollinis frequenti cultu effecit suburbium, in planicie Diplocionis ampla, culta urbique uicina, mitibus et uitiferis collibus cincta, potius quam in uallicula Demetriana angusta, undique asperis collibus circumclusa, nondum exædificata, longe ab Vrbe remotiori.

Præterea in Diplocionis planicie, potius quam in ualle Demetriana fuisse suburbium Daphnen coniicio ex *Historia Euagrii* narrantis *Mammianum* [...] *insignem* [...] senatorem in *Daphne suburbio* [...] *construxisse* [...] Antipharon *e regione balnei publici* [...] in quo *statuta esset Mammiani aenea statua*. Antipharon appellatam arbitror, ex eo quod sita esset contra pharum, quam Marcellinus dicit fuisse Byzantii in promunturio Chrysocera nuncupato, quod Dionysius appellat Bosporum. Illa si fuisset constituta in ualle Demetriana, non Vrbi aduersa fuisset, sed prorsus ab Vrbe auersa, longe posita extra conspectum Vrbis impeditum intermedio colle excelso Clidio appellato.

Agathiam historicum suburbanum habuisse in uico Daphne coniicere possumus ex eius epigrammate inscripto in *hortum maritimum* :

Εἶχον ἐμοί, Δάφνης ἱερὸν κλέτας, ἔκτοθι Πόντου  
κείμενον, ἀγραύλου κάλλος ἐρημοσύνης.  
'Ενθάδε γὰρ Νύμφαι δενδρίτιδες, αἵ τ' ἐνὶ Πόντῳ  
[93] Νηρείδες, ξυνήν θέντο συνηλυσίην.  
ἀμφ' ἐμὲ γὰρ μάρναντο· δίκασσε δὲ Κυανοχαίτης,  
καὶ με παρ' ἀμφοτέραις μέσσον ἐθηκεν ὄρον.

Si Agathiæ poemata, quæ inscripsit *Daphnica*, nactus fuisse, scrutatus diligenter essem, num a suburbio Daphne Daphnica sua poemata appellauerit.

Ex hoc Apollinis luco tripodem illum factum fuisse uerisimile uidetur, cuius Sozomenus meminit. Cum tempore Valentis imperatoris, inquit, Hellenes *quosdam* [...] *in philosophia præstantes habitos, religionis Christianæ incrementa ægre ferentes* [...], scire studentes qui *Valenti* [...] *successurus esset, omnibus uaticinationibus* [...] *exquisiuisse, denique tripodem ligneum ex lauro confecisse, et nominibus et uerbis, quibus soliti erant, peregisse ut comprehensione litterarum secundum unumquodque elementum sub machinatione tripodis et uaticinationis significantium demonstrarent nomen* [...] *regis*. Cum autem ipsi inhiarent Theodoro Hellenicæ religionis uiro [...] *in aula regia* [...] *præclaro, in re militari eximio, Theodori nominis litterarum compositio accedens usque ad delta* [...] *decepit philosophos* [...], ut quam mox Theodorum regnaturum sperarent. Etenim hoc facinore patefacto, [...] adeo Valens [...] *exarcerbatus est* [...], ut iusserit *comprehendi Theodorum et tripodis artifices* [...], *imperaritque illum quidem uiuum exurendum, illos uero securi feriendos esse*, adeoque Valens *effreni* [...] *ira* [...] *exarsit, ut etiam in eos qui philosophi non essent, sed simili ueste* [...] *atque philosophi uterentur, cædes processerit*.

#### [94] *De Rhodiorum portu et de Archio loco*

CAPVT IX

*Post [...] Iasonium lucumque Apollinis, Dionysius Anapulum continuans ponit Rhodiorum [...] τὸν περίβολον, ad [...] quem rudentibus naues alligabant Rhodii [...], metuentes maris tempestatem, cuius, ut idem scribit, tria saxa [...] ad [...] suam ætatem seruata exstitisse [...]. Dicit reliqua permulta temporis [...] uetustate cecidisse. Hunc peribolon fuisse, ut existimem, eo in loco quem hæc ætate piscatores nominant Rhodacinion, non modo similitudo, sed etiam Dionysii ordo narrandi antecedentia et consequentia me adducit. Hoc enim proprium habet*

imperitum uulgus, ut nomina locorum, quæ non intellegit, immutatione litterarum in alia nomina aliquid sibi notum, præsertim ridiculum, sonantia deriuet. Dicax enim uulgus et ridiculum esse solet, præsertim Græculum, quod omnia nomina finire gaudet hac terminatione - *acion*, quam litterati solent attenuare et diminuere in - *ion*, uel - *arion*, ut ψωμός ψωμίον, παῖς παιδίον uel παιδάριον, uulgus ψωμάκιον, παιδάκιον. Sic' Ροδίων νεῶν detorsit in ρόδάκιον νεῶν. Hæc quidem nimium fortasse minutatim excussa, sed quæ indicent magnam deprauationem antiquorum nominum. Iam uero quod Rhodacinion appellant, nihil aliud est quam saxum supra aquam eminens, ad alia saxa adnitens, olim ad portuosæ molis substructionem in uadum deiecta. Distat quidem aliquot passus ab ora maris, at ab Aenobarbi sepulcro passus circiter sexcentos.

Post Rhodiorum peribolon Dionysius ponit *Archium nuncupatum [...] locum campestrem [...], agri bonitate præditum et uitium [95] amantem, collibus cinctum circumsurgentibus, [...] ad mare procidentibus. Per medium [...] eorum fluuius descendit in maritimam oram mollem et profundam. Hunc incoluit Archias Thasius Aristonymi filius [...] qui, cum in hoc loco urbem condere [...] pararet, a Chalcedonensibus prohibitus est, metuentibus [...] exædificatum locum contra se fore. Archias [...] illis, qui cum eo solum uertissent, Ænon [...] dedit habitandum, locoque nomen reliquit Archium.* Archias Thasius etsi locum hunc terra marique præstantem delegerat, tamen quod præterita sede Byzantii hunc locum elegisset, non minus cæcus fuit quam Archias Megarensis quem Pomponius Mela scribit condidisse Chalcedonem. *Archium locum esse uicum quem nunc Græci Hagion Phocam appellant, situs præ se fert, constitutus in maritima planicie uallis, in ualliculos amplius quinque diuisæ, patentis in longitudinem plus minus duobus millibus passuum, in latitudinem iuxta mare circiter sexcentorum, fertilis uitium et cerasorum, ab utroque latere collibus cinctæ procumbentibus ad mare, per quam medianam defluit riuus alueo prope oram maris profundo, utrimque ingentibus saxis munito. Is æstate etsi perennis non fluit, tamen eius gurgites perennes restant. Bonitate terræ incolæ dicunt hanc uallem præstantiorem et fertiliorem ualle Diplocionica. Iuxta uicum nominatum Hagion Phocam, situm in illius uallis planicie, ora maris mediocriter sinuosa portum efficit adsiduis nauibus frequentem. Ora maritima inter Iasonium et Archium media passuum millibus amplius duobus in longitudinem patens explanata est, partim excisis imis cliuis collum impen-[96] dentium, non in magnam quidem altitudinem elatorum, sed præcipitem et pene directam, partim obruto oppressoque mari a seruis Aenobarbi. Qui breui tempore eam totam exædificarunt portuosamque effecerunt, usque ad marginem maris magnarum nauium capacem, perpetuaque ædifica et continuos hortos substruxerunt in mari uadoso, marisque partem intra substructiones intermisserunt, quæ portus uicem præstat, et piscinæ crebræ piscium frequentia multorum quotidie subeuntium exeuntiumque.*

### *De Sene Marino, et Parabolo, et de Calamo et Bythia*

#### CAPVT X

DIONYSIVS, loca oræ Bosporicæ sinistræ prosequens, *Post Archium [...], inquit, promunturium eminet. In altitudinem præcipitem abrumpitur [...], discedens ad mare, fluctus maris [...] densos et uiolentos, quibus crebris uerberatur [...], excipiens. In promunturii uertice [...] Senex Marinus statutus est [...], quem alii aiunt Nereum, alii Phorcyn, alii Proteum, quidam patrem Semystræ[...], nonnulli indicem nauigationis et demonstratorem Iasoni [...] fuisse, ducemque angustiarum [...] Bosporiarum. Quidam uates Laciades<sup>80</sup> [...] oraculum [...] in somnio sibi uisum [...] dedit, posteris colonis Megarensium oportere*

---

80 Laciades : Latiades *edd.*

*sacrificare Marino Seni, itaque in hoc loco publice colitur Senex Marinus.* Hunc Senem Marinum statutum fuisse in promunturio, quod nonnulli historici atque etiamnum uulcus Græcorum appellant Clidion, adsequor cum ordine Dionysianæ narrationis antecedentium locorum et consequentium, [97] tum situ oræ maritimæ quæ, ab Archio loco quadringentos passus usque ad Clidion progressa, nullum promunturium, nullum litus habet cui conueniat descriptio loci Senis Marini, quam promunturium Clidion quod, ut melius noscatur, subiiciam quale nunc exsistit. Id præceps et præruptum usque ad mare excipit suo mucrone fluctus ictusque maris adeo uehementer, ut hi, postremo ab ipso repulsi, deferantur iuxta Asiam usque ad Byzantium, litusque Europæum non amplius excipiat fluctus Bospori descendentes per anfractus, sed a promunturio Clidio uelut clae claudatur et protegatur, nomen adepto ex eo, quod Byzantinis Bosporum claudere et finire uidetur. Bospori enim aspectus ex urbe Byzantio sursum uersus iuxta litus Europæum nauigantibus non patet ultra Clidion, cuius cliuus medius in altitudinem ducentorum passuum adeo pronus est, ut scandi non possit nisi anfractibus, in latitudinem patens plus minus quadraginta passuum. Inde breui ceruice lata sex passus dilatatur, adsurgens in altitudinem bis mille passuum. Ab aquilone cingitur planicie insinuata in uallem Demetrianam. Ab altera parte cingitur ualle, in tantam edita altitudinem, in quantam ipsius promunturii iugum.

Sed redeo ad Dionysii *Anaplam*. Marino, inquit, Seni *uicinus* [...] est Παρόβολος, is est Iactus Temerarius, nuncupatus *a piscatione temeraria* incertaque *ob maris asperitatem inaequalem*. *Fluctus enim* [...] *descendens in litus asperum* [...] *piscationes efficit temerarias*, [...] *parum uoti compotes* et fere frustratorias.

Deinde est *Calamus et Bythias*, ille a calamorum multitudine, hic [...] ab alta protectione promunturiorum [...] circumsurgentium [98] nominatur. In ipso est laurus Medææ Æetae filiæ planta, ut fama est.

Huic parallelus est *collis sensim supinus, declinans ad mare*, [...] nominatus *Baca*<sup>81</sup> Isidis Matris deorum. Ex his Dionysii uerbis consequimur Parabolon, Calamum, Bythiam loca esse inter Clidion promunturium et promunturium claudens uallem Demetrianam ab aquilone. Hæc duo promunturia sinum efficiunt leniter inflexum, in quo insulæ seu scopuli seu syrtes, quarum una est uadosa et sicca, arenosa, paulum eminens supra aquam, statio auium marinorum. In hunc sinum desinunt duæ ualles. Minor prima est, distans a mucrone Clidii quingentos passus, in quo interuallo olim fuit Parabolos. Nunc exædificatus est. Ultra ualliculam septingentis passibus confectis, incipit maior uallicula, habens contra se turrim uirecti Regii in litore Asiatico sitam, nominatam Phylacen. Desinit in medium sinus flexum, Demetriana nominata ab æde Diui Demetrii, sita in cliuo, ubi fons Diuo Demetrio sacer, exilis quidem, sed perennis scaturit ex alto specu concamerato hominum opere. In ualliculæ maritima planicie, porrecta in passuum longitudinem circiter octingentorum, exsistunt etiam nunc pauci calami, olim multi, a quibus locus nominatus fuit. Deinde Bythias, a quo arbitror Bytharia, quorum meminit Euagrius, cum ait *Vitalianum* [...] usque ad nominatas Sycas incursionem fecisse, [...] contra quem in tentoriis uersantem ad Sycas [...] defixis rex misit Marinum Syrum [...]. Congressi igitur ambo exercitus [...], ille a prora habens Sycas [...] hic Constantinopolim [...], primo se continebant, deinde post [...] leues pugnas inter duos exercitus prælium nauale [...] commissum est circa [99] Bytharia appellata. Fugit [...] Vitalianus [...] læsa puppi, et magna parte exercitus [...] amissa. Reliqui fugerunt [...], ut nulli hostes [...] reperirentur neque in Anaplo, neque circa Vrbem. Promunturium, quod ab aquilone uallem Demetrianam claudit, saxeum eminet in mare, in quo olim Bacam<sup>82</sup> Isidis

81 Baca : Bacca 1561, Baccha GGM II.

82 Bacam : Baccam 1561, Baccham GGM II.

fuisse puto. Id intus recedit neque impedit mutuos aspectus promunturiorum Clidii Hestiarumque ultra hoc promunturium eminentium, flexum admittentium amplius tria millia passuum circuitu litoreo complectentem, intra se includentem duos sinus, Demetrianum et Michaelium, diuisos promunturio Bacico<sup>83</sup>.

*De uico Michaelio et de promunturio appellato Hestiis*

CAPVT XI

A PROMUNTURIO iam dicto progressus sexcentos passus, perueni ad uicum Michaelium, in maritima uallis planicie situm, lata iuxta mare quingentos passus, longa sexcentos. Inde supra maritimam planitiem uallis mille et quadringentos passus in altitudinem erigitur, tota ualde angusta et procliuis, circumsurgentibus collibus usque ad fluuii ripas ualde pronis, excepta semita humano opere facta. Summa dilatatur in campestrem planitiem ex qua nascitur fluuius æstate exilis, sed perennis, et qui omni anni tempore fistulæ quincunciali sufficere posset. Per medianam uallem delabitur ad uicum Michaelium, quem Græci hodie appellant Asomaton ab æde olim nobili Michaelis Archangeli militis incorporei, quam Sozomenus Constantinus Magnum tradit exstruxisse *in Hestiis aliquando nuncupatis [...]*. Atque, ex eo quod [100] ibi Michael Archangelus apparuisse creditur, *locum [...] dicit Michaelium [...] appellatum esse*, iuxta medium fretum Bospori situm *in dextro latere ex Ponto nauigantibus [...] Byzantium, distantem a [...] Constantinopoli itinere marino stadia circiter triginta quinque, terrestri circuitu [...] septuaginta*. Ora maritima ab ortu ad occasum procurrens, in qua dixi situm esse uicum Michaelium, circuit sinum intimum ualde portuosum, usque ad marginem magnarum nauium capacem, quem colles undique tuentur ab omnibus uentis, excepto meridiano, quem frangunt cursus rapide incitati contra meridiem præcipitantes. Locum quem Sozomenus appellat nunc Michaelium, nunc Hestias, Procopius appellat Anaplam. *Duo, inquit, erant templa Michaeli Archangelo dicata, inter se opposita [...], Bospori freto diuisa, unum in loco appellato Anaplo, in sinistro litore nauigantibus ad Pontum Euxinum, alterum in contrario litore, quod antiqui Προόχθους nominarunt [...], ex eo, existimo, quia litus multum proiiciatur ex hac ora. Nunc autem nominatur Βρόχοι, temporis longitudine accoliarum inscritia deprauante nomina. Hæc duo templa [...] cum uetustate temporis sacerdotes [...] prospicerent ruinas editura, et metuerent [...] eorum casu oppressum iri, a Iustiniano deprecabantur instaurationem amborum ea forma qua olim fuerunt. Non enim [...] ulla ædes sacra [...] ædificari noua, uel exolescens reædificari poterat, nisi ex pecunia regia, non modo Byzantii, sed ne usquam quidem locorum Romani imperii. Rex [...] his motus utrumque a fundamentis demolitus est, [...] quorum alterum in Anaplo reædificauit in hunc modum. Saxis inectis oram illam [...] circumplexus [101] ad tegendum portum, litus maris in forum transformauit. In hoc loco mare [...] quietum [...] communicat [...] applicationem nauigiis [...], quæ mercatoris [...] ad saxa inecta appellantis [...] merces ex [...] transtris nauium in terram exponunt. Aula post maritimum forum ante templum sita est. [...] Qui illic spatiantur, marmororum decore lætantur, et aspectu maris fruuntur [...], communibus auris excitatis, tum ab impetu undarum, tum ex collibus impendentibus [...]. Porticus in orbem ambit templum, solum ab oriente intermittens sacrum adytum. Templum [...] mille coloribus uariatur [...]. Tectum in tholo sublime effertur [...]. Quis pro dignitate huius operis enuntiare posset [...] elegantes columnas et totius ædificii structuram ? quis marmororum uenustatem, quibus muri et sola [...] uestita sunt ? [...] quis auri multitudinem immensam circa omne templum, uelut ipsi innatam, fusam [...] ? Hoc igitur templum in Anaplo nuncupato in hunc modum Archangelo elaboratum est. In [...] litore paulum a mari distat locus natura quidem*

---

83 Bacico : Baccico 1561, Bacchico GGM II.

*planus, compositione uero lapidum in altum effertur. Hic Archangelo constructum est templum decore quidem excellens, magnitudine uero primum.* Hæc ex Procopio addere uolui, quod in editis codicibus Procopii non habentur, tum necessaria futura ad declarationem contrarii litoris. Horum templorum etiam fundamentorum substructiones effoderunt ut nihil ex his iam supersit, nisi ut in oculis erutis fossæ et scrobes effossarum substructionum. Hoc loco Procopius restrictius definit Anapluum quam Dionysius qui scripsit Bospori *Anapluum* esse totam nauigationem ab urbe Byzantio ad Pontum Euxinum. Similiter Stephani compendiarius Hermolaus grammaticus, restringit Anapluum. *Portus, inquit, Mulierum est [...] circa [...] Phidaliam, inter Anapluum et Leosthenium,* ubi intellegit Anapluum esse aut ad promunturium Hermæum, aut apud Hestias. Scholia in Dionysium scriptorem orbis incerta tradunt *fretum Bospori angustissimum [...] inter [...] Ciconium et Anapluum.* Verum ubi Ciconium sit, suo loco explicabimus. Sed ne quis decipiatur inscritia illius qui in libros Sozomeni edidit elenchos, dum Michaelium locum, quem Sozomenus dicit esse in locis quondam nominatis Hestiis, enarrat esse Sosthenium, procul inde remotum amplius duodeuiginti stadiis ! At Hestias alio loco esse non posse quam ad promunturium claudens ab aquilone Michaelium sinum, statim monstrabo ex Polybio. A promunturio, inquit, Hermæo, quod infra ostendam nunc appellari Neon Castrum, *decursus Bospori [...] conuertitur [...] in Asiæ [...] oram, inde rursus [...] in Europam ad [...] promunturium Hestias.* Qui norunt Bospori decursus deferri per anfractus alternos Asiæ Europæque, plane illi sciunt illos ex Neocastro deferri in promunturium Asiæ ubi molæ uersantur, inde rursus conuerti in Europam ad promunturium quo excipitur nominatum a Græcis Mega Rheuma, cingens ab aquilone uicum Michaelium.

Quale autem sit Mega Rheuma et promunturium Hestiae, Dionysius Byzantius apertius declarat. *Post [...] collem sensim supinum, inquit, promunturium protenditur, multum portum insinuans, [103] crasso præruptoque [...] incursu boreales maris ictus propulsans. Ab occasu [...] enim [...] portum præbet [...] sufficienti magnitudine [...] protectum a uentis [...]. Reliqua promunturii pars excipit fluctuum uim multam audacemque, et similem [...] statuæ uirili<sup>84</sup>.* *Nunc enim [...] mare miscet et conuoluit in orbem, nunc impetus undarum in [...] contrariam partem impellit [...]. Multas naues uidi onustas secundo uento currentes [...] retrocessisse, fluctu oppugnante uentum. Rursus uero ad [...] saxa promunturii reuertitur impetus undarum et, ex refractione uelut auulsus et separatus a pelago, contra pelagum ipse per se currens urgetur, unde [...] fit ut nautæ necesse habeant, iter pedibus conficientes, funibus naues [...] trahere [...], in quas fluxus multus incursans [...] nautas ui agit et retrahit in contrariam partem. Metusque et [...] desperatio subit tanta, quam<sup>85</sup> non iterum tentandum sit.* Nonnumquam fluctibus cedentibus [...] ad ipsa saxa crepidinis litoreæ contendunt contra fluctus, firmantes remos ad cautes, et uim maris inhibent auxilio continentis [...]. Demonstrantur autem quædam semitæ [...], impressiones in saxis cancrorum marinorum pedestri itinere rapidissimum fluxum prætereuntium [...]. Postea uero quam coloniæ deductores promunturium Bosporium prætergressi uiderunt magnam multitudinem barbarici exercitus tenere [...] oram maritimam, in quam descendendum erat, occuparunt locum nuncupatum Hestias, uacuum a custodibus [...], et barbaris anteuerterunt. Fuit enim illis compendiaria [...] nauigatio, at [...] barbaris longus terræ circuitus, ob sinus. Hæc quidem Dionysius recte narrat. Vidi ipse ibi saxa adtrita longo cancrorum excursu. Ac si non uidissem, a uero remotum non existi-[104] massem cancrorum forcipibus duris posse adteri saxa, cum

---

84 statuæ uirili : draconi *leg.*

85 tanta, quam : tanquam *edd.*

adsiduo pedum adtritu formicas excauare silices uiamque facere uideamus. Quæ de cancerorum itinere terrestri Dionysius scribit, Ælianus confirmat, sed in qua Bospori parte id fiat, non explicat. *In Thracio*, inquit, *Bosporo [...] fluctus rapidi ex Ponto deferuntur [...] et angustiis diffringuntur ut cancros [...] contra uenientes facile euertere [...] possint. Quod ipsum cancri præsentientes [...], postquam eo peruerterunt [...], singuli in sinuoso quodam loco [...] se tenent, simul et reliquos exspectant. Deinde in eundem locum congregati, adrepentes per præcipites crepidines in siccum [...] ascendunt et [...] fluctuum uim euadunt, iter pedibus confientes [...]. Cum autem hanc uiolentiam pedibus prætergressi sunt [...], rursus per crepidines in mare [...] recurrunt.* Aduerte non modo hoc promunturium Hestias appellari, sed etiam magis proprie maritimam planitem promunturio clausam, ubi uicus Michaelius. Quem Sozomenus situm esse dicit in Hestiis nuncupatis, cui consentit Polybius, cum antedictum promunturium appellat τὰ περὶ τὰς Ἐστίας ὄκρα καλούμενα, quæ Perotus uertit *promontorium Hestiae*. Rectius uertisset *promunturium circa Hestias*, aut *Hestiam*, nisi hunc locum *Hestias* in numero plurimum appellarent Polybius, Sozomenus, Dionysius Byzantius. Ex cuius causis quas adfert, cur appellantur Hestiae, uerisimilis uidetur *coloniae deductores prætergressos promunturium Bosporum*, cum maximam *multitudinem uidissent barbarici exercitus tenere oram maritimam*, ad quam descendere ipsi constituerant, classem appulisse in sinum subiectum sub planitem uici Michaelici, quam appli-[105] cuisse ad ipsum promunturium importuosum.

Ex antedictis iam manifestum est promunturium Hestias esse id, ad quod defertur fluctuum uehemens incursus, quem Græci huius ætatis Μέγα Πεῦμα proprie appellant a maximo fluctu totius oræ Europææ. Qui etsi promunturio refringitur, longeque et ualenter repellitur in contrariam partem, sæpe autem repulsus, saepius rursus impellitur urgeturque a contrauenientibus fluctibus, ut eorumdem a fronte, a tergo, a lateribus repulsorum collectatio quædam uorticosa uideatur, etiam nullis flantibus uentis qui, aliquo promunturio repercussi atque in se uolutati, facere solent uortices non modo in terra, sed etiam in mari. Tamen hic tanta est uis decursus præcipitanis Bospori, ut rapido cursu semper deorsum secundum promunturium feratur, ut nauigantibus sursum uersus partim sit in terram descendendum nauisque funibus trahenda, partim remis admidendum ad saxeam maris oram. Neque modo canceris iter pedibus suscipiendum, sed etiam uidi amiarum piscium impetu fluctuoso gaudentium celeritatem retardari qui, etsi hamos maxime internoscere solent, tamen nusquam minus hamorum insidias deprehendunt, quam hic fluctibus impediti. Itaque frequentissimi ibidem capiuntur, reliquorumque piscium greges fluxu retardati pigre ascendunt, ut interdum ex terra lapide aut bacillo, aut conto eos ex naue ferias ac capias. Ac si tot et tantas molas uersare posset, quot moletrina collocari possent iuxta promunturii radices orienti obiectas, tamen non collocantur, ne impediatur nauigatio. Nulla enim nauis silentibus uentis sursum nauigare potest, nisi ex [106] terra funibus trahatur, aut ualenti remigatione impellatur. Quale autem et quantum sit Hestiacum promunturium quod tantos fluctus efficit, profecto non est in magnam aut altitudinem editum, aut latitudinem protensem, sed humile, non latius quadrungentis passibus, neque trecentis excelsius, neque circuitu octo stadiorum patentius, duos sinus claudens, alterum a meridie, alterum a septentrionibus, illud ipsum dupli ualle clausum, altera Michaelica quæ multo longior quam promunturium ipsum, altera tam longa quam id longum exsistit. Ab eius radicibus orienti obiectis, in longitudinem minus quingentorum passuum protensis, cliui saxe adtolluntur in altitudinem plus minus ducentorum octoginta passuum, inde iugum planum, non excedens quingentorum passuum longitudinem, in quo constituta sunt moletrina uentis uersatilia. Reliquum promunturium totum undique proclive est, excepta ceruice plana quidem, sed quaternorum passuum latitudinem non excedente, qua adsurgit in excelsum collem triplici cliuo depresso, in passuum altitudinem elatum circiter duum millium, clausum duabus uallibus, una desinente in sinum Michaelicum, altera in sinum in quo postea Dionysius ponit τὰς Χηλάς. In collis

summo uertice exstat luculenta cisterna, latericio opere facta, perennem optimamque etiam nunc aquam continens, in mediis substructionibus antiqui ædificii dudum diruti, unde uidetur tota fere Propontis et Bosporus a Byzantio ad Daphnen Insanam, non impediente excelsa promunturio Hermæo, quo ille excelsior exsistit.

[107] *De locis nominatis Chelis*

CAPVT XII

DEINDE adiungit Dionysius. A promunturio Hestiacu flexus *iam nauigationem quietam stabilemque efficit.*

*Post Hestias sunt Χηλαὶ nuncupatae a similitudine figuræ [...]. Harum quidem alteræ breuiores, alteræ maiores, ambæ uero portus exsistunt.*

*Apud ipsas templum est Diana Dictynna.*

Hoc loco Dionysius scalas, siue molis brachia, appellat Chelas a similitudine forcipum siue brachiorum quibus portuum moles scalæque similes esse solent, siue sint rates in mare projectæ, siue saxa in uadum abiecta, ponticulorum uicem præstantia. Quæ Hellenes a figuræ similitudine *chelas* proprie appellant, posteri Græci *bathra*, Latini scalas seu gradus nominarunt, ab usu potius quam a similitudine scalarum nauticarum. Hæ, ab scandendo dictæ, nihil aliud sunt quam trabes latæ inclinatae, in gradusque exasperatae. Illæ uero planæ collocantur et plano pene adeuntur. Sed tamen ex illis ad naues quia uelut gradus iacit, ideo iamdudum inueterata consuetudine etiam scalæ nominantur, depravate quidem, nam primum Χηλαί, deinde Χαλαὶ a Græcis iam ignorantibus quid significant χηλαί, deinde uulgi consuetudine, quæ litteras depravare solet, scalæ, ut iam Græcorum uulgas ignoret quid sibi uelint χηλαί, quid βάθρα, sed dumtaxat nouit scalas. Quam autem celebres olim essent hæ Chelæ, declarant piscatores qui, ex tot oræ Bosphoricae nominibus uix paucula quædam retinentes, medium sinus flexum Hestiacu et Hermæo promunturiis clausum etiam nunc appellant Chalas, quasi Χηλάς, cum tamen in hoc sinu nulla portus bra-[108] chia, nullæ scalæ sint publicæ, nisi breues paucis trabibus compactæ, parum in altum projectæ, et quæ excipere dumtaxat possunt parua nauigia, quibus Rex Regisque olitores descendere solent in hortos proximos, fontibus perennibus irriguos, uirentes siluis cypressorum plantisque fructiferis, sitos partim in ima uallis planicie desinente in medium sinus flexum, partim in eius clivis eminentibus supra sinum circuitu terrestri ter mille et septingentos passus complectentem, e quibus mille et quadringentos occupant Regii horti maritimam oram adtingentes. Scalæ aut molis brachia hic constituta non fuerunt ad protegendum portum a uentis, nam utrumque excelsis montibus clauditur, emittentibus quidem ex sese quinque ualliculos in sinum ualde pronas et minime montis dorsum penetrantes. Sed quod sinus intimus uadosus sit, ideo χηλαὶ adstructæ sunt ut e nauibus in alto stantibus pateret descensus ad templum Diana Dictynnae, situm in medio sinus flexu. Nam descendendi alia quæ causa fuisset, nisi templum Diana Dictynna? quod piscosi Bosphori permulti piscatores frequentabant, hac quotidie sursum deorsumque transeuntes Non enim, ut quidam existimarunt, uenatorum solis retibus, sed etiam piscatorum Diana præest. Non enim uideo cur, si solis uenatoribus Dictynna faueret, Byzantii illi ueteres, non ignari unde Diana Dictynna appellata esset, eius templum secundum litus remotum a uenatione posuissent.

[109] *De promunturio Hermæo et rapido cursu Bospori, de Pyrrhia Cyone, de Bospori summis angustiis, de ponte Darii*

CAPVT XIII

MONS diuidens duos sinus Chelarum et Phidaliæ, clausus non modo his sinibus, sed etiam duabus longis uallibus in hos sinus desinentibus, supra ceteros oræ Bosphoricae montes ex

Europa in Asiam longe prominet et promunturium uelut mucronem procul in Bosporum proiicit, ut Bospori fretum cogat in summas angustias, ut radices maritimas usque ad litus pronas propaget in longitudinem excedentem ter mille et quadringentos passus, cum eius ceruix interiecta inter summas ualles, quibus ipse cingitur, latior non sit septingentis passibus. Eiusdem latus meridianum, claudens sinum Chelium, mari quieto adluitur, orientale uero quarto anfractu ex septem decursibus fluctuum, quos ante dixi facere Bosporum. Cum totum fere inquietum, tum maxime duobus locis, primo medium latus orientale transuerso impetu circumsonante percutitur. Deinde ad eiusdem lateris finem, secundum arcem oppositam arcii Asiæ, appellatam Neon Castrum, in promunturii mucrone non amplius transuersus fertur, sed rectus præcipitat rapido impetu, ut naues sursum nauigantes iuxta marginem oræ procedere cogat et mordaciter urgeat, ut rufus ille canis a quo Byzantini locum hunc nominarunt Pyrrhiam Cyonem, quasi malitiosum canem. Laus enim comæ apud antiquos erat rufus color, sed comœdia postea hunc in malam partem uertit, ut iam apud comedios Pyrrhiæ et Xanthiæ appellantur serui malitiosi.

*Post, inquit Dio-[110] nysius, Dianæ Dictynnæ ædem turbulentæ est, et uehementer contento fluxu commota nauigatio. Locus autem dicitur Pyrrhias Cyon, ut mihi uidetur, a similitudine quam habet mare cum cane, ut uero plurimorum obtinet sermo, a cane pastoricio, litus hoc circumcursante latranteque eos qui uiolentia fluctus iuxta marginem litoris nauigare haberent necesse. Ibi quoque meatus freti artissimus, dirimens duas continentes. Ibidem etiam dicitur fuisse Darii transitus. Hinc enim Androcles Samius pontem iunxit in Bosporo. Hic locus cum alia præbet historiæ monumenta, tum sellam in petra excisam. In hac enim aiunt sedentem Darium spectatorem fuisse pontis et transeuntis exercitus. Quam Dionysius δίφρον, Herodotus προεδρίην appellat. Omne saxum mouissem, quo sellam Darii inuenirem, nisi arcis custodes non modo pedibus iter facientes, sed etiam nauigantes scrutarentur, perennique uigilia hoc litus circumcursarent serui Pyrrhiæ, acerbiores non modo canibus Pyrrhiis, sed etiam odiosiores Pyrrhæis hominibus, de quibus olim peruulgatum est prouerbium. Si quid mali contingerebat, deprecabantur Pyrrhæis odio omnium uicinorum exsecrabilibus. Sella Darii iam non exstat, excisis saxis in ædificationes, aut oppressis iacto fundamento arcis totum litus occupantis, quo Darii pons pertingebat. Herodotus non meminit sellæ Darianæ in Bosporo excisæ, sed in Hellesponto scribit Xerxi præparatam fuisse, qui postquam [...] in media Abydo fuit, uidere uoluit [...] omnem exercitum [...]. Erat enim illuc in [...] cliuo solium prius factum ei aptum ex albo lapide. Id enim fecerant Abydeni Regio [...] mandato. In quo Rex [111] sedens [...] spectauit exercitum et classem. Verisimile est Darium sedentem in solio spectasse exercitum transeuntem, cum more Persico Reges Persarum delectati sint conspectu exercitus sui, ut Xerxes Darii filius pugnam etiam naualem commissam ad Salaminem spectauerit etiam sedens, de quo Æschylus, qui in tragœdia nuncupata Persis sic ait :*

Ξέρξης δ' ἀνῷμωξε κακῶν ὄρῶν βάθος·  
ἔδραν γὰρ εἶχε παντὸς εὐαγῆ στρατοῦ,  
ὑψηλὸν δόχθον ἄγχι πελαγίας ἀλός.

Itemque hac in re uerisimile est imitatum fuisse Xerxem patris Darii rationem, præsertim cum Darius Mandroclem haberet Darianæ gloriæ studiosum, quem est uero proximum in cliuo eminente supra pontem excidisse solium, cum is ponte confecto a Dario magnis præmiis affectus, *ad uiuum depinxerit totum [...] pontem Bospori et Regem Darium in regio solio sedentem, eiusque exercitum transeuntem, eaque depicta in Heræo*, hoc est templo Iunonis, *cum hac inscriptione suspenderit et dicauerit :*

Βόσπορον ἰχθυόεντα γεφυρώσας ἀνέθηκε  
Μανδροκλέης Ἡρῃ μνημόσυνον σχεδίης·  
αὐτῷ μὲν στέφανον περιθεὶς, Σαμίοισι δὲ κῦδος,  
Δαρείου βασιλέος ἐκτέλεσας κατὰ νοῦν.

In edito Herodoti codice Μανδροκλέης legitur, in quodam manuscripto Ἀνδροκλέης, quod nomen Graecis usitatum est et nobile, illud ignobile et prorsus pastorium. Quo loco fuerit Ἡράῖον cui hæc dicarit Androcles, non explicat Herodotus, an id esset iuxta Bosporum, an illud quod inter Chalcedonem et promunturium nuncu-[112] patum Acritas ponit Menippus in *Periplo Bithyniæ*, an, cum Samius esset Androcles, in loco Thraciæ appellato Ἡράῖον a Samiis habitato, an in templo Iunonis Samiæ, quod illustre Samos insula habebat, eam picturam suspenderit. Quod si Ἡράῖον fuit in loco ubi Darius pontem iunxit, ut uerisimilis uidetur, miror Herodotum, cum ait : *Locus Bospori, quem ponte iunxit Rex Darius [...], mihi*, inquit, *coniectanti uidetur medius [...] inter Byzantium et Fanum in ore Ponti situm, cur non locum nominauerit* Ἡράῖον. Neque Dionysius Byzantius meminit, cum ceterorum templorum iuxta Bosporum sitorum meminerit. At neque Hermæi meminit, cum ex Polybio Hermæum alibi esse non possit quam ubi est Pyrrhias Cyon. *Hermæum Europæ*, inquit Polybius, *in promunturii eminentia quadam [...], iuxta os Ponti, inter Byzantium et Fanum situm [...], distat ab Asia [...] quinque stadia, secundum locum strictissimum [...] totius oris Pontici, qua [...] aiunt Darium ponte iunxisse [...] Asiæ, cum transiret contra Scythes.* Censerem in Polybio legendum Ἡράῖον, potius quam Ἐρμαῖον, nisi omnes codices Polybii, quos mihi uidere contigit, haberent Ἐρμαῖον. Cur uero ita appellatum sit, nemo scribit, an a templo Mercurii, an a lapidum aceruo in uiis dubiis consecrato, an a lapidibus quadrangulis hermæis nuncupatis, quales esse potuerunt *stelæ*, quas *marmoris albi Darius in hoc loco posuit [...], in una incidens litteras Assyrias, in altera Græcas*. Itaque recte potuisse Herodotus Darii stelas appellare hermas, ut Æschines nominat hermas honoris causa excitatos cum inscripta laude alicuius. Sic enim ait Æschines contra Ctesiphontem : *Dedit populus Athæ-[113] niensis eis honores magnos [...], tres lapideos hermas statutos in porticu Hermarum*, atque in singulis inscripsit laudem illorum. Deinde narrat quid inscriptum in primo hermarum, quid in secundo, quid in tertio. Denique omnes stelas lapideas, omnes cippos hermas appellare possumus.

Tzetzes nobilis grammaticus, et qui exactius omnibus historicis geographisque se Bosporum scire gloriatur, hunc locum non appellat Hermæum, sed Heræum, cum ait : *Mandrocles, Samius architectus [...], Bosporum Hellespontum nauibus iunxit, siue circa Damalim, siue circa Heræum*, idque Herodotum scribere asserit. Equidem fateor Herodotum scribere, ut Androcles, quæ pinxit de ponte et Dario eiusque exercitu, ea suspenderit ad Heræum. Sed in quo loco id fuerit, Herodotum declarare nego. Verumtamen ut non absurde Tzetzem puto coniectasse Heræum fuisse circa locum ubi Darius pontem iunxit, ita absurdissime ambiguum ponit locum, ubi pons iunctus est, esse siue circa Heræum, siue circa Damalim. Qui, si existimasset, ut existimare debebat, Herodotum uerum et diligentem geographum fuisse, si Herodoti *Historiam*, quam citat, perpendisset, nunquam Bosporum appellasset Hellespontum, non confudisset tria maria, quæ Herodotus tribus nominibus diuidit in Bosporum, Propontidem, Hellespontum, nunquam scripsisset Darii pontem iunctum fuisse circa Damalim. Damalis enim, siue Bos, locus ex his quæ antea adtuli et postea adferam, fuit in promunturio Scutarico septem stadia distante ab urbe Byzantio, ubi si pons iunctus fuisse, alterum pontis caput aut attigisset Byzantium, aut litus ultra [114] Peram situm ubi Bosporus octo stadiis latior est. At ex multis scriptoribus scire poterat Darii pontem fuisse in angustiis quinque stadiorum, Herodotumque animaduertere poterat, cum ait : *Locus [...], ubi [...] Darius pontem iunxit [...] mihi coniectanti uidetur medius [...] inter Byzantium et [...] Fanum*, ubi recte scribit Herodotus, qui non ut Tzetzes se scire gloriatur, sed simpliciter dicit se coniicere, quamquam locus reuera medius non est, si Herodotus μέσον intellegit in duas æquas partes diuisum. Nam cum Bosporus sit longus centum uiginti stadia, oporteret locum, ubi pons iunctus est, distare Byzantio sexaginta stadia, cum non distet amplius quadraginta stadiis, ut non mihi soli uidetur, sed etiam Straboni qui ab angustiis usque ad Byzantium

numerat quadraginta<sup>86</sup> quinque stadia, cui accedit Sozomenus inquiens Hestias distare a Constantinopoli triginta quinque stadia. Ab Hestiis ad promunturium Hermæum coniicio rectam nauigationem plus minus esse decem stadiorum, sed Sozomenus non recte Hestias dicit esse in medio Bospori freto. Iam ex antedictis deprehenduntur etiam illustres litterarum monumentis imperiti fuisse Bospori, in quorum numerum redigere possem Eustathium cum aliis locis, tum eo quod nusquam locum ubi Darius pontem iunxit nominare audet, cum illi opportunitas frequens data fuerit, præsertim ubi ait Thracium Bosporum Darium iunxisse περὶ ποῦ τὸ Ἱερὸν στόμα. Qui si intellegit Sacrum Os, ut alii plerique, partem Bospori inter duo Fana sitam, longe errat, sin Bosporum totum, profecto præ se fert ignorare nomen loci ubi pons iunctus fuit. Nam quid adtinebat addere *circa alicubi Sacrum [115]* Os potius quam circa Hermæum promunturium, ut Polybius clare dicit ? Prætero alia eius loca, ubi propemodum necessitas eum adducebat ut nominaret Hermæum, præsertim ubi disputat quæ pars Bospori existimanda sit strictissima. *Alios [...] ait existimare ubi sunt angustiæ [...] circa Anapolum nuncupatum*, neque declarat in quo loco sit Anapulus, cum explicare debuisset se intellegere Anapulum circa Hermæum aut Hestias. Quod si illius sunt etiam scholia in Dionysium, quæ uidi antiquis litteris scripta, tradentia totius Bospori fretum angustissimum esse inter Anapulum et Ciconium, magno beneficio nos adfecisset, si nobis explicuisset ubi Ciconium, ubi Anapulus. Quod utrumque cum sit aut ad Hestias, aut ad Hermæum, cur abstinet ab eruditis antiquisque nominibus ? Nam Iordani homini Gotto ignosco, tolerabili scriptori *Rerum Gothicarum* in quibus tradit Darium nauibus [...] a Chalcedona [...] ad Bizantium [...] tabulatis [...] petiisse Thraciam. Iordanes Bosporum non uiderat, at Tzetzes et Eustathius totam fere uitam uixerunt apud Bosporum.

Laonicus Chalcocondyles in *Historia* quam scripsit de bellis Ottomanorum regum, arcem in Hermæo promuntorio sitam, quæ nunc a Græcis appellatur Neon Castrum, id est noua arx, ut proprie nominat Λαιμοκοπίην, quasi Bospori fauces frangentem, ita non recte eam dicitur sitam esse in Propontide, cum ex iam dictis constet, illam esse iuxta medium Bosporum. Sed ut, a quo et quando hæc arx constructa sit, et qua ratione, ipsum Laonicum audiamus : Ineunte, inquit, uere Mechmetes Amurati filius [...] in Europa iuxta Propontidem [...], ubi ex Asia angustissimus Bospori traie-[116] ctus est in Europam, ædificauit oppidulum Læmocopien appallatum [...], hucque Asianis Europeisque coactis, et partibus huius oppiduli tributim ædificandis datis [...], celeriter opus confecit. Id autem effecit ut sibi tutus [...] ultro citroque traiectus esset, et ut ne Occidentales [...] homines triremibus se a transitu prohibere possent resque in Asia innouare. Magno etiam usui hanc arcem fore sibi in obsidionem Byzantii prospiciebat. Edificauit autem turres tres, maximas omnium quas [...] uidimus, duas quidem uersus continentem [...], tertiam uersus mare, easque plumbo [...] texit. Muri quidem latitudo crassa est uiginti duos pedes, turrium uero [...] crassior [...], triginta pedibus. Post autem quam in hunc modum spatio trimestri hanc arcem ædificauit, statim excurrit [...] solum hosticum. Ineunte hieme Turachanem misit in Peloponnesum [...], iterumque ineunte [...] uere Mechmetes exercitum duxit in obsidionem Byzantii, quem traiiecit angustias freti, ubi prius {in Propontide} arcem ædificauerat Læmocopien, quam in hunc diem Turcicum praesidium uigilanter tuetur. A solis Turcis hæc incolitur. Turribus eius utuntur pro carceribus ad tuendos principes uiros Christianos in bello captos. Extra arcem secundum litus ædifica continuantur in longitudinem circiter quattuor stadiorum, habitata similiter a solis Turcis, ubi ædes Mametanæ religionis, et balnea publica, et aquæ salientes subterraneo opere adductæ.

Jam ex ante scriptis liquet pontem Darii fuisse in angustiis Bospori iuxta Pyrrhiam Cyonem Hermæumque promunturium, sed in qua parte angustiarum, conjecturæ relinquuntur eius qui cum iudicio uidit Bosporum. Nam [117] interuallum angustiarum ab Europa in Asiam

---

86 quadraginta : triginta *leg.*

obductum transuersum patet circiter quinque stadia, at sursum uersus secundum decursus Bospori in longitudinem circiter trium stadiorum directum. Diuersus est defluxus Bospori, alicubi enim rapidior, alicubi sedatior. In primo stadio pertinente sursum strictior est et sedatior, at in aliis duobus stadiis rapidior et uorticosior. A porta enim Neocastri ad finientem latus orientale angulum quo promunturum Hermæum abducitur in occasum ad sinum Chelæum, fluxus rapidus est et uorticosus, et minus angustus traiectus. Itaque Mandrocles nobilis architectus euitare debuit uortices et rapidum fluxum. Vltra igitur Neocastri portam pons iunctus fuit, non recta uia a castro Hermæo procedens ad castrum Asiæ, sed obliqua paulo supra castrum, ad locum quem iam Græci appellant Cormum, corrupte quasi Ciconium, quod ex *Anaplo* Dionysii post ostendam eo loco fuisse quem nunc appellant Cormum.

Darii pontem quamuis Herodotus non aliter describit quam dumtaxat nauibus iunctum fuisse, tamen talem qualem postea Xerxes Darii filius in fauibus Hellesponti iunxit, uerisimile enim est filium secutum patris architectos. Tum ratio suadet melius fieri non potuisse a Dario quam aut a Xerxe in Hellesponti angustiis, aut a Romanis in Rheno, Euphrate et Tigri. Fecerunt hunc ferme in modum. Naves planæ a litore ad litus contrarium, certum interuallum distantes, inter se disponuntur, quarum proræ contra decursum confluentis directæ stabiliuntur ancoris aut aceruis lapidum uirga aut ramo circumtorto circumclusis, in ua-[118] dum deiectis, ex prora appensis. Supra naues trabes transuersæ immittuntur, nauigia colligantes et stabilientes, partim inter se ne collidantur, partim ut axes sustineant transitum præbituras. Præterea duo ualidi funes aut ferreæ catenæ sublimes supra nauigia ex utroque latere suspensæ, una paulo supra proram, altera infra puppim, suculis contentæ in litore defixis stabiliunt naues atque tuentur contra uentos. A tergo, a fronte, a lateribus trabes transuersæ positæ defendunt. His præscitis facilius intellegitur dubia et perplexa Herodoti descriptio, cum ait *Xerxem*, ubi primus pons, qui nauibus iunctus fuerat in Hellesponto, dissolutus fuit, *indignatum [...] trecenta uerbera mari influisse, duoque uincula ferrearum pedicarum iniecerisse in mare, ut id tamquam seruum constringeret, et pro uno ponte duos pontes ex trecentis circiter nauibus fieri iussisse, ancorisque firmari, ut immotæ manerent, atque a continent ad contrariam continentem ualidissimos funes contendisse unguibus ligneis*, hoc est quasi suculis. Equidem ipse primum pontem puto non ancoris, sed lapidum aceruis, non catenis, sed funibus stabilitum, tempestatibus dissolutum fuisse, itaque Xerxem duos pontes postea fecisse trecentis circiter nauibus totidemque ancoris ferreis duplique catena ferrea stabiliisse, hocque Græcos poetas, Xerxis hostes, quibus Herodotus interdum seduci solet, designasse, cum, tragicè exaggerantes traiectum Xerxis, dicunt Xerxem dissoluto primo ponte trecenta uerbera Hellesponto influisse, hoc est proiectione trecentarum ancorarum Hellespontum tamquam ictu percussisse, et duo uincula ferrearum pe-[119] dicarum iniecerisse, id est duplice catenam.

Vt <fiebat> apud oppidum nuncupatum Zeugma, ex eo quod nauibus ibi pons iunctus diuturnus permanserit, dupli catena corroboratus ferrea, quam ab ætate Alexandri ad suam ætatem Plinius tradit exstisset *apud Euphraten [...] in urbe [...] appellata Zeugmate, ubi Alexander Magnus [...] pontem iunixerat, cuius anulos qui refecti fuissent, ait, rubigine infestatos fuisse, parentibus ea prioribus*. Cum ex Media per Mesopotamiam iter faceremus ad Syriacam Berœam, quam nunc uocant Chalep, in arce Byrama, sita in Mesopotamia iuxta Euphratem, inter Zeugma etiamnum appellatum et Hierapolim, exstabat ferrea catena. Eam antiquissimam esse dicebant quæ, cum tot sæcula illæsa permansisset, paulo postquam hac exercitus traiectus est, dissoluta est. Alii dicebant metu Persarum, alii auaritia ferrique adtriti uetustate (quo adtritissimo opera quæ dicuntur Damascena fieri solent) Turcorum satrapas adductos catenam hanc dissoluuisse. Quæ utrum esset illa quam Plinius commemorat, scire non potui. Peruetustam certe coniectauí ex annulo uno quem uidi Berœæ uetustissimum quidem, sed pene totum rubigine parentem.

Miror Pomponium Melam exagerrantem *mirum atque ingens facinus*, Xerxem ex Asia in Græciam peditem maria transgressum fuisse, Ciceronemque in immensum Xerxis traiectum extollentem. *Xerxes [...] inquit, maria ambulauit terramque nauigauit.* Idem alio loco : *maria pedibus [...] peragravit, classibus montes.* Cum mare Adriaticum tempestuosum, intercedens inter Hydruntum et Apolloniam, amplius sexagenis millibus passuum, latius Hellesponto, *pedestri continuare [...] exer-[120] citu pontibus iactis primum Pyrrhus Epiri rex cogitauerit, post eum M. Varro cum classibus Pompeii piratico bello praesasset*, sed utrumque aliæ impediuerere curæ. Rex Turcorum quoties exercitum traiicit in Asiam, paucis diebus posset Bosporum nauibus consternere ponte superimposito, totumque exercitum breui tempore traiicere. Sed utriusque continentis dominus multos dies consumere potest in exercitu transportando, quem paucis nauibus, triremium similitudinem gerentibus, latis traiicit ita accommodatis, ut plano pede in nauem uelut in pontem ex litore ingrediantur equi.

Περὶ τοῦ κλύδωνος ὁ Ποώδοντος, *de petra Phidalia, et portu Mulierum, et de loco*  
*Cyparode*  
 CAPVT XIV

*POST Pyrrhiam Cyonem Dionysius ponit promunturii in directam altitudinem editi oram maritimam, sursum nauigantibus arduam et difficilem præteruectu, ob uiolentum coitum utriusque continentis repugnantem anguste præterfluenti Bosporo. Fluctus enim ebullit efferuescitque continuis uorticibus, non minus quam lebes igne subdito efferuescere flammæque excessu ebullire æstuosoque sonitu strepere solet. Itaque ora hæc a natura sua nominata est ὁ Ποώδης, hoc est fluctuosa.* Ex his Dionysii uerbis, tum maxime ex locis antecedentibus et consequentibus, cognosco eam oram esse quam Græci nunc uulgo Φῶνηα, corrupte quasi Φῶνημα, a uociferante sono fluctuum qui, ex contrario litore Asiatico reiecti, magno impetu in medium incur-[121] runt latus uergens ad solis ortum promunturii Hermæi intumescentis in multos tumulos, quorum medio ex latere tumulus impendens in oram maritimam nuncupatam Φῶνημα præcipitibus et directis rupibus propendet usque ad litus, excepta uia in rupe humano opere excavata explanataque. Locus dictus Phonema passus paulo amplius mille, totos fere exædificatos suburbanis ædificiis Læmocopiæ, distat a mucrone promunturii Hermæi. Totidem abest a sinu Phidaliæ et portu Mulierum, quem ibi<sup>87</sup> statim ostenderimus illum esse qui nunc a Græcis appellatur Sarantocopa. Sine ulla dubitatione adsequemur promunturium ὁ Ποώδες aliud esse non posse quam Phonema, cum inter Pyrrhiam Cyonem et sinum Phidaliæ ad nullam maritimam oram tantopere fluctus resonent quam ad medium Hermæi promunturii latus. Quod etsi a medio usque ad finem sui mucronis decursu Bospori incitato adluitur, nulla tamen promunturii pars tam apertis oculis quam media percipitur circumsonare murmure circumfluenti. Ab hac enim parte fluctus refracti resonant, partimque reuoluuntur, partim iuxta litus deorsum rapidi præcipitant, ut nautæ sursum nauigantes necesse habeant nauem remorum contentione impellere et, ne deorsum retrocedant, contorum firmitudine ad litoris crepidinem adniti. Hunc fluxum, quem Dionysius tradit in medium promunturii latus efferuescere, Polybius dicit in finem lateris ad frontem Hermæi promunturii incurrere, cum ait secundum alia loca [...] decursum Bospori similem esse ob similitudinem locorum utrimque [...] Bosporum cingentium. Cum autem [...] incurrit in Europæ [122] Hermæum promunturium, ubi ostium Ponti angustissimum [...] non patet amplius quinque stadiis, ubi Darius ponte nauibus iuncto Bosporum transiuit, tum defluxus in angustias coactus, uelut plaga accepta [...], a promunturio Hermæo se uertit ad contraria Asiae loca. At plagam non accipit ab ea promunturii parte ad quam Darii pons iunctus fuit, ubi

---

87 ibi : ubi *edd.*

dumtaxat rapidus defertur secundum litus, sed longe amplius mille passibus a medio promunturii latere. At ferendus Polybius, ut communis historicus geographice res ipsas describens, communiter intellegit totum decursum Bospori a medio latere ad finem usque, quem Dionysius topographice et proprie distinguit in duos uehementes defluxus : unum appellat Ἀκραν Ποώδη, alterum Pyrrhiam Cyonem.

*Deinde, inquit Dionysius, promunturium prætergresso occurrit petra a natura, non ab hominum manu facta, colore albo, alarum similitudinem aquilæ præ se gerens, et tamquam plantam pedis<sup>88</sup> extendens atque in alteram partem contrahens, uelut ludicum quiddam naturæ omnia imitantis. Nominatur Phidalia, quam nescias dicerene debeas insulam, an continentem, illam quidem ob naturam, hanc uero ob uicinitatem. Quidam aiunt appellatam esse Φαιδαλίαν ex eo quod primum in ea piscatio appareat. Alii dicunt filiam Barbysæ fuisse, cum autem complexu uenereo se miscuisset cum Byzante, commotam uerecundia stupri et metu patris, se in mare proieceret atque periisse, Neptunum autem progenitorem, cum misericordia adductum, tum benevolentia sui generis, continentis magnam partem abrupuisse eamque in profundo defixisse ac firmasse, posterisque insulam habitam fuisse sepulcrum Phidaliæ.*

[123] *Sinus ab oriente interius recedit profundus et satis capax, breui continentis circuitu conclusus. In medium sinum descendit χειμάρρους, is est riuus hibernus, nam summa æstate deficit. In hoc sinu est portus Mulierum, nominatus siue ex eo quod nihil offenditur neque a mari, neque a continenti, non enim minus a fluctibus maris tutus est quam a uehementibus uentis terra protectus. Siue ex eo ita appellatus est, quod absentibus uiris magnam multitudinem piscium hunc portum ingressam mulieres ceperunt. Hæc quidem Dionysius, Stephanus uero Vrbium scriptor aliam rationem adfert cur Phidalia et portus Mulierum appelletur. Circa, inquit, nominatam Phidaliam Mulierum portus est [...] inter Anapolum et Leosthenium [...], ubi dicunt Phidaliam uxorem Byzantis [...], una cum mulieribus usque ad [...] hunc locum, eos qui cum Straëbo fratre Byzantis, ciuibus uiris absentibus, urbem inuasissent, insecutam fuisse ac uicisse [...], indeque portum Mulierum nominatum fuisse. Suidas scribit : Cum in [...] palatio Heraclius uersaretur appellato Heræo præfectusque exercitum collegisset et nauigiis pontem in freti angustiis iunxisset [...], ad litora [...] sinus Phidaliæ traiecit et per pontem Barbysæ [...] ad Vrbem accessit. Præter hos nemo meminit portus Mulierum, nisi Plinius. Sed ex tot portibus Bospori percipere in Plinio non poteram, neque plane ex Stephano quamuis tradente illum esse inter Leosthenium et Anapolum, qui, cum non doceat ubi Leosthenium, ubi Anapolum, dubium mihi relinquebatur quis in tam portuoso, tam sinuoso Bosporo esset portus Mulierum, nisi tandem incidissem in Dionysii Anapolum, ex quo adsecutus por-[124] tum Mulierum esse inter Pyrrhiam Cyonem et Leosthenium (quem post ostendam esse quem iam Græci appellant Sosthenium), sine ulla dubitatione assero sinum Phidaliæ et portum Mulierum illum esse quem Græci nostræ ætatis appellant Sarantacopam, cum inter Pyrrhiam Cyonem et Leosthenium nullus sinus intercedat in quem fluuius descendat, nisi Sarantaceus<sup>89</sup> ita nuncupatus a ponte ligneo, quadraginta sublicis uelut pilis sustentato, passus circiter trecentos longo, quo paludes transeuntur kannis plenæ. Hic sinus portuosior et profundior a septentrione est quam a meridie. Procedit ab ortu ad occasum. Illius recessus interior paulo amplius octingentos passus circuitu litoreo complectitur. Desinit in paludes kannis plenas in quas medias descendit fluuius ex ualle, quæ a medio sinus flexu pergit ad occasum. Vtrimeque continetur arduis collibus uitiferis et pomiferis. Paulo supra paludes in duas scinditur ualles, rectam et obliquam, utramque in*

<sup>88</sup> plantam pedis : *Græce ταρσόν* (*uid. lexic.*).

<sup>89</sup> Sarantaceus : *Sarantopeus edd.*

multas insinuatam ualliculas, omnes refertas uitibus et cerasis. Ex recta ualle riuus descendit perennis spatio millium circiter trium et quingentorum passuum. Deinde assumpto exiguo riuulo, sed perenni, defluente ex obliqua ualle ad dextram manum sita, defluit in paludes. Paruuus quidem, sed tamen gurgites habet omni anni tempore piscosos et fluit perennis etiam summa æstate, contra quam tradit Dionysius, qui profecto hunc perennem dixisset, si tam diligenter eum perscrutatus fuisset quam alios non perenniores neque maiores, quos perennos esse tradit.

Inde addit idem Dionysius : *Portum Mulierum continuo subsequitur [125] locus Κυπαρώδης nuncupatus a cupresso arbore.* Ad hunc usque diem piscatores nomen retinuerunt. Locum enim, quo finitur flexus coepitus a Pyrrhia Cyone, etsi in uallicula situm cupressis quidem carenti et tota consita uineis, Cyparisson tamen appellant, distantem a ponte, quo transiri dixi intimum sinum Phidaliæ, circiter septingentos passus.

*Post Cyparodem* Dionysius ponit *templum Hecatae super petram quæ accessu uentorum fluctibus percussa ualde resonat. Circum enim ipsam fluctus concitatus diffringitur. Hæc uero quantum in se suscipit, tantum reiicit sub crepidinem oræ maritimæ.* Piscatores huius ætatis locum maritimum, situm inter Cyparodem et Leosthenium sinum, appellant Triuam Latino nomine, ignorantes Hecaten Græcum nomen, longa Romani imperii consuetudine aliquot Latina nomina usurpare adsuefacti. A uallicula Cyparode quadringtones passus progressus sum ad alteram ualliculam, ex qua usque ad portum Mulierum totum litus excelsum est atque præruptum et saxeum, in quo fere toto uidentur fundamenta antiquorum ædificiorum. Inde amplius octingentis passibus confectis, per oram maritimam leniter pronam perueni ad imam tertiae ualliculæ planitiem, a qua circiter ducentos passus abest sinus Leosthenii initium.

### *De sinu Leosthenio<sup>90</sup>*

CAPVT XV

Sinus Leosthenius ab ortu solis ad occasum porrigitur in passuum longitudinem circiter mille et quadringtones. Eius latitudo uaria. Prima enim in ostio patet in latitu-[126] dinem paulo minus quattuor stadiorum, media non patentior duobus stadiis, deinde sensim coartatur in <passus> ducentos, postremo in sinu intimo centum non adtingit. Ex tribus partibus excelsis collibus cingitur, itaque undique ab omnibus uentis tutissimus est, etiam ab oriente flantibus. Nam solstitiales repellit cornu lateris dextri eminens in sinus aditum. Reliquos orientis uentos, ut debiliores, facile frangit ora Bospori Asiatica, quæ editis collibus continetur. Ac si in medium sinum uallis intimum penetrat, tamen ad portum non aspirat uentorum uis ob flexiones uallium obiectusque collum, quibus fit ut, etiam in medio sinu nauigantibus, is ex parte uallis clausus esse uideatur. Valde portuosus est, ut naues admittat usque ad marginem litoris ob profundam altitudinem eiusdem latus dextrum, quod situ differt a latere sinistro. Nam sinistrum ab ostio in longitudinem circiter mille passuum habet litus excelsum, præceps et præruptum, inde per longitudinem quadringtones passuum planitiem intermittit angustam quidem, sed hortis et ædificiis plenam. Dextrum latus planitiem maritimam habet, ædifica admittentem hortosque, quod a Græcis habitatur frequenti uico, tam ferme longo quam ipsum latus longum est. Turci intimum recessum accolunt frequentiori uico, sito in maritima planite uallis ab ortu solis ad occasum excurrentis, cuius ima planities in pratorum pastiones diffusa, cincta utrimque collibus uitium aliarumque arborum fructiferarum feracibus. A sinu progreditur librata paulo amplius bis mille et ducentos passus, nusquam strictior centum passibus, neque latior ducentis. In duas inde ualles [127] diuiditur, utrasque tantumdem fere longas, ex quibus riui descendunt qui, simul coniuncti, omni anni

---

90 Leosthenio : Leosthene *edd.*

tempore perennes per medium uallis planitiem defluunt in medium sinum intimum, emittentes profluentem in alueo angustiore, exiguum quidem, ut qui summa æstate circulum implere possit haud multo patentiorum circuitu sesquipedali. Verumtamen maior esset, nisi ex eius fontibus opere subterraneo ad hominum potiones et lauacra deduceretur in uicum Leosthenium, per quem medium fluuius partim salsus delabitur, auctus ex recessu sinus octo passus in latitudinem patens, scaphis tutam stationem præbens.

Sed ut et sinus, et fluuius magis perspicui et clari fiant, adferam ea quæ de his Dionysius scribit. *Post templum*, inquit, *Hecatae sequitur <sinus> Lasthenes appellatus a uiro Megarensi Lasthene. Similis sinui nuncupato Cornu est, intimo recessu palustri, et promunturiorum eminentia, et profunda altitudine quantum magna cum paruis licet conferre. Ad introitum strictus est, procedens autem ualde dilatatur. Tranquillus et tutus est, circumdatus montibus quibus uelut muris munitur contra uentos, in quem descendit quidam fluuius perennis quidem, sed nauibus inaccessus. In hoc loco Amphiaraus ex oraculi diuino præcepto colitur.* Dionysius introitum sinus appellat recessum intimum, cum tamen introitus rectius appellaretur ostium aditusque, quo Bosporus ingreditur in sinum, et quo nauigantes introeunt in portum. Sed in hac re ille similis uidetur magnis scriptoribus, quos ante dixi introitum Bospori appellare exitum ostiaque fluminum uocare capita. Quem Dionysius appellat Lasthe-[128] nem, Stephanus Leosthenium nominat. Leosthenes notum et nobile nomen, Lasthenes ignobilis est, et minus notum. Itaque mihi potius Leosthenes aut Laosthenes legendus uideretur, nisi etiam Lasthenem, hoc est saxeо robore præditum, dici posse, ex Plinii colligi possit codice habente *Casthenem* pro Lasthene. Quidam Byzantini hodie appellant Sthenion, alii Sosthenium, utrique deprauate. In eodem errore sunt recentes scriptores, inter quos est Leontius Scholasticus, aut qui hanc inscriptionem scripsit in Leontii uersus :

Λεοντίου σχολαστικοῦ εἰς εἰκόνα ὄρχηστρίδος ισταμένης ἐν τῷ Σωσθενίῳ.  
εἰμὶ μὲν Ἐλλαδίη Βυζαντίας, ἐνθάδε δ' ἔστην  
ἥξι χοροστασίν εἴαρι δῆμος ὅγει,  
όππόθι πορθμῷ γαῖα μερίζεται· ἀμφότεραι γὰρ  
ἄντυγες ὄρχηθμοὺς ἥνεσαν ἡμετέρους.

Quod autem Dionysius Leosthenium sinum similem esse dicit sinui Cornu appellato, recte addit quare similis sit, nempe profunda altitudine, circumclusione montium recessuque palustri. At figura dissimilis uidetur, ille enim similis cornu ceruino, hic bubulo. Quod non deprauate a medio retorquetur paululum in lunatum mucronem, cuiusmodi nonnulla habentur quibus puluerem machinæ bellicæ milites gestare solent. Iure igitur Leosthenium appellare alterum Bospori cornu possumus, nam post sinum Chrysoceras maximus sinus Leosthenius, et tutissimus portus totius Bospori maxime sinuosi et portuosi censendus est.

Solus Plinius meminit portus Senum, oram Bospori Europæam persecuens hoc modo. In *Bosporo*, inquit, *sinus [...] Lasthenes, portus [129] Senum, et alter [...] Mulierum*. Qui si rectum ordinem seruat, Lasthenes sinus est portus Senum, cum inter Lasthemem et portum Mulierum nullus portus sit, præsertim si honorifice appellatus est, ex eo quod senili consilio uti uiderentur, qui ad eum undique tutum appellerentur, siue ridicule ita nominatus, quod debiles nautæ etiam nauigia infirma eo applicare possint. Dicaces enim Bosporani nonnulli, nihil cedentes Leoni aut Pasiadi Bosporanis quos perfacetos habitos fuisse legimus. Sed hæc coniectura non minus incerta quam Plinius incertus in persecundo recto ordine locorum. Quid sit portum Senum coniiciamus esse sinum Diui Demetrii, ex eo quod claudatur promunturio nuncupato Sene marino ? At hoc incertum. Quod si ea de causa eum putemus appellatum, qua Chii portus cuius Ælianus meminit (*in Chio*, inquit, *ad portum nominatum Γερόντων, magnus cicurum est piscium numerus, quos [...] Chii ad solacium senectutis exacta ætate adfectis<sup>91</sup> alunt*), adhuc dubium erit, in quo Bospori loco ille fuerit. Quamobrem

---

91 adfectis : affectos *edd.*

cum sententiam meam fluctuantem nullis ancoris retinere queat portus Senum, hunc non minus incertum quam Plinium, qui illum<sup>92</sup> introduxit, relinquo, meque ad Dionysium, uelut ad Helicem nautæ, dirigo, certissimum Bospori circumnauigatorem omnium senum qui Bosporum nauigarunt, iam inde a ruinis Seueri, qui Byzantium et Bosporica loca euertit et longissima caligine circumfudit.

[130] *De Comarode, et Bacchiis petris, et Thermemeria, et de portu Pitheci, et sinu appellato Pharmacia*

CAPVT XVI

[129] A DEXTRO cornu sinus Lasthenici septingentos passus progressus sum, usque ad riuum hiberno tempore fluentem per uicum magnum quem Neochorion appellant, ex eo quod recente habitari [130] coepitus sit. Ex cuius riuo procedens mille et quingentos passus inueni flexus angulum, quo litus pergens ad plagam septentrionum uicinam ortui solstitiali incuruatur ad occasum solstitialem. Hunc angulum piscatores iam appellant Comarum, cum tamen iampridem huiuscemodi arbor nulla ibi exstisset dicatur, sed fuisse olim liquet ex Dionysio.

*Post Lasthenium, inquit, Comarodes existit, a silua comarorum nominatum, mari fluctuoso uerberatum.*

*Post Comarodes consequitur litus editum, asperum, cautesque concavæ ex mari eminentes, quas antiqui Bacchias nominarunt, ex eo quod circum ipsas concitato motu fluctus furere et bacchari uidentur. Hic Demetrium, Philippi ducem exercitus, cum uicissent Byzantii, Θερμημερίαν nominarunt locum a re ipsa quæ contigerat. Pugnam enim naualem illius diei magna sollertia et summo ardore pugnauerant.*

*Sub oram autem prominentem subit et succedit sinus in quo est portus Pitheci, quem aiunt regem barbarorum hunc locum accolentium Asteropæo una cum suis filiis ducem exstisset traiectionis in Asiam. Huic continens est ora prærupta et præceps.*

*Deinde consequitur litus inclinans in sinum nominatum Εὔδιον Καλόν, quem circuit promunturium adeo maris<sup>93</sup> exiguo spatio contractum, ut continens quidem natura exsistat, at aspectu insula esse uideatur.*

*Inde statim suc-[131] cedit sinus nuncupatus Pharmacias a Medea Colchide quæ in hoc loco reposuit pharmacorum arculas. Est autem pulcherrimus et commodissimus ad punctiones et ad naues appellendas aptissimus. Etenim usque ad marginem litoris profundus a uentisque maxime tutus habetur. Piscium multitudinem ad se allicit. Siluae autem densæ, et profunda nemora omnis generis, et prata impendent uelut, arbitror, certante terra cum mari. Eius circuitus adumbratur silua imminente in mare, per quam medium in sinum descendit fluuius sine strepitu fluens.*

Pharmaciam locum illum esse quem nunc Græci appellant Therapiam paulo infra ostendam, quam declarauerim quo iam nomine appellantur et quo siti loco sint Pitheci portus et sinus uocatus Εὔδιος Καλός. Hos cum esse constet inter Comarodes et Pharmaciam, subiiciam quale et quantum litus interiectum sit inter Comarodes et Pharmaciam. Hoc enim litore cognito percipiems facile in qua litoris parte illi positi fuerint. Ab angulo flexus, qui incipit a loco Comarode, secundum oram Bospori præruptam et præcipitem mille et ducentorum passuum processus feci usque ad uallem quam Græci Libadion, id est herbidum locum, appellant. Nunc pratensis non est, sed totus uineis consitus. Fuisse tamen antea dictitant, ignari λιμένα Πιθήκου traductum fuisse in Libadion, uulgi consuetudine soliti ea,

92 Plinium, qui illum : illum, quem Plinius leg. ?

93 promunturium adeo maris : litus et mare edd. (cf. p. 133).

quæ non intellegit, traducere ad similia sibi nota. Sed uocent Græci iam ut libet ! Tamen alibi, etiam si nomine careret, esse non posse quam secundum uallem Libadicam percipio, ex eo quod inter Comarodes et Pharmaciam nullus sinus manifestus [132] exsistit, nisi Libadicus leniter curuatus, profundus et portuosus usque fere ad marginem litoris, duobus promunturiis præruptis et præcipitibus interclusus. Sinum intimum adtingit ima uallis Libadicæ planities, lata passus circiter ducentos, in qua olim uicum fuisse appetet ex ruinis fundamentorum. Iam explorato percepto que portu Pitheci, percipiuntur inter Libadicam uallem et Comarodes exstisset saxa illa, et cautes quas Bacchias appellauit antiquitas. Quæ si tot et tantæ nunc non exstant quantæ traduntur a Dionysio, id adtribuendum uel auaritiæ, uel inopiae hominum qui, ut exigua impensa seruorum ædificent, saxa ex latomiis non eruunt, sed agrestes cautes, non modo cæmenticiis operibus ineptas, sed etiam abhorrentes a calce, ex omnium litorum crepidinibus et præcipitiis exscindunt, ad structuram uilium ædificiorum.

A ualle Libadica litus excelsum et abruptum paulo plus mille passus excurrit ad uallem quam appellant Linon, sitam prope sinum Pharmaciam, cuius maritima planities ducentorum et sexaginta passum latitudinem complet. Olim habitatam fuisse ostendunt permulta ædificiorum fundamenta. Vallem subsequitur promunturium diuidens sinum uallis a sinu Pharmaciam, quod in centenum passuum latitudinem suam radicem agit, sub qua exsistit insulula, seu potius scopulus in multa saxa diuisus, in passuum longitudinem circiter centum sexaginta, ab ortu solstitiali ad occasum brumalem porrectus. Distat a continenti quadraginta passus, circumdatus mari uadoso, genu tenus alto. A Græcis appellatur Catergo, hoc est tremis, a similitudine quam præ se gerit tremis. Hoc [133] scopulo et promuntorio super scopulum impendente ab occasu solstitiali clausus sinus, sub uallem Linon subiectus, ab ortu brumali cinctus promunturio præcipiti et pene directo, ille ipse est quem Dionysius nominat Εὔδιον Καλόν, id quod percipitur cum ordine *Anapli* Dionysiani, tum situ exiguæ insululæ qua clauditur. Adeo enim exiguo maris spatio ea separatur a continenti, ut cum natura sit insula, aspectu uideatur continens. Temporibus Dionysii insulam non fuisse, sed uisam fuisse, patet ex eius uerbis, cum ait : *Promunturium id, quod claudit sinum Εὔδιον Καλὸν, adeo contractum fuisse, breui maris spatio circumdatum, ut cum natura esset continens, aspectu insula uideretur.* Nunc a continenti abscissa est, uel temporis longa uetustate, uel potius hominum opere, omnia saxa, uel deformissima, in uiles ædificationes exscindentium.

Atque ut clarius noscatur sinus Pharmacias esse quem hodie appellant Therapiam, subiiciam qualis sit. Ab ortu hiberno<sup>94</sup> ad occasum æstiuum in passuum longitudinem circiter septingentorum procedit, uaria latitudine, nam a fauibus ad medium in passus laxatur paulo plus trecentos, a medio ad intimum recessum adstringitur in plus minus ducentos. Ambitu litoreo amplius mille et quadragesimos complectitur. Profundæ altitudinis est a latere pertinente ad septentriones, et nauium capax usque ad oram maris. Litus meridianum magna ex parte uadosum et præruptum. Vndique a uentis tutum est, a meridie quidem excelsis collibus, quorum ultimus efficit promunturium quo sinum Εὔδιον Καλὸν ante dixi se iungi a sinu Therapico. Ab omnibus uentis septentrionibus atque solstitialibus [134] illum protegit promunturium peninsulanum, ab una parte freto Bosporico, ex altera clausum sinu, undique proclive, excepta ceruice media et mediocri dorso in quo statuta sunt moletrina uento uersatilia. Ex eodem paulo ante eminebat turris, olim pharus nauigantibus, quam a Turcis euerti uidi. Promunturii mucro in tria latera decluem radicem in passuum latitudinem agit sexaginta. Editur in altitudinem centenum passuum, inde dorsum molliter adsurgit. Ab occidente, etsi sinus leniter aperitur ualle, tamen haec, postquam ab intimo sinu in planitiem centenum pedum processit, in duas diuiditur ualles obiectu collis qui ualles recuruat, ne directi uenti deorsum descendant in sinum. Ex altera ualle fluuius omni anni tempore perennis

---

94 hiberno : æstiuo *edd.*

defluit in medium sinus recessum. Aëstiuo tempore exsistit ea magnitudine qua fluuius Leosthenicus. Vidi eius fontem ab ostio et sinu distantem paulo amplius mille et quadringentos passus. Ab aëstiuo occasu ad solis ortum similiter aëstium<sup>95</sup> per uallem currit angustum ex qua nascitur, sed non ex summa, nam ea ultra fontem altius adsurgit. Iam etsi colles uallesque sinum Therapeuticum cingentes nemorosi non sunt, ut tradit Dionysius eos esse qui claudunt Pharmaciam, sed exculti uineis et cerasis consiti aut, ubi hæ desunt, ericis tecti, tamen sinum Pharmaciam alium esse non posse quam Therapeuticum, cum ex antedictis intellegi potest, tum ex consequentibus locis *Anapli* Dionysiani, a quibus ad Comarodes nullus sinus est in quem descendat fluuius aliquis, neque in quem conueniant cetera quæ tradit Dionysius. Nimirum solus inter sinum Leosthenium et Bathy-[135] colpon paulo ultra sinum Therapiæ situm, pulchritudine portus et copia piscium excellit. Quod autem *siluæ densæ* et *profunda nemora* non circumsæpiant sinum Therapeuticum, ut Dionysius scribit circumsæpire Pharmaciam, id agricultura accidit, non natura loci. Nam olim cum eodem ex Dionysio nouerimus totum sinus Ceratini litus siluis tectum fuisse, nunc a nemoribus nudum, uideamusque oram Bospori Asiaticam, sinui Therapico oppositam, nemoribus uestitam, quis dubitat quin litus Bospori Europæum fuerit nemorosum similiter ut Asiaticum ? non ob aliam causam siluestre quam quod abhinc centum annos agricultura uacat, conuersum in saltus uenationum Regiarum. Sinum Pharmaciam appellaui Therapeuticum a uico sito in eius litore, quem Græci iamdudum nominant Therapiam ex eo, arbitror, quod uulgus Græcorum aliter uenenum appellare nescit quam pharmacum. Quod uenenatum et expiabile nomen mutarunt in expiatum et salutare, ne nautæ portum optimum detestarentur exsecrarenturque ut uenenum, ut κόθαρμα. *Erat enim pharmacus olim [...] talis*<sup>96</sup> : *si deorum indignatione fames, aut pestis, aut alia quæpiam calamitas urbem apprehenderet, hominem omnium deformissimum in urbis laborantis [...] expiationem ad uictimam ducebant [...] ipsique pro hostia statuto de manu dabant caseum, offam, ficus [...] quem tamquam pharmacum, ubi septies [...] scillis et ramis ficuum agrestium [...] concidissent, igne ex agrestibus lignis facto cremabant eiusque cineres ad expiandam urbem [...] laborantem proiiciebant in mare.* Itaque non sine causa commutatum nomen arbitror, etiam inter-[136] cedente regis decreto, cuius maxime intererat nobilem portum uindicare ab infami nomine. Nam nisi regio iussu, difficile uidetur pertinaciter dicacem nautarum nationem abstinere potuisse a tamdiu inueterato nomine mordaci, idque perniciosum acerbumque salutari nomine mitigasse, præsertim mulierum precibus male audientium ob Medeæ cistam ibi depositam, ut male in hunc diem audiunt Thessalæ mulieres ob cistam pharmacorum quam fugiens Medea abiecit in Thessaliæ. Neque modo nomine Medeæ, sed etiam re ipsa in hunc diem male audiunt ut pharmacides. Evidem cum perlustrarem Thessaliæ incisissemque in panegyrim totius Greciæ maximam, celebrari quotannis solitam mense Maio apud uicum nuncupatum Moscolurum, non longe distantem a Pharsalia, percontatus sum ab hospite, num essent in Thessalia pharmacides, qui adfirmabat nonnullas esse quæ edere crederentur non minus mirabilia quam illa quæ de Thessalis mulieribus tradit Lucianus.

*De saxis et cautibus litoris excelsi præruptis præcipitisque, et de Clauibus Ponti, de petra nominata Dicæa*

CAPVT XVII

95 similiter aëstium : hibernum *leg.* ? .

96 pharmacus ... talis : pharmacum ... tale *edd.*

*PHARMACIAM*, inquit Dionysius, *subsequuntur saxosa litora et præcipitia in mare impendentia, uelut uisionis flexamina, ex eo quod oculis flexibilem aspectum obiiciant. Aperitur enim Pontus tectus eminentibus promunturiis, nullo amplius impediente uerum aspectum, [137] quod enim crebro finis esse uidetur, idem rursus inuenitur principium. Postea maris latentis uisio conciliat fidem rei quæ non credebatur. Illa autem saxa et cautes litoris nominarunt Κλεῖδας καὶ Κλεῖθρα τοῦ Πόντου, hoc est Claves et Claustra Ponti.*

*Iam prætergresso Claves, aspectus magis quam Ponti, adest petra in acutum uerticem fastigata, nucis pineæ sililitudinem gerens quæ Dicæa, id est Iusta, nominatur, ex eo quod triremibus nauigantes in Pontum mercatores duo apud hanc petram deposuissent aurum, pacti inter se non prius alterum illud esse sublaturum, quam ambo simul ad petram conuenirent. Altero pactionem prætergresso, sermo hominum habet aurum delitusse, recusante petra impiam fidem socii perfidi, quo usque simul ambo eo conuenientes depositum acceperunt. Petra autem præmium remansit huius iustitiae nomen. Quantopere res humanæ inter se differant felicitate memoriae et posteritatis, cum ex urbibus et libris antea animaduerteram, quorum non meliores, sed bonum genium sortiti peruererunt ad æternam posteritatem, tum nuper considerauit ex petra Dicæa, cuius historia usque ad hanc diem remansit in memoria et sermone Bosporanorum, cum memoria aliorum nominum longe nobiliorum funditus interierit. Numquam cognouissem petram Dicæam, nisi forte incidissem in sermonem piscatorum de petra in litore sita narrantium historiam, quam narrat Dionysius de petra Dicæa, quæ ubi et qualis sit, postea dicam quam ostendero unde incipiunt aperiri Claustra Ponti.*

Supra litus saxosum et rupibus crebrum, quas uelut radices in mare proiiciunt cliui prærupti et præcipites, a The-[138] rapia progressus sum quingentos passus usque ad uallem quam Græci hodie appellant Dialithra corrupte, quasi τὰ Κλεῖθρα. Ab hac ualle aperiri incipit Pontus sensimque latius panditur ulterius pergentibus. Ima huius uallis planities maritima nunc est plena uineis, olim ædificiis, ut ostendunt rudera non modo parietum, sed etiam columnarum marmorearum. Hanc ipsam uallem mille passus prætergressus exigua semita uix unius hominis capace, transuersa inter directos et præcipites cliuos eminentes supra litus arduum et saxeum, perueni ad locum appellatum Brologenem, unde mihi rectus Bospori canalis usque ad Pontum perspiciebatur et simul tota porta Ponti aperiebatur. Atque Pontus ipse, tantum patens quantum porta retegebat, longe prospiciebatur recta uia petere locum, ubi iuxta petram Dicæam subsidebam in cliuo, qui in altitudinem circiter centenum passuum ex mari editus<sup>97</sup> erat. Inde paululum recreatus surrexi ad considerandam petram, an esset illa Dicæa quam describit Dionysius. Circumspexi eam passus circiter sexaginta ambitu complecti, ipsamque dimensus sum a latere supernos cliuos suspiciente erigi in altitudinem duodenum pedum, a contrario latere despiciente mare dimidio altiore esse. Cum ex mari suspicitur, similis est nuci pineæ non modo lateribus, sed etiam uertice in multos mucrones leniter fastigato, pineorum nucleorum similitudinem gerentes. Quo enim longius remotam prospicis, eo propius accedere uidetur ad similitudinem nucis. Nam longo ex interuallo conspicitur. Etiam ultra Cyaneas ex Ponto eam adsequabar desinere in uerticem acutum. In hanc [139] petram cum ascendassem, ex eius summo uertice uidi foramen in altitudinem concavam deprimi penitus abditam, penetrans latus petrae despiciens ad mare, quod imum uelut fundum pertusum fuisse uidetur ab hominibus longa auditione opinantibus ex superno foramine aurum penitus abditum fuisse. Iam Bosporani hanc petram nonnulli dicunt esse illam in quam aurum abditum fuit. Alii aiunt sub hac ipsa fuisse alteram petram huic similem, sitam in litore, undique mari circumdatam, sed ante paucos annos quam huc uenisset a seruis Aenobarbi Turcicæ classi præfecti, incitatis auri cupiditate, quam hauserant ex sermone

---

97 qui ... editus : quod ... editum 1561.

hominum aurum ibi delitescere, excisam in fragmentaque dissectam finisse. Quam piscatores soliti erant appellare Brologenem, adjunguntque unum ex eius excisoribus oculum amisisse ex reiectione cæmentorum petræ, nomen iustitiæ usque, arbitror, ad interitum retinentis. Verum ut petram exciderint, semper uersabitur sermo illic thesaurum absconditum fuisse, ut longe antea uersatum fuisse arbitror, quam a Dionysio petra hæc diceretur similitudinem gerere pineæ nucis. Nam, ut quidam scribunt, *Lampsacum urbem Hellespontiam, prius Pityam appellatam [...], ex eo quod Phrixus [...] thesauros hic posuerit [...], Thraces enim thesaurum πιτύην dicunt*, ita petram Dicæam suspicor primum Pityam nominatam fuisse quam, amissa antiqua cognitione Thraciæ linguæ, posteri, ignorantes Pityam a thesauro nuncupatam fuisse, postea fortasse petram στροβίλοειδῆ dixerunt esse ex eo quod στρόβιλος sit ἡ πίτυς καὶ ὁ καρπὸς αὐτῆς.

[140] *De sinu nuncupato Profundo, de fluuio eiusdem nominis et Saronis ara, de agro nominato Calo*  
CAPVT XVIII

A DICÆA petra litus recedere in sinum incipit, introrsus in profundum angulum qui conuertit circumscribitque primum anfractum Bospori. Hunc sinum Dionysius appellat Bathycolpon. *Prope, inquit, petram Dicæam nuncupatus Βαθύκολπος*, is est Sinus profundus, *non tam circumscriptione sui intimi recessus per pulchri et in profundam latamque arenam porrecti, quam magna altitudine maris. Cliui enim ardui et præcipites uicini proximi sunt oræ maritimæ. Fluuius in sinum exit, cui idem quod sinui nomen est. Hic exsistit Saronis herois Megarici ara, et iactus piscium sibi idoneo et maturo tempore conferta et continentia natatione primo sursum, deinde deorsum Bosporum commeantium, maris altitudine deceptorum.* Hunc Megaricum heroem arbitror esse illum Saronem deum marinum qui nauticarum rerum scientiæ præses existimatur, a quo Megaræ uicinus sinus Saronicus appellatur. Cuius ara facilius ut cognoscatur ubi sita fuerit, et qualis sinus sit nuncupatus Bathycolpus, subiungam litus quod sub petram Dicæam succedit. A qua quingentos passus discedens, imam uallis attigi planitem quæ panditur in passuum latitudinem quadraginta, ubi uestigia quædam ædis Diuæ Euphemiae spectantur. In litore ultra uallem ducentos passus est fons Euphemiae sacer, perenni riuulo scaturiens, latericio opere concameratus. A fonte octingentos passus progressus sum ad petram mari circum-[141] datam, paululum ex aqua exstantem, quam piscatores Trapezam appellant ex eo quod tamquam mensa plana supra aquam emineat. Ab hac Trapeza breui decurso spatio est profundæ uallis ima planities intimum Bathycolpi recessum claudens, montanam finiens oram maritimam, quæ a Comarode incipit pergere ab ortu brumali ad occasum solstitialem saxea, montuosa, in quam impendent ardui cliui, per quos transuersos iter fit male tutum obliquis semitis exiguis, ualde a litore altis, ex quibus permultis sine præcipiti casu ne transuersum quidem pedem discedere licet. Bathycolpos ad similitudinem quamdam anguli normalis accedit, quo Bosporos prius pergens ad occasum ferme brumalem flectitur ad ortum hiemalem, normæ similitudinem gerens non modo alueo, sed etiam utraque ora angulum normalem efficiens, inter Bathycolpon et promunturium in contrario litore situm, quod mucrone intus recurvato angulum Bospori interiorum agit. Bathycolpos in exteriorem anguli partem incuruatur. Hic *sinus* etiam olim appellari potuit *Saronicus [...]*, siue ab ara Saronis in eo statuta, siue a *querno nemore* quo olim *redimitus [...]* erat. Saronem enim antiqua *Græcia [...]* *querum appellabat*, unde Saronicus sinus, et saronidæ philosophi Gallorum, alio nomine druidæ appellati.

Aram Saronis iam constat esse in litore Bathycolpi, sed in qua sinus parte etiam ex uerbis Dionysii consequentibus adsequimur. *Paulo, inquit, sub promunturio Saronico situs est Καλὸς Ἀγρός. Ob utramque commoditatem terræ et maris a natura nomen habet.* Vsque ad hanc ætatem nomen retinet. Senes enim antiqui Καλὸν Ἀγρὸν, [142] iuuenes Καλὸν

'Αβρὸν appellant agrum qui claudit Bathycolpon. Quo cognito, percipimus aram Saronis fuisse in promunturio intercedente inter Trapezam et maritimam planitiem uallis claudentis intimum recessum Bathycolpi. In quem medium descendit fluuius Bathycolpus a sinu nomen adeptus, per latam uallem quam Turci appellant alii Biutere, quasi Magnum Nemus, alii Biudere, quasi Magnum Fluuium, quod olim a Græco nomine transtulisse uidentur. Græci iam nesciunt ubi sit Bathycolpos, sed Turcico nomine appellant Biudere, aut Καλὸν Ἀγρόν. Is hodie qualis sit quantusque fluuius Bathycolpus ut facilius percipiatur, describam uallem continentem Boni Agri maximam partem, per quam medium fluuius Bathycolpos defluit in sinum sui nominis. Hæc ab ortu solis æstiuo<sup>98</sup> ad occasum æstium procedit, cuius ima planities librata, patens septingentos passus in latitudinem, primum a mari pergit pratensis in passuum longitudinem circiter octonum millium, cincta utrimque collibus uitiferis et frugiferis. Inde insinuatur in multas ualliculas nemoras, ipsa tota nemorosa, circumsæpta collibus siluestribus ubi uagantur greges ceruorum et aprorum. In ualle intima ac penitus abstrusa sunt Regii horti, quos irrigant riuuli perennes, ex summa ualle in unum alueum coeunt, altis ripis coercitum et densis arboribus circumuestitum, ut introrsus perspicere nequirem. Itaque fortasse primum Bathys appellatus nomen dedit sinui siue a profundo alueo, siue a profunda ualle recedente in profundos saltus excelsis roboribus obscuros, ex ualle Bathycolpo longe lateque porrectos ad Pontum usque atque ad fontes [143] Barbysæ et Cydari, agrestium animalium uenationibus refertos. Fluuius Bathycolpus exiguum paludem prope ostium efficit omni anni tempore perennem, etsi ipse summa æstate usque ad mare perennis non fluit, ex eo quod partim in Regis hortos, partim in prata consumitur. Partim priuatur riuo manante ex summa ualle, desinente in uallem Bathycolpon, deriuato opere subterraneo ad usum uici Turcici iuxta sinum siti, cui uicinus est alter uicus explicatus in passuum longitudinem circiter duum millium, maxima ex parte a Græcis habitatus. Totus tractus continens hos duos uicos et uallem Bathycolpon collesque impendentes nunc uulgo Καλὸς Ἀγρὸς appellatur, idque recte. Abundat enim ex terra frugibus fructibusque, ex mari piscium multitudine, ut nusquam in toto Bosporo piscatio luculentior exerceatur, densis piscium gregibus in hunc sinum aberrantium, anniuersariis transitionibus quas quotannis bis facticare solent, primas sursum uerno tempore, alteras deorsum ineunte hieme.

*De promunturio Simæo, et sinu Scletrina, et de aris Apollinis et Matris deorum*  
 CAPVT XIX

A BATHYCOLPI ualle trium millium et quadringentorum passuum ora maritima progressionem habet ad uicum quem etiam nunc Græci nominant Scletrinam, situm in sinu quem a meridie claudit promunturium, sub quo piscatorum speculæ tres in litore defixa sunt, singulæ duobus tignis constantes in excelsum excitatis quæ intercipiunt et iungunt trabes crebræ immissæ ad faci-[144] lem ascensum speculatoribus præstandum. Id promunturium Dionysius appellat Simam.

*Post, inquit, Καλὸν Ἀγρὸν est Simas promunturium et Veneris Meretriciæ statua. Simam enim quamdam habet hominum sermo ualde pulchram, et ingeniosam, et sollerter hunc locum incoluisse, de præternauigantibus merere solitam stipendia Veneris. Hanc primum existimo appellatam Simætham, deinde, ut uulgs contrahere solet nomina, Simam a Simætha meretrice Megarica, nobilitata amore Alcibiadis et uersibus Aristophanis, cum inquit :*

Πόρνην δὲ Σίμαιθαν, ὕοντες Μεγάραδε,  
 Νεανίαι κλέπτουσι μεθυσοκότταβοι.

---

98 æstiuo : hiberno *leg.* ?

Megarenses enim, qui Byzantium coloniam deduxerunt, cum alia Bospori loca nobilitarunt nominibus suorum nobilium ciuum, tum hoc promunturium illustrarunt sua nobili Simætha, a qua multas postea meretrices Byzantias, ut ab urbe Megara oriundas, appellatas fuisse Simæthas uero proximum uidetur.

Ad hæc Dionysius adiungit : *Promunturium nuncupatum Simam prætergressos excipit Scletrinas sinus. Nescio utrum ex asperitate siluestris terræ, anne a flumine in se ipsum descendente. Atque etiam succedunt aræ Apollinis et Matris deum, et breui interuallo ad Pontum nauigatio.* Promunturium Simæthicum, a meridie continens Scletrinam sinum, radices maritimas agit in passuum longitudinem quingentorum. A quibus imi cliui eriguntur in ascensum præcipitem trecentorum passuum, inde æquior ascensus exsistit ad uerticem quo uallis Bathycolpica diuiditur a ualle Scletrina. Hæc quidem a fluminis ostio ab ortuque æstiuo proficiscitur in pas-[145] suum longitudinem circiter duum millium, inde flectitur ad septentriones interuallo duorum plus minus milliarium, cuius ima planities pratensis et uitifera, partim cerasis consita, quæ, quantum oculis æstimare potui, non minus patet quam quadringentos latitudinis passus, in longitudinem mille passuum. Inde uallis coartatur circumsurgentibus montibus arduis adeoque procliibus, ut eius latus meridianum ascendi solitum sit longis anfractibus, uestitum profundis siluis, ceruos, aplos aliasque feras adumbrantibus, continuatis cum nemore Biutericæ uallis. Latus claudens uallem a septentrionibus præcipites quidem imos cliuos habet, superos uero longe remissiores, præsertim ubi metallorum secturæ eminent. Flumen Scletrinas a summa ualle oritur, post ex eius lateribus augetur riulis cum aliunde manantibus, tum maxime a lateris meridiani cliuis continentibus tria monasteria soliuagorum hominum sustentata præcipuo uestigali quod colligitur ex cerasis, inter se paruo interuallo distantia. E quorum fontibus tres riuuli omni anni tempore perennes in Scletrinam delabuntur, singuli implentes fistulam ferme quincuncialem. Sed etsi multis riuulis perennibus augetur, summa tamen æstate eius alueus exarescit ex eo quod alicubi absorbetur terra arenosa et rara in longitudinem quattuor stadiorum. Deinde in longitudinem octingentorum passuum exsistit usque ad ostium et uicum Scletrinam secundum mare situm, ubi exigua paludem kannis plenam efficiens, duobus ostiolis in mare exit, quæ ambo efficerent ea magnitudine fluum qua exsistit Pharmacicus.

[146] *De Milto promunturio et fano Byzantiorum, de Sarapio et templo Phrygiæ deæ*  
CAPVT XX

A VALLE Scletrina perrexii mille passus ad uallem nuncupatam Cerasiam a cerasis in huius maritima planicie consitis, patente in ducentorum latitudinem passuum, totam uitiferam. Ab hac progressum feci sexcentorum passuum ad alteram uallem, quæ maritimam planitiem habet non latiorem ducentis passibus, uitium tamen feracem arborumque fructiferarum. Huic ualli succrescit promunturium quod Dionysius appellat Amilton, iam Græci nominant Tripition. Nescio an a tripode Apollinis, cuius aras Dionysius in sinu Scletrinæ paulo ante posuit. Mons ipse, qui Tripition promunturium longe in Bosporum emittit, hinc clauditur ualle posita contra fanum Louis, illinc ualle Scletrina. A qua sensim suas maritimas radices proicere et flectere ad solis ortum incipit, ut eius promunturii mucro et Simæum promunturium efficiant latiorem sinum Scletrinam. Inde paulatim ad septentrionem flectitur in uallem Louis fano oppositam. Mille et septingentos passus circuitu maris arenosi et uittis quibusdam in uado distincti complectuntur promunturii Amilti radices directæ, præruptæ, præcipites, ut uia nulla pateat in litore, sed in cliuis arduis semita dumtaxat humano opere explanata. Quæ non minori complexu maris circumeuntur, nec minus in Bosporum proiiciuntur, quam radices promunturii Hermæi. Duas angustias illæ efficiunt, unas obliquas ad promunturium fani Asiatici, alteras rectas ad promunturium Argyronium in litore contrario si-[147] tum, quas nonnulli piscatores dicunt proxime accedere ad angustias Fani quod obliquum habet. Ac si

recta e regione oppositum esset fano Iouis, angustiæ Fani tribus stadiis adstrictiores aut profecto non laxiores essent.

Sub promunturium Amilton subit uallis opposita fano Asiæ, diuidens collem fani Europæi ab ipso promunturio Amilto. Quæ, post breue longitudinis interuallum quo suam imam planitem mare adtingentem explicat plus minus quadringentorum passuum, coartatur in duas ualles angustas et nemorosas obiectu collis intermedii. Quarum altera claudit a septentrionibus montem ex quo proiicitur promunturium Amilton, altera superiorem collis partem fani Europæi. Nam inferiorem huius partem claudit planities uallis nondum in duas ualles diuisæ. Collis hic triplici decliuitate propendet, una ad solis ortum, altera ad meridiem, tertia ad occasum, siquidem ipsum a lateribus cingunt ualles præcipites et pene directæ, a fronte uero Bosporus. In quem ille ipse collis demittit dorsum in omnem partem proclive, eminens supra Bospori angustias sitas inter duo Fana inter se quidem opposita et Bosporum in summas angustias cogentia, aliquantum differentia. Nam fanum Asiaticum situm est in promunturio extra ceterum litus Asiæ projecto<sup>99</sup> in Bospori fretum, submittens dorsum ab oriente ad septentriones. At Europæum fanum positum est in colle emitte dorum a septentrionibus ad meridiem, impendente quidem in Bosporum, sed non proiiciente suas radices extra oram maris antecedentem et consequentem. Nam antecedens longe altius projecta est a uicino pro-[148] munturio Amilto, consequens uero adtingens uallem et radices collis fani Europæi, æqualis et par longe cum subsequenti progreditur. In collis cliuis uergentibus ad solis ortum et meridiem oppidulum situm fuit, quod Dionysius appellat πολίχνιον, Polybius *Sarapion*, Strabo *fanum Europæ Byzantiorum*, Græci hodie appellant' Ιερὸν Ῥωμελίας ex eo quia situm sit in ditione Europæa quam nominant' Ρωμέλιον. Illius muri amplius decem stadia circuitu complectuntur, ut patet ex ipsorum fundamentis. Quæ anno antequam hæc scriberem fere tota exstabant, humiliora quidem paulo supra terram, at excelsiora in altitudinem uiginti pedum etiamnum eminebant. Sed eorum maritimam partem adeo funditus euerti uidi, ut ne substructiones quidem reliquerint. Muri per cliuos sic excurrebant præcipites, ut totum ipsum oppidum ulde propenderet, excepta acropoli sita partim in cliuis, partim in collis ceruice breui et plana, in uiginti circiter passus coartata, utrumque uallibus collem cingentibus. Inde ceruix paulatim adsurgit in excelsum uerticem montis unde Constantinopolis uidetur. In quo quidem uertice ueterem pharum fuisse postea ostendam ex Dionysio. Ut enim collis Fani emittit angulum quoquouersus decluem ad suas radices eminentes supra Bosporum, ita oppidum proiiciebat mucronem undique procluem, partim oblique eminentem supra uicum quem nunc uocant Bostnicum a Bostnis eum incolentibus, partim recta impendentem supra angustiarum Bosporicarum portum, quem Græci appellant Mauram Molem, hoc est Nigram, a Ponto Euxino proximo quem Græci iam aliter appellare nesciunt [149] quam mare Nigrum, contra Aristotelem qui censem Pontum Euxinum alborem esse mari Ægæo, *ob fluminum multitudinem [...] Pontum ingredientium*. Sed Græci nautæ magis perspexerunt cæli conditionem quam colorem Ponti. Is enim frequenti caligine circumfundi solet, ut non modo litora uectores, sed ne gubernator quidem in puppi itans proram uidere queat, de quo recte Valerius Flaccus :

*illuc umbrosæ semper aequore nubes,  
et non certa<sup>100</sup> dies.*

Ita enim Cimmerias longe lateque tenebras spargunt in Pontum, ut Constantinopolis interdum caliginibus circumfundatur. Nostrates ex antiqua fama Pontum Euxinum recte uocant mare Maius. Heroicis enim temporibus *simpliciter [...] Ponticum pelagus*, ut [...] quemdam

<sup>99</sup> projecto : projectum 1561.

<sup>100</sup> non certa : incerta *edd.*

*Oceanum arbitrati sunt [...]. Qui illud usque ad nauigabant [...] non aliter in exteriora ingredi maria credebantur, quam qui extra Columnas [...] Herculis progrediebantur [...]. Quamobrem [...] proprie Pontum appellauere, sicut Poetam intellegimus Homerum. Portus Mauræ Molis subiectus erat sub fanum Europæum, portu naturali carens, qualem habet fanum Asiaticum. Idcirco Byzantii cum nollent se inuitis quemquam in Pontum nauigare, oram sub Byzantiacum fanum subiectam portu carentem, quo adstrictius obsiderent angustias, molibus munierunt, ut earum ex uno brachio in Bosporum amplius octoginta passus Romanos projecto catena extenderetur usque ad litus fani Asiatici, ut inuitis Fanis nemo nauigare posset in Pontum. Itaque adhuc Commercii scalas appellant ruinosas moles etiam nunc extantes, illic enim olim por-[150] torium persoluebatur. Catena etiam hac ætate adseruari dicitur in arce fani Asiatici. At moles iampridem diminuta erat, sed tamen paulo supra aquam exstabat. At nuper auaritia quorumdam barbarorum infinita saxa inde asportata sunt in ædificationes suas, magno damno nauigantium qui iam non uident illius cæca fundamenta sub aqua delitescentia.*

Sed quid sentiat Dionysius de promuntorio Amilto et de oppido fani Europæi, ipsum loquentem audiamus. *Post, inquit, Scletrinam exsistunt Milton promunturium, nominatum a similitudine coloris, atque contigua domus cuiusdam nauarchi, et litus arduum directumque, et præcipitum ad solis ortum inclinatum. Circa autem ipsum est mare tæniis distinctum, et fanum Europæum contra frontem fani Asiatici situm. Aiunt hic Iasonem litasse [...] Duodecim diis. Hæc Fana sunt oppidula iuxta Ponti ostium posita. Est etiam templum deæ Phrygiæ, sacrum illustre et publice cultum.* Ex his Dionysii uerbis cognoscimus, etiam tum Fana fuisse oppidula, ut ex uestigiis murorum usque ad hanc diem percipitur. Strabo fanum Europæum appellat fanum Byzantiorum, Asiaticum uero fanum nominat Chalcedoniorum. Amboque dicit pari interuallo distare a Cyaneis. Polybius scribit, *cum rediret Iason a Colchis, sacrificasse [...] Duodecim diis in loco fani Asiatici siti [...] contra [...] Sarapion Thraciæ*, ex quo patet Sarapion fuisse apud fanum Europæum. Cuius non meminisse Dionysius significare uidetur Polybium et Dionysium non eadem ætate uixisse. *Dii Duodecim hi habentur, Iupiter, Iuno, Neptunus [...], Mercurius, Vulcanus, Apollo, Ceres<sup>101</sup>, Diana, Vesta, Mars, Venus, Miner-[151] ua.* Templum Phrygiæ deæ, Matris deorum Rheæ nuncupatae, in cliuis debuit potius esse quam in maritima planicie, ex eo quod montibus gaudeat, ideoque Ὀπεία appelletur, et turrita dea quia olim arces, quibus Rhea patrocinatur, in montibus sitæ essent ob loci robur. Rheam habentem caput turritum mulieres Cilices, et Turcicæ, et Mysiæ imitantur, ferentes capitis tegmen turris similitudinem gerens. Itaque illius templum mihi fuisse uidetur in his locis, ubi hodie duæ ædes sacræ sunt, altera Diui Nicolai, altera Diuæ Mariæ. Iasonem excitasse aras Rheæ uerisimile est, cum Duodecim diis in contrario litore excitaret, præsertim Argonautis Rheam maxime uenerantibus, ut cuius statuam constituerent in Dindymo monte eminenti supra Cyzicum, item aliis locis ut apud Phasim. Arrianus ait *in sinistro latere Phasim ingredientibus statuam fuisse deæ Phasianæ*, quam ipse Arrianus *Rheam existimauit fuisse ex figura [...]. Nam manibus gestabat cymbala, et leones sub throno [...] habebat, in quo Rhea sedebat, ut Athenis in æde Matris deorum.* Quam a Iasone similiter statutam fuisse colligo ex eo quod Arrianus ait : *In loco in quo fuit Rheæ ara, fuit etiam ancora [...] lapidea Argous*, qua Iason profectus est ad Colchos. Illam uero, quam statuit apud Bosporum, similem coniicio Phasianæ Rheæ et Dindymenæ. Nam Dindymena similiter leones habebat, quam Constantinum Magnum in forum Byzantinum una cum leonibus Zosimus traduxisse.

[152] *De Chrysorrhoa fluvio, de secturis metallorum, de pharo antiquo*  
CAPVT XXI

---

101 Mercurius, Vulcanus, Apollo, Ceres : Ceres, Mercurius, Vulcanus, Apollo : *edd.*

A VALLE cingente Fani collem, amplius mille et sexcentorum passuum ora maritima processum facit ad uallem in qua summa est ædicula Mariæ Virginis, quam uocant Castaniotam a silua castanearum circumuigentium, in qua est fons sacer, perennem etiam summa æstate riuum emittens per uallem angustam et iuxta ripas maxima ex parte inaccessam.

Hic riuus ille est de quo Dionysius, postquam commemorauit fanum deæ Phrygiæ, sic ait : *Post hæc Chrysorrhoas fluuius per angustam et aditu difficilem uallem, a tergo positam delabitur, leni fluxu arenam auro similem deferens. Circa hunc secturæ sunt, et terræ fossiones, et cuniculi acti ad scrutandas metallorum uenas, antiquorum uirorum opera scrutantium diuitis terræ facultates. Paulo ultra fluuium sunt nuncupata Chalcæa, locus uicinus mari fluctuoso quidem, sed tamen piscoso. Nominatus est ab ære metallo.*

*In summo uertice collis secundum quem descendit Chrysorrhoas, exsistit Timæa, turris admodum excelsa, circumspecta et permulto mari illustris, ad salutem nauigantium excitata. Vtraque enim Ponti pars caret portibus naues excipientibus, nam maris insedati et turbulentis litus longum in neutram continentem flexiones habet. Ex hac turre faces ardentes noctu sublatæ perferebantur, rectæ uia ad Ponti ostium duces. At barbari uerarum facium fidem auferebant, prætendentes ex Salmydессi litoribus fraudulentas faces, ut in errorem nautas inducerent in naufragiaque subducerent. [153] Ora enim maritima importuosa est, et maris uadum ob excessum aquarum ancoris non firmum, et paratum his qui aberrarunt a recta uia naufragium, signis ueris confusis cum falsis significationibus. Iam uero lucernam extinxit tempus omnia consumens et turrim magna ex parte dissoluit. Ex his Dionysii uerbis cum cetera Ponti litora adsequimur, tum maxime Salmydессi esse importuosa, Thracesque naufragiorum deprædationibus maxime deditos esse. Dionysio consentit Xenophon, cum ait Græcorum exercitum, cuius ipse dux esset, accessisse ad Thraces qui incolunt Delta regionem sitam supra Byzantium, deinde Salmydессum peruenisse [...], ad ea litora, e mari in breuia et quasi æstuaria quædam impactas naues quamplurimas in Pontum uenientes [...] frangi easque Thraces [...] prædari, diuisis inter se [...] litoribus columnarum positione per interualla erectarum, nam antequam [...] id fieret, inter eos de præda cædes plurimæ fiebant.*

Equidem a Bosporo obiui pedibus ad Salmydессum oram [...] Ponti importuosam, longe lateque apertam septentrionibus uentis. In medio itinere uidi locum quem Xenophon appellat Delta, ceteri scriptores Delcon, siue Delconem, hodie nominant Dercon. Id oppidum est quod ab Vrbe Byzantio abest iter pedestre unius diei. Ex tribus partibus clauditur lacu dulci, nisi cum tempestatis mare excitatum exiguo euripo intromittit, a quo *piscis δελκανὸς*<sup>102</sup> [...] appellatur ab Athenæo commemoratus. Is qualis sit, in nostris *Piscationibus* informabitur. Inde rediens ad Cyaneas, uidi nauem nigra caligine Ponti aberrantem, ab ostio Bospori in litus importuosum aquilonibus impulsam [154] collidi, naufragosque omnes uectores incolumes enatare in litus, Thracesque accolas opem naufragis ferre a prædaque se abstinere, siue olim longa Romani imperii consuetudine mansuefactos, siue nunc coercitos acerba seueritate dominantium.

Ex antedictis iam liquet pharum antiquam ostii Pontici non ibi fuisse ubi nunc est iuxta Cyaneas petras, imo longe interius in summo montis emittebant collem Fani uertice, eminente supra uallem per quam defluit Chrysorrhoas fluuius, unde longe lateque patet Pontus, et Bosporus, et Propontis, et Constantinopolis. Locus enim nullus commodior et tutior fuisse uidetur ad pharum efferendam in altum, quam hic omnibus uerticibus Bosporanis excelsior, uicinus fano Europæo sub ipsum subiecto, unde defendi poterat contra barbaros hostes phari. Quam prope Fanum olim fuisse Philostratus significat atque adeo ostendit expressa pictura quam sub oculos postea subiiciemus, cum ad fanum Iouis perueniemus.

---

102 δελκανὸς : delcon 1561.

Aut si pharus non exstitit in uertice collis eminente supra latus meridianum uallis Chrysorrhœ, certe eminuit supra latus cingens eamdem uallem a septentrionibus, idque ex his, quæ postea adfert Dionysius, coniectura adsequimur. *His, inquit, ante commemoratis locis proximus succedit Phosphorus locus qui uel a Diana, uel a uicina antiqua pharo cognomen traxit.*

[155] *De portu Ephesiorum, et de Aphrodisio, de portu Lyciorum, et de Myrleanorum  
domicilio*  
CAPVT XXII

[154] *Huic adiunctum et continens longum litus uocatum Ephesiorum est portus, a multis nauibus Ephesiorum huc appulsis.*

[155] *POST Ephesiorum portum, inquit Dionysius, est Aphrodisium formidabili tectum præcipitio.*

*Hunc post est portus Lyciorum. Is subarenosum litus et sterile habet. In paruo ambitu ualde bonus et firmus tutusque est.*

*Super hunc portum [...] est Myrlæum, domicilium eorum qui, ob seditionem a Myrlæa in exsilium projecti, huc solum uerterunt. Cum ex Dionysii descriptione, tum ex his nominibus in hunc diem retentis perspexi Ephesiorum portum esse uel eum quem Græci iam appellant Magnum Aphosiatin, uel eum quem Paruum nominant Aphosiatin, uel utrumque angulo promunturio diuisum. Græci usque ad hanc diem Myrilium appellant sinum quidem paruum, sed portuosum ac primum totius Europæi litoris Bosporici intrantibus ostium Ponti. Quo cognito, intellego portum Ephesiorum alium esse non posse quam eum quem uulgo nuncupant Aphosiatin. Nam a promunturio, quod a septentrionibus claudit uallem Chrysorrhœ, usque ad portum Myrilium, nulli portus sunt nisi Aphosiatis Magnus et Paruus. Hi cuiusmodi sint, iam designaturus sum. Litus ferme rectum procedens, quod intercedit inter uallem Chrysorrhœ et promunturium diuidens Magnum Aphosiatin a Paruo Aphosiate, pedibus obire non potui propter mare contingens imos montium cliuos ualde pronos. Sed quatenus oculis adsequabar, octo stadia superare non uidebatur. Promunturium quod a Magno diuidit Paruum [156] Aphosiatin inter utrumque portum patet in latitudinem passuum circiter ducentorum. Totum saxeum existit, rupibus paululum sinuosis eminens in mare, directis ad perpendiculum more muri, ex ea præsertim parte quæ adtingit Paruum Aphosiatin, directa, præcisa in semicirculum, in conum uelut turris in tectum fastigata. Ab hoc promunturio paulo amplius mille passus usque ad promunturium ab aquilone claudens Magnum Aphosiatin, litus sabulosum procedit in formam arcuatam. In hunc ualliculæ etsi desinunt, a uentis tamen non minus tutum ipsum præstant quam colles, non enim dorsum montis penetrant. Atque etiam commodiorem descensum in portum præbebant uillis, quas olim fuisse in supercilio uallium appetat ex fundamentis ædificiorum, ubi fontes perennes.*

Promunturium, quo dixi claudi hunc sinum ab aquilonibus, excelsum est, undique præceps et præruptum, et quod pedibus iuxta litus circuiri nequit, ter tanto projectius in mare quam promunturium diuidens Magnum Aphosiatin a Paruo Aphosiate. Inter portum Magni Aphosiatis et Myrilium sinum intercedunt plus minusue mille et quadringenti passus, quantum metiri potui incedens in dorso montis per semitas pastorum densis dumetis implicatas. Nam cliui excelsi a supercilio ad litus præcipitibus rupibus abrupti subsident, ut nulla uia pateat. A meridie clauditur promunturio toto saxeо, quod ab exteriori parte habet cauernosas rupes, alte sonantes cum sunt tempestates, ut præternauigantes ignari putent tormentorum bellicorum sonitum esse. Ab interiori parte sinum adtingente admittit cauernas, e quibus una longa [157] est plus triginta passus, utrumque præcisa ad perpendiculum, cuius ima depressio tantumdem patet quantum summa labra. In hoc promunturio etiamnum exstant uestigia quædam antiquorum ædificiorum, reliquæ domicilii Myrilei. In Dionysiano codice legendum puto

potius *Myrleium* quam *Myrileium*, nusquam enim reperio Myrileiam, sed Myrleiam, *urbem Bithyniae [...] postea appellatam Apameam.*

Myrleanus igitur sinus ab occasu insinuatur in uallem, per quam descendit fluuius in sinum, ortus a uertice collis eminentis supra uallem Chrysorrhoæ, in quo dixi antiquam pharum olim fuisse, et a fontibus pergit a meridie ad septentriones in longitudinem circiter quattuor milliariorum. Inde ad orientem procedens circiter octo stadia ingreditur sinum Myrleanum. Omni anni tempore fluit liquidus et clarus, quo factum est ut sinus hic saepe a diuersis habitatus fuerit, primum a Thracibus Phineo regi subditis, deinde a Lyciis, postremo a Myrleanis, unde sinus appellatus Lyciorum, deinde Myrleanorum. Profundus est et magnarum nauium capax, undique fere tutus. Ab ortu solis contra se habet sinum uulgo nominatum Dios Acra<sup>103</sup>. Eius saxa sunt obscure cyanea, ubi sunt totius Bospori uiciniora Ponto.

Iam uero ubi fuerit Aphrodisium ? quod ex Dionysio ante posui inter portum Ephesiorum et Lyciorum. Id existimo fuisse proprius portum Lyciorum quam Ephesiorum. Ut enim Ephesii Dianam colentes uerisimile est Dianam Phosphoron posuisse prope portum Bosporanum Ephesiorum dictum, ita Lycios existimo statuisse prope portum sui nominis statuam Veneris, quam cultu eximio [158] prosequebantur, ut Lyciorum reginam uersibus decantatam Procli Lycii philosophi. Prope enim Myrilium formidabilia præcipitia, quorum ima pars subsidet et subducitur, summa proiicitur ut domorum projecta tecta, quibus statua araque Veneris, ut ait Dionysius, tegebatur. Itaque rectius interpretandum putaui Dionysium cum ait : ἐπ' αὐτῷ λιμένι Λυκίων Μυρίλειόν ἔστι : *Supra hunc portum Lyciorum est Myrilium*, quam si interpretati fuissemus : *Post hunc portum Lyciorum est Myrilium*, nam tum Lyciorum portus esset Magnus Aphosiatis, et Aphrodisium fuisse in promunturio quod Paruum Aphosiatin a Magno diuidit. At ibi Aphrodisium non *tectum* fuisse *formidabili præcipito*. Illud enim non ab imo subducitur, neque a summo proiicitur, sed dirigitur ad perpendiculum.

### *De Gypopoli, et de aulis Phinei et Amyci Bebrycis*

#### CAPVT XXIII

PROMUNTURIVM, quod a septentrionibus claudit sinum Myrilium, totum saxeum et parum latum exsistit, ut quod in passuum <vac.> longitudinem plus minusue, latitudinem passuum non excedat aliam ducentorum, aliam trecentorum. Ex tribus partibus mari aut flumine circumdatur, a meridie quidem sinu Myrlæano et flumine. Illius mucro non latior ducentis passibus cingitur Bospori angusto canali, at ab aquilone iam latioribus primis faucibus Bospori clauditur. Ab huius quidem promunturii mure crone progressus paulo amplius sexaginta passus, uides eius latus uergens ad primas Bospori fauces [159] et Pontum rupibus excelsis, præruptis propendere directis a summo promunturii uertice ad imas radices mare adtingentes. Quæ recessus admittunt paruos, refertos ingentibus saxis abruptis ex antiqua ruina, desinentes in speluncas prominentibus rupibus tectas, quarum una uergens ad solis ortum in omnes partes patet uiginti quinque passus. Eam olim arbitror Thracum agrestium latronum domicilium naturale fuisse, priusquam ædificia incolere adsuefacti essent. Olim maiores speluncas fuisse ostendunt crebra ingentiaque saxa ante speluncas projecta, ab impendentibus ruinosis rupibus abrupta longa temporis uetustate. Nam ueteres Thraces ex latrocincio uiuentes externorum adeo crudeles hostes fuerunt, ut de suo in externos odio cognomen dederint Ponto non modum inhospitalitatis cuiusdam, sed perpetui odii sine exceptione omnem peregrinationem præcedentis. "Αξεῖον omnes appellarunt, Sophocles ἀπόξεινον, Lycophron κακόξεινον cum ob eius nauigandi difficultatem, tum ob eiusdem accolas barbaros. Qui Bosporum sic clausum tenuerunt, ut poetis materiam dederint fingendi

---

<sup>103</sup> Dios Acra : Dios sacra *edd.*

petras Cyaneas inter se concurrisse, easque ante Iasonem numquam apertas fuisse. Hoc interpretari possumus, utrumque latrones Bosporum totum, olim Cyaneas appellatum, accolentes intercepisse nauigantes in Pontum, commodioremque iuxta Bosporum sedem habere non potuisse ad obsidendas Ponti portas, quam hunc locum situm in primis faucibus Bospori, habentem speluncas saxeas naturales, quales tempora illa postulabant. Quæ alibi in toto Bospori litore Europæ nullæ aliæ sunt quam hæ, habentes pro-[160] ximum fluuium perennem et potabilem tantumque, quantus nullus longo interuallo reperitur, non Scletrineus qui propinquior est, non ceteri omnes litoris Europæi maiores <qui> defluunt in Bosporum. Quamobrem miror Dionysium hunc præterisse, cum alios minores et toto anno minime perennes haudquaquam præterierit. Hæ rupes suis radicibus ad mare adhærescentes eminent supra mare in longitudinem mille passuum præcisæ, directæ, ubique inter se continentes, excepto exiguo sinu intermedio. Ex quo ascenditur in iugum promunturii depresso inter rupes utrumque eminentes multis proiectionibus, subsidentesque multis contractionibus, in multos uertices fastigatas, ut castella quædam agrestia præternauigantibus esse uideantur, turribus elata aspectu horrido et plane barbarico. Non uno lapide illæ constare uidetur, sed multitidine lapidum inter se compactorum terra cyanea, conuersa in saxa fragilia, uetustate inter se cohærentia, cyaneo quidem colore, sed aliquantum uario, alia enim obscuriora, alia dilutiora.

Has rupes, arces Phinei, pulchre describit Dionysius. *Post, inquit, Myriliū est Licnias, forsitan nominatus siue ex eo quod ad similitudinem cunaru[m] concavu[s] sit, siue ex eo quia secundum imas suas partes undique suam projectam eminentiam dilatat.*

*Apud hunc locum est collis saxeus nuncupatus Gypopolis, cognomen adeptus siue ab immanitate Thracica et barbara agrestique. Aiunt enim hic habitasse Phineo regi subiectos crudelitate plurimum eminentes. Siue etiam appellatus est Gypopolis ex eo quod uultures frequentes apud hunc locum uersari gaudeant.* Hæc quidem [161] Dionysius. Posset item appellari Gypapolis per alpha, ἀπὸ τῶν γυπῶν, ἥγονν τῶν σπηλαίων. Num uero hæc, an alia quædam uicina, fuerit aula illa decantata quidem scriptis multorum antiquorum, sed recentium omnium ignoratione obscurata, ad quam Phineus Iasonem ceterosque Argonautas exceptit, ex his quæ quam mox subiungentur coniicio. Asclepiades quidem et Didymus narrant Iasonem nauigantem ad Colchos, cum uenisset ad regionem Bithynorum, exceptum fuisse a Phineo in suam aulam. Sed hæc an fuerit in Asia, an in Europa, dubia uidetur ex auctoribus duplicem tradentibus Bithyniam, unam Europæam circa Salmydессum in Thracia constitutam, alteram Asiaticam, Phineumque omnibus Thracibus, etiam Asiaticis nuncupatis Bithynis, imperasse. Nec dubium tollunt, scribentes Phineum habitasse circa Salmydессum, Phinopolimque fuisse inter Salmydессum et Cyaneas. Vnde quibusdam aula fuisse uidetur, in qua Phineus exceptit Iasonem, ut mihi etiam uideretur, nisi extra Bosporum ab omnibus geographis constitueretur, excepto fortasse Plinio qui eam interdum constituere uidetur intra Bosporum, cum ait : *Inde fauces primæ [...], ubi Phinopolis oppidum fuit.* Sed alio loco secum dissentit, cum oram Thraciam inceptam ab Istri ostiis ad Bosporum persequens narrat *Thyniam, Halmydессum, Deuelton, [...] Phinopolin, [...] sed a Bosporo Lasthenes*, ex quo quidem ordine uerborum excludit a Bosporo Phinopolin. Quamobrem Phinopolis extra Bosporum sita non fuit aula Phinei in qua exceptit Iasonem Phineus. Nam si usque ad Phinopolim Iason nauigasset iam prætergressus Cyaneas, non [162] necesse habuisset petere consilium a Phineo qua ratione Cyaneas præteriret. Verum aulam Phinei fuisse iuxta Bosporum, inter Cyaneas interque aulam Amyci Bebrycum regis, a nemine certius intellegere possumus, quam ab Orpheo antiquissimo, qui unus ex Argonautis fuit, a quo omnes didicerunt, si quid ueri de aula Phinei scripserunt. Verum in qua parte Bospori intellegere non possumus, nisi prius cognouerimus ubi fuerit aula Amyci. Vtrasque iuxta Bosporum, illam in Europa, hanc in Asia fuisse, ex Orpheo et Apollonio adsequi potuisset Plinius, et Hermolaus,

si diligenter utrosque perpendisset. Etenim Orpheus ait Argonautas, cum præternauigassent Cyzicum et Rhyndacum, uenisse ad Cion, locum situm iuxta Propontidem, inde tum soluisse.

αὐτὰρ οἱ μεσάτην ἡῶ φέρον ὠκέες ἵπποι  
 Ἡλίου, κραιπνὸς δ' ἐξ οὔρεος ἔπνεεν οὐρος,  
 ἐν δ' ἔπεος ἀργενναῖς ὁθόναις, Τίφυς δ' ἐγεγώνει  
 νηὸς ἔσω περάαν, θινὸς δ' ἐκ πείσματα λύειν.  
 οἱ δὲ κυβερνητῆρος ἐφημοσύνησι πίθοντο.

[...]

αὐτὰρ ὑπηδοι λυγρὴν ἐπερήσσαμεν αἰαν,  
 ἐνθ' Ἀμυκος Βεβρύκεσσιν ὑπερφιάλοισιν ἄνασσεν  
 ὅστε πανομφαίου Ζηνὸς θέμιν οὐκ ἀλεγίζων,  
 ἄθλον ἐπὶ ξείνοισι περικτιόνων ἀνθρώπων,  
 ὅστις ἐπὶ σταθμοὺς ἥδ' ἀστεμφῇ δόμον ἵξοι,  
 θήκατο πυγμαχίης ὑπερόπλου πειρηθῆναι.  
 τοῦ μὲν ἄρ' ἡίστωσε βίην κρατερὸς Πολυδεύκης  
 τύψας ἀπροφάτως κεφαλὴν σκληροῖσιν ίμᾶσιν.  
 λαοὺς δ' αὐν Βεβρύκων Μινύαι χαλχῷ κατένηραν,  
 ἐνθα δ' ἀφορμηθέντες, ὑπ' εἰρεσίῃ τὲ καμόντες,  
 τιθυνῶν μέγα ἄστυ πλατείῃ κέλσαμεν ἀκτῇ,  
 σπεύδοντες προχοαῖς ἥδ' ἐν νιφαργέσιν ὕλαις,  
 [163]έσπεροι αὐλίσθέντες ἐφοπλίσσαι μέγα δόρπον.  
 ἐνθα ποτ' αἰνόγαμος Φινεὺς ὑπερήνορι θυμῷ,  
 δοιοὺς ἐξαλάωσε γόνους, προβλῆσι πέτραις  
 θηρσὶν ἐλὼρ προύθηκε γυναιῶν εἴνεκα φίλτρων.

Deinde paulo infra ait :

αὐτὰρ οἱ Φινῆος Ἀγηνορίδαι λιπόντες  
 αὐλίν, ὑπὲρ μέγα λαῖτμα θαλάσσης ἐξικόμεθα  
 ἀγχοῦ Κυανέαις πέτραις,

et, paucis interiectis :

ἀλλ' ὅτε δὴ πορθμοῖο κατὰ στόμα, καὶ διὰ πέτρας  
 Κυανέας ἡμειψε λάλος τρόπις, αὐτικ' ἄρ οἵ γε  
 βυσσόθεν ἐρριζοῦντο, καὶ ἔμπεδον αἰὲν ἔμιμνον.  
 οὕτω γὰρ Μοῖραι τάδ' ἐπεκλώσαντο βαρεῖαι.  
 καὶ τότε δὴ προφυγόντες ἀδεύκεα πήματ' ὀλέθρου,  
 Ρηβαίου προχοάς τε, Μέλαιναν θ' ικόμεθ' ἀκτήν.

Ex his quidem percipimus aulam Phinei fuisse inter Cyaneas interque aulam Amyci, ad quam Pollux uicit Amycum regem Bebrycum. Sed utrum in Europa an in Asia fuerit urbs illa magna, quam dicit esse Bithynorum sitam in lato litore, Orpheus non declarat. Nam si legatur :

ἐνθα δ' ἀφορμισθέντες ὑπ' εἰρεσίῃ τὲ καμόντες  
 Βιθυνῶν μέγα ἄστυ πλατείῃ κέλσαμεν ἀκτῇ,

uidetur ostendere illam fuisse aulam Amyci, ex eo quod Apollonius poeta quidem *Argonauticorum*, sed Orphei interpres, aulam Amyci scribit fuisse in lato litore, cum ait :

οἱ δὲ χθόνος εἰσανέχουσαν  
 ἀκτὴν ἐκ κόλποι μάλ' εὐρεῖαν ἐσιδέσθαι  
 φρασσάμενοι, κώπησιν ἄμ' ἡελίῳ ἐπέκελσαν.

At potius mihi legendum uidetur in Orpheo ἐνθένδ' ἀφορμηθέντες ex eo quod ante Orpheus dixit transiisse ad locum [164] ἐνθ' Ἀμυκος Βεβρύκεσσιν ὑπερφιάλοισιν ἄνασσεν, ubi Pollux Amycum deuicit. Sed tamen etiamnum ex Orpheo dubium uidetur, utrum illa magna urbs fuerit in Asia, in Europa, itemque an aula Amyci in Europa an Asia, an iuxta Bosporum, an in Propontide. Nam Dionysius scriptor orbis post Bithynos postque ostium Ponti ponit Bebrycas. *Charon narrat [...] Lampsacenorū regionem prius appellatam fuisse Bebryciam*, unde Tzetzes ausus est totum Hellespontum appellare Bebrycium, et totam Propontidem Bebryciam. Sed et Bithynos accolentes Bosporum appellatos fuisse Bebrycas,

cum ex Nymphe Heracleota colligitur tradente Bithynos etiam appellatos fuisse Mygdones et Bebrycas, quos Strabo dicit ante Bithynos Mysiam incoluisse, oriundos a Bebrycibus Thraciæ, tum Bithynos Bosporanos nuncupatos fuisse Bebrycas liquet ex aula Amyci Bebrycum regis. Quam iuxta Bosporum in Asia sitam fuisse deprehendo ex Apollonio Orphei interprete, non minus egregio *Argonauticorum* poeta quam geographo uero qui, ut narrauit quemadmodum præternauigarint Cyzicum usque ad Cion, inde inquit soluentes

νηῦν δὲ πανημερίην ἀνέμος φέρε νυκτί τε πάσῃ  
λάβρος ἐπιπνείων· ἀτὰρ οὐδ' ἐπὶ τιτθὸν ἄητο<sup>104</sup>  
ἡοῦς τελλομένης. Οἱ δὲ χθονὸς εἰσανέχουσα  
ἀκτὴν ἐκ κόλποι μάλ' εὐρεῖαν ἐσιδέσθαι  
φρασσάμενοι, κώπησιν ἄμ' ηελίῳ ἐπέκελσαν.  
ἔνθα δ' ἔσαν σταθμοί τε βιῶν, αὖλις τ' Ἀμύκοιο,  
Βεβρύκων βασιλῆος ἀγήνορος.

Deinde postquam narrauit, ut Pollux uicerit Amycum [165] et lauro coronati Argonautæ cenauerint, adiungit :

ἥμος δ' ἡέλιος δροσερὰς ἐπέλαμψε κολώνας,  
ἐκ περάτων ἀνιών, ἥγειρε δὲ μηλοβοτῆρας,  
δὴ τότε λυσσάμενοι νεάτης ἐκ πείσματα δάφνης.

Post addit ut toto illo die adflictati tempestatibus fuerint postridieque peruerent ad maritimam domum Phinei, et quæ Phineus dixerit Argonautis :

πέτρας μὲν πάμπρωτον, ἀφορμηθέντες ἐμεῖο,  
Κυανέας ὄψεσθε δύω ἀλὸς ἐν ξυνοχῇσιν  
[...]  
αὐτίκα Βιθυνῶν ἐπὶ δεξιὰ γαῖαν ἔχοντες  
πλώετε ὥργμῖνας πεφυλαγμένοι, εἰσόκεν αὖτε  
·Ρήβαν ὠκυρόην ποταμὸν σκοπελόν τε Κολώνην.

Ex his patet aulam Phinei fuisse in Europa iuxta Bosporum uicinam Cyaneis, aulamque Amyci fuisse in Bithynia Asiatica. Sed an iuxta Propontidem, an iuxta Bosporum, coniicere licet ex eo quod Orpheus dicit Argonautas ex eo soluisse circa meridiem uento secundo. Similiter Apollonius ait ex Cio soluentes totum diem et totam noctem secundo uento et copioso uectos fuisse, postridie mane uento cessante remorum ui appulisse nauem ad eum locum ubi esset aula Amyci, ubi Pollux ex prouocatione uicit Amycum. Iam uero a meridie ad postremum diem uento secundo usos conficere potuisse amplius centum milliaria, existimo ex mea nauigatione qua, intra uiginti quattuor horas, a monte Arganthonio eminente supra sinum Cioticum perueni ad Bosporum distantem a Cio plus centum milliaria. Ex quibus etiam uerisimile uideri posset aulam Amyci in Bosphoro potius quam in Propontide, si nulla essent apertiora argumenta ad probandum au-[166] lam Amyci esse iuxta Bosporum. At alia permulta certiora sunt, quorum nonnulla cum alia ex Apollonio colligere possumus, tum iuxta locum ubi imperfectus est Amycus, fuisse νεάτην δάφνην, quam *non Apollonium poetice finxisse, sed reuera in hoc loco fuisse [...] permagnam*, ex Androeta Tenedio et Apollodoro infra ostendam. Quam posteri appellant Laurum insanam, ubi Plinius dicit fuisse portum Amyci, quem Arrianus appellavit portus Laurus insanæ, eumque tradit quadraginta stadia distare a fano Iouis Vrii, octoginta ab urbe Byzantio. Ex his manifestum est aulam Amyci fuisse in medio Bosphoro aulamque Phinei inter medium Bosporum et Cyaneas. Sed in quo loco nunc coniiciamus. Vero proximum est, cum Phineus haberet greges boum et ouium equorumque, rexque esset Thraciæ, habitasse prope flumen. A medio Bosphoro in Europa ad Cyaneas primus est Pharmacius fluuius, situs contra portum Amyci. In quo non fuisse Phineum cum excepit Iasonem, Bosphori latitudo ostendit, quæ haud excedens milliare non tenuisset Argonautarum traiectum tantum temporis, quantum Orpheus et Apollonius tradunt

104 ἄητο : ἄητε *edd.*

consumpsisse ab aula Amyci ad aulam Phinei. Deinceps sequitur Bathycolpus fluuius, ubi aula Phinei fuisse non uidetur ex loci interuallo. Ille enim distat a portu Amyci circiter tria milliaria, non enim Argonautæ diem unum consumpsissent in tria milliaria conficienda. Restat ut Scletrinas aut Myrleanus habuerit domum Phinei, sed uter habuerit, ex his quæ mox adferam coniicias. Scletrinas habuisse uidetur ex his Apollonii uersibus, cum ex hospitio Phinei Argo-[167] nautæ soluisserent, ait :

ἐκ δὲ τόθεν μακάρεσσι δυνάδεκα δωμήσαντες  
βωμὸν ἀλλὸς ρύγμινι πέρην, καὶ ἐφ' ιερὰ θεύτες,  
νῆα θοὴν εἴσβαινον, ἐρεσσέμεν.

Hoc est *in litore ulteriori aram erexerunt*, quod infra ostendam esse in eo loco, ubi est fanum Iouis Vrii, cui domum Phinei propinquam fuisse antedicti Apollonii uersus designant. Inde adiungit, ut ex eo loco, ubi Fanum est, soluentes nauigarunt ad Cyaneas. Promunturium Fani est magis intra Bosporum quam Myrleanus fluuius duobus milliaribus. Itaque si aula Phinei fuit ad Myrleanum, oportuit Argonautas retrocedere duo milliaria. Sed id ferri potest, nam uatis Phinei uaticinio illud templum excitarunt Duodecim diis, uerisimiliusque uidetur aulam Phinei fuisse prope Myrleanum fluuium, ubi fuit Gypopolis, quam prope Scletrinam, ex Orpheo, cum ait Argonautas, postquam reliquissent aulam Phinei, *supra magnam [...] undam maris accessisse prope Cyaneas*, sed clarius ex Apollonio, apud quem Phineus dimittens Argonautas : *A me, inquit, discedentes quamprimum uidebitis Cyaneas*, ex quibus oportuit domum Phinei propinquam esse Cyaneis. Adde quod aulam Phinei dicit Orpheus fuisse ubi *excæcauit [...] filios eosque in petras eminentes proiecit*. Ex quibus uidetur aula Phinei propinquior Myrleano quam Scletrinæ, quod circa Myrleanum rupes sunt eminentes et præcipites, frequentari solitæ uulturibus et coruis miluisque, hoc est harpyiis rapacibus. In contrario litore est promunturium quod Dionysius Byzantius appellat Coracium, in hanc diem nomen retinens. Præterea quod nulla alia pars Bospori, quam ea quæ est circa Myrilium et Gypopolim, uentos rapidiores habet, uenti enim harpyiæ dicuntur. Ho-[168] merus in synonymia ponit θυέλλας καὶ ὄρπυιάς, ἀντὶ τοῦ καταιγιδώδεις πνοάς. τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ ὄρπαζειν, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ θύειν, ὃ ἐστι μετὰ βίας ἄγειν. Atque ut solemus Harpyias ὄρπακτικοὺς κύνας appellare, ita latrones rapaces Thraces harpyias uocare possumus. Quod si Orpheus dicit aulam Phinei fuisse in siluis, nunc quidem nullæ sunt in Myrleano, sed neque item in sinu Pharmacia, cum olim fuisse densa et profunda nemora ante ex Dionysio acceperimus. Sed de his rebus tam antiquis, quas ne antiqui quidem permulti, etiam litterarum monumentis clari, bene nouisse uidentur, cuius curiosius relinquo iudicium !

*De petra Dotina*  
CAPVT XXIV

*PAVLO ultra Gypopolim*, inquit Dionysius, *est petra Dotina nominata, non in magnam maris altitudinem abdita, neque supra aquam extans. Naves in ipsam impinguntur. Petræ nomen ironia dissimulantiaque ridet nauigantium ignorantiam.* Δωτίνην uocant Dorienses ab aliis Græcis nominatam προϊκά. Byzantios colonos Megarensium lingua Dorica usos fuisse cum ex his cognosco, tum magis ex psephismate, quod a Byzantiis decretum in gratiam Atheniensium Demosthenes citat contra Æschinem. *Dos*, inquit Varro, erit pecunia, *si nuptiarum causa data, hæc Græce δωτίνῃ. Ita enim hæc a Siculis nominatur.*

[170] *De Panio promunturio Phari et de Cyaneis petris*  
CAPVT XXV

*Post Dotinam petram, inquit Dionysius, exsistit promunturium nuncupatum Panium, parallelum Cyaneis, hoc est quasi par et æmulum, contra Cyaneas situm, intercedente medio maris litore. In fine autem promunturii paruæ insulae, termini Pontici maris, a continente dirempta paruo maris spatio intermedio, quod perleibus et perparuis nauigiis permeari et transiri potest ob mare minime profundum. Sublimes autem Cyaneæ et supra mare elatae, aspectum gerentes similem cyano siue a terra multiformi, siue ex refractione maris. Supra Cyaneas ara exsistit Apollinis a Romanis statuta. Promunturium Panium totum saxeum nihil aliud est quam isthmus peninsulanus, ex tribus partibus mari circumdatus, ab oriente quidem Bosporo, a septentrionibus sinu Ponti scopuloso, importuoso, patenti in longitudinem circiter mille et ducentorum passuum. Ab huius intimo recessu linea secans promunturium dorsum, hoc est ceruicem isthmi, ducta ad Bosporum extenditur in passos septingentos. Cliui a summo mucrone ad ceruicem in passum altitudinem efferuntur circiter mille et ducentorum. Contra Cyaneas emittit duos mucrones totos saxeos. Primus quidem maior est et rectus adsurgit in medium promunturium, sub imas radices admittens breuem quemdam recessum diurnis et uehementibus fluctibus excauatum, cauernis et fossulis saxeis plenum, qui exarescit cum est mare tranquillum. Cum uero est uentis concitatum, impletur fluctibus, sed [171] cauernæ semper aqua plenæ remanent. Alterum uero mucronem emittit minorem et obliquum, a dorso demissum uelut pollicem porrectum in obliquam manus partem. Is mucro magis meridianus exiguum sinum efficit, admittentem dumtaxat scaphas. Litus autem contra Cyaneas situm, intercedens inter utrosque mucrones, longum circiter trecentos passus. In Panii supercilio eminenti supra mucronem maiorem exsistit pharus, quasi φανός, unde a Græcis huius ætatis omnia fere nomina diminuere in -άριον solitis, appellatur Φανάριον. Id turris est octogona, in culmine habens lucernam omnibus noctibus lucentem nauigantibus, undique clausam uitreis fenestellis plumbo, non gypso, compactis, quod ostendit non Turcorum, sed Christianorum opus esse. Ex uertice Panii promunturii quoquouersum uides longe lateque Pontum Euxinum, tamquam ex Panio Alexandria olim uidebatur. Hac etiam ætate spectatur in media Alexandria Panium quoddam manufactum, fastigatum in acutum uerticem, excelsum, colli simile. Ex cuius culmine tota undique Alexandria simulque hinc mare Internum, illinc Mareoticus lacus uidetur. Duobus promunturiis Panio et Ancyra finitur Pontus incipitque Bosporus. Iuxta Ancyraeum exsistunt Cyaneæ Asiaticæ, iuxtaque Panium Cyaneæ Europææ, distantes a Panio sibi opposito ab occasu paulo amplius septuaginta passus Romanos. Tantumdem enim in latitudinem patet euripus Cyaneas a continente separans. Quem uadosum et saxeum nudus transire conatus, de medio cursu reuocatus sum. Itaque consensa scapha, per hunc penetrans aduerti Cyaneas ab occasu qui-[172] dem circumnauigari non posse nisi perparuis ob uadosum euripum, a septentrionibus orienteque circuiri ab omnibus nauibus posse.*

Cyaneæ nihil aliud sunt quam, ut dicuntur, petræ. Eas enim numquam insulas appellant Orpheus, Apollonius, Valerius Flaccus, Herodotus, Dionysius Alexandrinus, sed dumtaxat petras nominant. Strabo uero et Dionysius Byzantius uocant insulas minus proprie. Valerius Flaccus nunc *scopulos*, nunc *cautes*, nunc *rupes* nuncupat, Euripides *Didymos* [...] *petras*, quæ profecto nihil aliud sunt quam duo scopuli, unus Asiaticus, alter Europæus, diuisus in quinque petras una radice nitentes, sed ab imo ad summum rimis diuisus. Quarum primam pharo uiciniorem a petra diuidit fissio rimaque alta quinquaginta dodrantes, alicubi patens in latitudinem trium pedum. In qua quidem fissione consistit saxum plaustri oneris magnitudine, a prima petra gradum atque aditum iaciens ad secundam petram in fissionem proiectum ex antiqua ruina. Quam summum scopuli uerticem edidisse significant circum scopulum permulta abiecta saxa. Primæ quidem petræ iugum in omnes partes patet sexaginta septem dodrantes, secundæ uero dorsum planum, in quo statuta est columna, in dodrantum longitudinem panditur centum et quinquaginta, in latitudinem uero quinquaginta. Secundam a tertia diuidens fissio paulo latior est sexaginta dodrantibus. Tantumdem patet fissura tertiam a quarta se iungens. Altitudo totius scopuli, quem dixi diuisum in quattuor petras, non excedit

octoginta dodrantes. Ambitus superat duo millia dodrantum. Ascensus in huius iugum non patet, nisi [173] uno aditu eoque perangusto, quo quadrupedis in modum irrepitur. Scopulus etsi totus saxeus, tamen ex eius dorso aliquot frutices enascuntur ut caprifici, ut pruna agrestia, sed rarissima. Cum sunt maris tempestates, fluctibus obruitur usque adeo ut columna aspersione fluctuum adtingatur. Fuit aliquando scopulus integer, nullis rimis scissus, sed saxa circumproiecta ostendunt ruinarum editione scissum fuisse. Vnde factum est ut eius radices multas cauernas et latebras habeant, partim aridas, partim mare admittentes, ubi non modo pisces, sed etiam multi homines delitescere possunt. Quinta petra longe humilior ceteris, fastigata in duos uertices exiguo euripo diuisos. Illius quidem radices sub aqua iuxta uadum cum radicibus scopuli, quem iam dixi in quattuor petras diuisum, continuantur coniungunturque. Sed ab hoc scopulo quadrifido separatur euripo uadoso, pleno ingentibus saxis ex aqua exstantibus, quæ ab ipsis scopolis abrupta esse uidentur. Circum hos omnes scopulos similiter ingentia saxa abrupta iacent, euripique uadum intercedentis inter Panion et Cyaneas saxeum et cauernosum introspexi, ut uero proximum uideatur Cyaneas olim abruptas a Panio promunturio fuisse similiter toto saxe. Quare non sine physica ratione, ubi animaduertissent poetæ, Cyaneas terræ motu aut temporis uetustate ruinas edidisse et circumfractas esse, finixerunt inter se concurrisse. In quo concursu quid uerius esse appetet, quam id quod tradit Valerius Flaccus : *Cyaneæ iuga præcipites illisa<sup>105</sup> remittunt* ? Nam reuera earum iuga ruinis illisa remissiora sunt facta, earumdemque moles illisæ. Nam quod Apollonius [174] ait petris Cyaneis,

κοῖλαι δὲ σπήλυγγες ὑπὸ σπιλάδας τρηχείας  
 κλυζούσης ἀλὸς ἔνδον ἐβόμβεον,

ex ante iam dictis non fictum esse præscimus. Quod autem Cyaneas Asiaticas concurrisse contra Europæas Cyaneas, quas modo clausas, modo apertas uideri tradiderint, ex eoque Synormadas, et Symplegadas, et Planctas appellauerint, non mendacium commenti sunt. Sed physicam ueritatem expresserunt ex antiquis duabus Cyaneis, hoc est ex duobus litoribus Bosporum cingentibus, quæ utraque antiquissimis temporibus Symplegades et Planctæ, appellatae sunt, id est, ut Valerius ait, *errantes per altum*. Cyaneæ illæ redeunt, illæ æquore certant, ex eo, ut ait Eratosthenes [...], quod *angustum [...] fretum et flexuosum [...]*, multis anfractibus circumsæptum nauigantibus uidetur tum concurrere et congregari, occultari, *claudi*, tum rursus digredi aperiri. Proximo enim accessu aperiuntur, mox digressu rursum delitescunt Cyaneæ.

Dionysius Byzantius ut Cyaneas constitutæ insulas esse, tamen omnes Bospori anfractus ait Symplegadas dici posse. *Neque uero*, inquit, *Bosporus directus, sed continuus<sup>106</sup> et parallelis* [...] promunturiis *fractus* [...]. Præuertunt enim, et tamquam *se inuicem supplantant, et propemodum {se} decipiunt promunturia prohibentia nauigantes ulterius progredi*. Vnde, ut ipse ait, *mihi uidentur [...] Symplegades nominasse petras, quoniam ad nauigantibus [...] modo aperiri, modo claudi uidentur, fallente aspectu opinionem*. *Id enim quod uidetur finis, [...] statim principium esse* appetet. Quamobrem magis proprie Bospori anfractibus conuenit nomen Symplegadum et Planctarum, quam Cyaneis insulis quæ traduntur *inter se concurrisse* [...], quia, [175] ut Plinius ait, *paruo inter se discretæ interuallo [...], intrantibus geminæ cernerentur paululumque deflexa acie coeuntium speciem præberent*, id quod non satis probabunt nauigantes ex Ponto in Bosporum. Nam Cyaneæ insulæ adeo sunt uicinæ continent, ut particulæ continentis esse uideantur neque, nisi proxime accesseris, eas a continent distinxeris. At utrumque latus Bospori intrare uolentibus in Bosporum, modo clausum, modo apertum Bospori canalem ostendit. Non modo procul ex agitatione nauis

105 illisa : illa *edd.*

106 continuus : continuus *edd.*

modo directa uia ad os nauigantis, modo obliqua, sed etiam proxime atque adeo intra Bosporum nauigantibus crebro claudi et aperiri Bosporus uidetur ex crebris promunturiorum flexibus. Recte igitur Frontinus Cyaneas uocat Bosporum. *Philippus*, inquit, *cum angustias maris, quae Cyaneæ appellantur, transnauigare propter Atheniensium classem, quae opportunitatem loci custodiebat, non posset, scripsit Antipatro Thraciam rebellare, præsidiis quæ ibi reliquerat interfectis, ut sequeretur omnibus omissis. Quæ epistolæ ut interciperentur ab hoste curauit. Athenienses, arcana Macedonum exceperisse uisi, classem abduxerunt. Philippus nullo prohibente angustias freti liberauit.* Sic Cyaneas intellegere uidetur fœdus illud illustre, quod Athenienses post pugnas nauales percutserunt cum Rege Persarum, quæ sic abiecerunt Regis animam ὥστε συνθέσθαι τὴν περιβόητον εἰρήνην ἐκείνην, ιππον μὲν δρόμου ἀεὶ τῆς Ἑλληνικῆς ἀπέχειν θαλάσσης, ἔνδον δὲ Κυανέων καὶ Χελιδονιῶν μακρὰ νῆι καὶ χαλχεμβόλῳ μὴ πλέειν. Iam etsi ex his, quæ ante dixi de aulis Amyci et Phinei, liqueat Orpheum duas petras Cyaneas non intellegere [176] totum Bosporum aut multiplices anfractus parallelos Bospori, tamen ex eoclare elicere non possumus, an dumtaxat intellegat Cyaneas insulas, an etiam utrumque litus circumuinicum Cyaneis. At ex Apollonio, non solum eius aemulo sed etiam enarratore, adsequimur petras Cyaneas aut esse quas insulas diximus, aut rupes et cautes utriusque litoris a Myrleano sinu usque ad Cyaneas. Sic enim Apollonius ait, ubi Argonautæ Duodecim diis aram posuissent in eo promunturio, quod etiamnum Ieròv Græci appellant.

[...] γαίης δ' ἀπὸ δίπλοα πείσματ' ἔλυσαν.

[...]

οἵ δ' ὅτε δὴ σκολίοιο πόρου στεινωπὸν ἵκοντο  
τρηχείαις σπιλάδεσσιν ἐεργμένον ἀμφοτέρωθεν,  
δινήεις δ' ὑπένερθεν ἀνακλύζεσκεν ιοῦσαν  
νῆια ρόοις, πολλὸν δὲ φόβῳ προτέρωσε νέοντο,  
ἥδη δέ σφισι δοῦπος ἀραστομένων πετράων  
νωλεμὲς οὐατ' ἔβαλλε, βών δ' ἀλιμυρέες ἀκταί

[...]

Κυανέαι ἀμυδὶς πάλιν ἀντίαι αλλήλησιν,  
ἄμφω ὅμοι ἔνιοισαι ἐπέκτυπον. Ὦρτο δὲ πολλὴ  
ἄλμη ἀναβρασθεῖσα, νέφος ὡς· αὖ δὲ πόντος  
σμερδαλέον· πάντῃ δὲ περὶ μέγας ἔβρεμεν αἰθήρ.  
κοῖλαι δὲ σπήλυγγες ὑπὸ σπιλάδας τρηχείας  
κλυζούσης ἀλὸς ἔνδον ἔβόμβεον.

E quibus percipimus Argonautas soluentes ex fano Iouis aliquamdiu nauigasse per Bospori flexuosi angustias utrumque asperis cautibus cinctas, iamque sonitum petrarum conflictantium Argonautarum aures uexasse, marina litora muguisse, Cyaneas inter se concurrentes fremuisse, cauas speluncas sub cautibus mari intus fluctuante resonasse. Quæ omnia conueniunt non modo [177] insulis, sed etiam cautibus et rupibus utriusque litoris excurrentis a Cyaneis ad Myrleanum sinum et Coracium promunturium. Ibi enim utrumque excelsæ rupes fluctuum impetu alte resonant et concurrisse inter se uidentur, ex ingentibus saxis circum utrumque litus sparsim in mari iacentibus.

Iam uero ex antedictis perspicuum est Tzetzem, nobilem grammaticum qui gloriatur se omnibus geographis atque historicis longe melius scire Bosporum Thracium, nescire Cyaneas, non modo quas tradunt geographi historicique, sed ne illas quidem quas poetæ, quorum interpretem se profitetur, commemorant. Sic enim enarrat illos Lycophronis uersus :

πόντος Ἑλλῆς καὶ πέτραι Συμπληγάδες,  
καὶ Σαλμυδεσσὸς καὶ κακόξεινος κλύδων  
Σκύθαισι γείτων.

*Quas Homerus appellat Planctas [...], Lycophron Symplegadas petras, Eratosthenes Synormadas [...], quas dicit apud Pontum Euxinum esse, siue circum angustias. Apollonius et*

[...] *Lycophron ipsas quidem dicunt esse Symplegadas. Verum Lycophron [...] uidetur has ponere inter [...] Chalcedonem et Byzantium, ut uideantur esse id quod ab idiotis [...] dicitur Rheuma. Apollonius uero [...] uidetur apud Pontum Euxinum, siue apud angustiarum locum nuncupatum Clauem [...] ipsas statuere eas [...], similiter ut Lycophron scribens [...] Symplegadas ἀξείνοντος [...], quarum una est in Europa apud Byzantium, altera in Asia apud Chalcedonem [...]. Salmydessus uero est mare inter Byzantium et Damalim [...]. Post angustias [...] Bospori et fanum Iouis, est Scythia.* Hæc quidem Tzetzes. At uersus Lycophronis, cum nihil dissideant ab Orpheo et ce-[178] teris scriptoribus, peruerse conuertere conatur in sensum ab omnibus auctoribus alienissimum. Non enim his uersibus Lycophron dicit Symplegadas esse inter Chalcedonem et Byzantium, ut ipse testatur, neque Apollonius ponit ad Euxinum Pontum, ut Tzetzes ait, neque apud Clauem Ponti. Siue eam intellegit quam hodie appellant Κλειδίον, locum uicinum Byzantio, nuncupatum Senem marinum, siue illas Claves quas Dionysius appellat modo Κλεῖθρα, modo Κλείδας, quas ante demontrauimus esse circiter medium Bosporum, prope sinum appellatum Pharmaciam. Sed Apollonius ipse Symplegadas ponit apud partem Bospori quam modo explicuimus, sic inquiens : δύω ἀλὸς ἐν ξυνοχῆσι Κυάνεαι πέτραι, hoc est in primis faucibus Ponti duæ Cyaneæ. Neque ex Lycophrone colligi potest Salmydессum esse inter Byzantium et Damalim, sed ad Pontum eo in loco quo omnes geographi tradunt. Neque post fanum Iouis esse Scythiam Europæam ex Lycophrone coniectari potest, sed eo in loco quo ceteri tradunt. Non modo insulæ Cyaneæ in hunc diem, sed etiam omnes rupes claudentes Bosporum a Cyaneis usque ad Fanum, et litora circumuicina Cyaneis spectantur colore cyaneo, aliæ obscuriore, aliæ dilutiore.

Planctas Thracicas Homerus, uelut quadam machina mirabili petras in monstruosam longitudinem iaculante, ex freto Thracico iaculatus est in fretum Siculum fictione architectrice, et quas post Iasonis transitum Orpheus longe ante sempiternis radicibus defixerat in freto Thracio, *immobiles* in sede Thracica semper *mansuras*, explantauit, elocauit, transtulit in Siciliam, eas effin-[179] gens ad similitudinem Symplegadum, petrarum Cyanearum prius ab Orpheo effectarum, aliquid de suo addens. Sed ut Thracicas Cyaneas a Siculis internoscere queamus, subiungam Homericam Sicularum descriptionem.

ἐνθεν μὲν γὰρ πέτραι ἐπηρεφέες, προτὶ αὐτὰς  
 κῦμα μέγα ροχθεῖ κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης.

Πλαγκτὰς δὴ τοι τάς γε θεοὶ μάκαρες καλέουσι.

[...]

οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει  
 ὀξείη κορυφῇ· νεφέλῃ δέ μιν ἀμφιβέβηκε  
 κυανέη· τὸ μὲν οὖ ποτ’ ἔρωει· οὐδέ ποτ’ αἴθρη  
 κείνου ἔχει κορυφήν, οὔτ’ ἐν θέρει οὔτ’ ἐν ὄπωρῃ·  
 οὐδέ κεν ἀμβαίη βροτὸς ἀνὴρ, οὐδ’ ἐπιβαίη<sup>107</sup>,  
 οὐδ’ εἴ οἱ χειρές τε ἔεικοσι καὶ πόδες εἰεν·  
 πέτρη γάρ λίς ἔστι, περιξέστη εἰκυῖα.  
 μέσσῳ δ’ ἐν σκοπέλῳ ἔστι σπέος ἡροειδές,  
 πρὸς ζόφον εἰς Ἐρεβος τετραμμένον.

Deinde ut descriptsit Scyllam esse in hoc scopulo, adiungit.

τὸν δ’ ἔτερον σκόπελον χθαμαλώτερον ὄψει, Ὁδυσσεῦ·  
 πλησίον ἀλλιήλων. [...]  
 τῷ δ’ ὑπὸ δῖα Χάρυβδις ἀναρροιβδεῖ μέλαν ὕδωρ.

Hæc omnia non conueniunt Thracii Bospori Cyaneis, nam Homerus poetice alterum auget scopulorum illorum adtingere cælum acuto uertice adumbrato perenni nube, illumque ascendi non posse tradit. At Cyaneæ insulæ Thracicæ ascendi possunt, litora uero circumuicina, si

<sup>107</sup> ἐπιβαίη: καταβαίη *edd.*

Cyaneæ petræ sunt existimandæ, nullis pedibus nullisque manibus ascendi possunt. Nam quod dicit in illo scopolu Siculo speluncam esse ex parte oc-[180] cidentis, in quam abduntur Scyllæ pisces, Bospori Cyaneæ insulæ speluncas quidem habent, sed ex parte orientis et meridiei, in quas subeunt pisces, etiam delphini. At canes carchariæ, qui lamiæ et scyllæ nominantur, illuc non subeunt, propterea quod Pontus Euxinus feris piscibus frequentari non soleat, nisi delphinis et phocænis. Vidi tamen canem carchariam, omnium maximum quos umquam uiderim, captum apud muros Byzantii, sed is adeo rarus illic uidetur ut tamquam monstrum spectaretur a nulloque pescatore cognosceretur. Vestigia aræ Apollinis, quam Dionysius tradit Romanos statuisse supra Cyaneas, nulla iam exstant, nisi scrobiculi seu fossulæ excavatae in petræ secundæ uertice, ubi etiamnum exstat columna marmorea. Cuius basis, in qua inscriptio continens nomen C. Cæsar, incisa litteris Latinis exesa est temporis uetustate, exsistit marmoris candidissimi, alta circiter sex dodrantes et sex digitos, cuius perimeter complectitur nouem pedes et semissem medium. Basim cingit uitta laureata flexuosa, modo sursum uersus, modo deorsum. Ex medio flexus quadruplicis uertice appensum est caput bubulum. In medio aliorum quattuor flexuum incisi sunt circuli, in quorum uno est effigies quadrupedis, in altero Solis imago, in tertio radiorum decussis, in quarto uergente ad aquilonem nihil expressum est. Columnæ scapus non respondet magnitudini spiræ, nempe illius perimeter sex pedes circumplexitur. Summus scapus habet apophygem et astragalum partim exesum, capitulum tamen Corinthium integrum exsistit. Basim existimo reliquias aræ Apollinis, cum ex uittis laurea-[181] tis, tum ex candore marmoris. Aræ enim solitæ erant fieri ex marmore candido. Quæ non facta uidetur ad hanc columnam sustinendam, sed ex aræ euersæ reliquiis iterum hanc excitasse barbaros puto in honorem Cæsar, similiter ut Arrianus scribit Trapezuntios Hadriani statuam statuisse ex marmore aspero factam, inscriptionemque depravatae incidisse.

[168] Iam uero ab Vrbe Byzantio ad pharum et Cyaneas pedibus profectus sum secundum litus. Ita a pharo similiter pedibus Byzantium reuerti, quam proxime ad litus accedere potui, sed primum a pharo ad Myrilium non potui, quod litus præceps et [169] præruptum sit, perpetuis rupibus editum in altitudinem plus minusue quadraginta passuum. Supra hoc litus exsistit planities campestris, colliculis et ualliculis distincta, longe lateque patens, sensim adsurgens usque ad uerticem collis, in quo ante dixi fuisse antiquam pharum. Itaque a pharo ad Chrysorrhœam iter feci per supercilia collum, per desertas pastiones plenas ericis aliisque fruticibus, ubi nihil cultum appetet præter exiguae arationes, non tam iniuitate terræ quam inopia agricolarum. Si qua descensus patet ad litus, ut patet ad Myrilium et ad portum Ephesiorum, statim latæ rupes me impedierunt, ut ex altis litoris crepidinibus mihi sæpe ascendendum fuerit ad circumeundas rupes obuias, et per directos et præruptos cliuos repere quadrupedis more habui necesse. A Chrysorrhœa iuxta litus iter habere potui ad promunturium Milton, quod præceps et abruptum non perrium est, nisi in excelsis cliuis. Inde ad Bathycolpon iuxta Bosporum perrexi. A Bathycolpo ad Comarodes, exceptis uallibus, uia non patet in ora maritima, sed angustissima semita habetur in arduis cliuis, confragosis et abruptis. A Comarode ad Leosthenium iter confeci fere secundum litus. A Leosthenio ad portum Phidaliæ, excipio ualles, uia dumtaxat patet per altos cliuos. A Phidalia ad oppidum nuncupatum Sycas, siue Iustinianas, uia patet iuxta Bosporum. A Sycis Byzantium traiectus est breuior quattuor stadiis. A quo quidem traiectu appellato Syceno ad finem Bospori planities maritima, Constantinopoleos partem continens, accessum latum largitur, etiam quam proxime ad Bosporum.



## [181] LIBER TERTIVS

*De scopulo nuncupato Colone et de Rhebante flumine*

CAPVT I

HVC VSQVE de litore Bospori Europæo et de Cyaneis Europæis quas, priusquam nactus essem *Anaplam* Dionysii, præceperam ex Strabone tradente *Cyaneas* petras esse duas insululas in Ponti ostio sitas, alteram uicinam Europæ continenti, alteram Asiae. Europæas facile deprehenderam, ex eo quod solæ sint in longissimo tractu litoris Thracici. At Asiaticas cognitu longe difficiliores expertus eram, ob multitudinem scopulorum quos, cum ex uertice Cyanearum Europæarum intuerer, discernere a continenti non poteram, nisi duos Cyaneis Europæis oppositos ab ortu æquinoctiali, distantes circiter sexaginta stadia. Eos igitur propius ut explorarem, adnauigare adgressus, repentina maris tempestate ex medio cursu reiectus sum ad fanum Louis. Vnde pedibus per saltus desertos et male fidos accessi ad ipsos scopulos mihi ex uertice Cyanearum ante prospectos, quorum alterum situm ultra [182] Rhebam amnem circiter tria millaria Græci huius ætatis nominant Atroparion, alterum situm inter Rhebam et Bosporum appellant Crommyon. Is mihi potius Cyanea Asiatica uidebatur ex Orpheo et Apollonio tradentibus statim post Cyaneas Rhebam fluere in Pontum. Sed quod esset ultra promunturium quod fauces Bospori stringere incipit, mihi nonnullam dubitationem adferebat. Verum eam extenuabat Dionysius orbis conscriptor, cum ait :

‘Πήβας ὁς Πόντοι παρὰ στομάτεσσι ὄδεύει,  
quod παρὰ interpretarer apud, non autem prope, ut interpretandum esse postea cognoui. Quamobrem diligenter hunc scopulum sic considerare cœperam obrotundum esse et similem τῷ κρομμύῳ, cuius ex forma piscatores putant appellatum, eius complexum ambire circiter quattuor stadia, fastigium planum habere sensim in cliuos deuexum, eiusdemque latera undique saxeа, ab oriente quidem et septentrionibus præerupta et directa ut ascendi nequeant, at ex meridie et occasu mitiora et quæ ascensui pateant. Denique totus saxeus est, etsi iugum herbas habet, in quo uestigia uidentur antiquorum ædificiorum. Cum est magna maris tempestas, undique mari clauditur et a continenti separatur euripo centum sexaginta passum. Cum est tranquillitas, euripus exsiccatur et uelut ceruix fit, qua adnectitur continenti, tota sabulosa, lata octoginta passus, longa centum sexaginta. Inde ora maritima plana et sabulosa, apta panagris retibus, longa paulo amplius duobus milliaribus excurrit usque ad promunturium quo litus tendens ad occasum ferme æquinoctiale flectitur ad occasum brumalem.

Vbi hunc scopulum [183] ita explorassem, profectus sum ad Rhebam ut uiderem amnem nobilitatum a tot antiquis nobilibus scriptoribus. Is enim a Dionysio Alexandrino Rhebas nominatur, ab Orpho Rhebaeus. Ab Apollonio Rhodio nunc Rhebas, nunc Rhebaeus appellatur. Iam a Græcis etiam agrestibus uocatur Πήβας, quem Arrianus tradit *distare a fano Louis Vrii nonaginta stadia*. Nonne auersus a Musis essem, si instituto nostro operi tam uicinum fluuum præterirem quem, prætermisis maioribus fluminibus, tot illustres scriptores honorifice commemorarunt ? Dionysius quidem scribit eius aquam amabilem et pulcherrimam esse. Eiusdem nomen tribus uersibus continuis ter repetit, uelut esset amnis magno sermone dignus, cum sit paruu, cuius ostium parua dumtaxat nauigia in statione admittit. Non longe ab eius fonte Rex Othomanus hortos diligenter cultos habet. Ille enim oritur in Bithynia inter Pontum Euxinum et Propontidem. Itaque fit ut, nisi expertus essem in multis Eustathium nihil solere scribere de suo, sed ex alienis auctoribus, ualde mirarer unde acceperit Rhebam *manare [...] ab Olympo Mysio*, cum inter fontem Rhebae et Olympum duo Propontidis sinus intercedant, nimirum Astacenus et Cioticus. Neque eos sinus circuire uidi, nam ab intimo sinu Astaceno per planitiem utrimque montibus clausam profectus ad Sangarium, nullum inueni amnem ab Olympo ad Pontum penetrare, neque inter Cioticum sinum et lacum Ascanium, quem hodie Nicænum appellant, altissimis intercedentibus montibus, nullis uallibus a Ponto

ad Olympum penetrantibus, præter eam per quam delabitur Sangaris. Sed [184] quid longinqua repeto ? cum Rheba fons non multa milliaria distet a suo ostio.

Iam Rheba et scopulo Crommyo perlustratis, coniectabam Crommyon esse Cyaneam Asiaticam, cum nondum ullum alium ex Europa intuens scopulum Asiaticum deprehendisset mari circumdatum. Sed Apollonius, Argonauticæ profectionis uerus expicator, meam coniecturam infirmauit, introducens Phineum adloquentem Argonautas. Ita enim inquit Phineus :

πέτρας μὲν πάμπρωτον, ἀφορμηθέντες ἐμεῖο,  
Κυάνεας ὄψεσθε δύω ἀλὸς ἐν ξυνοχῇσι.

[...]  
αὐτίκα Βιθυνῶν ἐπὶ δεξιὰ γαίαν ἔχοντες  
πλώετε ρήγμινας πεφυλαγμένοι, εἰσόκεν αὔτε  
‘Ρῆβαν ὡκυρότην ποταμὸν, σκόπελόν τε Κολώνης

Idem, paulo infra narrans ut Hercules superauit Mygdones a Billæo flumine ad Rhebæum flumen, sic ait :

ἐστ’ ἐπὶ ‘Ρῆβαίου προχοὰς σκόπελόν τε Κολώνης.

Ex quibus perspexi Colonem esse scopulum quem corrupte uulgo appellant Crommyon, quasi Colonem, scopulum uere κολωνοειδῆ. Præterea *circum Lycum flumen est promunturium [...] nuncupatum* Κολώνη, sed a Rheba longissimum, cuius *meminit [...] Nymphis [...] in tractatu suo de Heraclia Pontica*.

Cum igitur ex Apollonio uiderem a Bosporo nauigantibus ad Rebam Colonem esse in aperto mari, post Cyaneas quas in angusto idem ostio ponit, concendi lebum paratus scrutari totum litus usque ad fanum Iouis. Sed iterum improuisa tempestates sœuire cœperunt, ut harpiæ immissæ uiderentur, nescio quo fato nolentes Cyaneas mihi aperiri, at adeo furiose ut aliquot remis amisis lembi qui ageba-[185] tur circiter uiginti iuuenibus, Regiis seruis redeuntibus ex Regio horto, quem ante dixi situm esse prope fontem Rhebae, crebra et lamentabili uoce Dei nomen exclamantibus, inundatus et omnia passus quæ ad Cyaneas Argonautæ passi traduntur, uehementioreque metu adfectus ut, qui carerem Typhi gubernatore, et Minerua directrice Argous, et Phineo uate — remiges enim peritiores erant plantandi olera quam dirigendi nauigium — ego, a nullo Phineo præmonitus, illuc accesseram comite Turco imperito non modo maris, sed etiam itineris redeundi eo unde ueneramus. Redire coactus sum ad Rebam, tumque præteriens scopulum Coloneum timide aspiciebam undique fluctibus tempestatis circumdari fluctusque usque ad uerticem Colonei scopuli exsilire. Itaque ad Rebam reuersi, in litore frigido pernoctauimus madidi, non sine metu non modo barbarorum uicinorum, sed etiam seruorum Regiorum, quos præmiis adduxeram ad mare concendendum, ne quid irati tentarent. Sed pecunias quot habebam dedi ut oxygalam, quæ illic in litore agresti sola inueniebatur, emerent, qua permulsi placatique iram continuerunt. Postridie mane cum nondum insanire desinerent tempestates, pedibus redii ad fanum Iouis, inde Byzantium. Post uero aliquot dies, cum mare tranquillum esset, rursus nauigaui ad Fanum. A quo usque ad Rebam totam oram maritimam perscrutatus, inter scopulum Coloneum et Fanum deprehendi scopolos mari circumdatos circiter quinque. Quorum proximum promunturio, quo litus stringens latum pelagus in angustum fretum Bosphori, tendens ad aquilo-[186] nem flectitur ad ortum fere æquinoctiale, iam priusquam incidisset in *Anaplu* Dionysii, iudicaueram esse Cyaneam Asiaticam, sed falso si recte scribit Dionysius hunc scopulum appellari Pyrgos Medæ. Hunc meum longum et laboriosum errorem, quo diu erraueram cum errantibus Cyaneis, profiteri uolui, ne quis seducatur scopolu Coloneo, mihi quidem molesto, sed fortasse futuro cuiquam iucundo ob Colonæ et Rebæ cognitionem. Quibus cognitis facilius Cyaneæ initiumque Bosphori cognoscetur, comite tamen Dionysio Byzantio, sine quo difficilis cuius est Bosphorus aperire quam Iasoni sine Phineo. Quare ad Dionysium redeo, quem reliqui apud Cyaneas Europæas.

*De promunturio Ancyrae et de ancora Iasonis*

## CAPVT II

A CYANEIS, inquit Dionysius, *ad orientem multus Pontus patet in terminum aspectu incomprehenso et non percepto oculis uastum. Visionis nescio maiorne uoluptas an admiratio. A meridie autem est promunturium claudens pulchrum Ponti ostium, et magnum pelagus et apertum adstringens in fretum angustum. Ex Cyaneis Europaeis traiicienti in Asiam primum quidem est promunturium nuncupatum Ancyraeum. Ab hoc enim aiunt lapideam ancoram accepisse nauigantes cum Iasone uatis admonitu, eidemque promunturio nomen dedisse Ancyraeum.* Quam illustris fuerit Iasonis nauigatio, tum permultis aliis nobilissimis orbis terrarum monumentis expressum adtestatumque habetur, tum ancoris ad [187] omnem posteritatem illustrissimis. Quæ, etsi lapideæ semipernam memoriam reliquerant, non modo iis locis ubi uetustæ relictæ sunt, sed etiam illis unde nouæ acceptæ fuerant, cuiusmodi hæc quæ promunturio Ancyrae nomen imposuit, ex eo quod hinc sumpta fuerit. Mihi quidem certe ueterem, quam ex Cyzico sumpserunt, in promunturio Ancyrae relictam fuisse nomenque loco peperisse uerisimilius uidetur quam nouam, quæ a poetis dumtaxat sumpta fuisse <dicitur> a Cyzico. Relicta uero Cyzici, exesa temporis uetustate celebratur ab Apollonio tradente ancoram lapideam, propter uetustatem mari corrosam, soluentes ex portu Cyziceno Argonautas reliquisse *in Artacio fonte atque alteram sumpsisse*, Milesiosque ex Attica in Cariam et Phrygiam coloniam deducentes ex fonte Artacio tollentes *consecrassæ* et dedicasse *templo [...] Cyziceno Iasoniæ Mineruæ*, de qua Plinius : *In oppido*, inquit, Cyzici est lapis fugitiuus appellatus. Argonautæ eum pro ancora usi reliquerant ibi. Hunc e Prytaneo, ita uocatur locus, sæpe profugum [...] fixere plumbo.

Hunc ipsum arbitror, aut huic similem illum quem tradit Dionysius fuisse Byzantii. *Paulo*, inquit, *supra [...] mucronem promunturii Bospori, in quo Byzantium situm est, ara Mineruæ Ecbasiæ [...] exsistit in loco ad quem egressi coloniæ deductores confestim pugnarunt tamquam pro patrio solo.* Idem Dionysius addit prope templum Mineruæ Ecbasiæ lapidem *in mare eminentem, quem Byzantinis in locum ornatiorem supra stadium [...] transferre conantibus non permisisse se transferri [...] siue quod amaret [...] locum mari uicinum, siue quia ostenderet parui momenti [...] esse pietati [188] diuitias.* Hic lapis ut fuit Byzantii prope aram Mineruæ Ecbasiæ, ita ille Cyzici prope templum Apollinis Ecbasii. Cum enim Argonautæ extra urbem appulsi essent, Cyzicenorum inuitatu nauem appulerunt in portum urbis interiorem, ubi Argonautæ Apollini Ecbasio aram erexerunt a nauis egressu in Dolioniam. Id templum Deilochus appellat non Ecbasii, sed Iasonii Apollinis.

Iam uero ancoram quam tradit <Dionysius> Argonautas accepisse a promunturio Bospori Ancyrae, existimo eam esse quam Argonautæ reliquerant ad Phasim, de quo Arrianus. *Phasim, inquit, ingredientibus in sinistra parte [...] demonstratur ancora Argous nauis, ferrea quæ non mihi uidetur antiqua, etsi eius magnitudo non est eadem quæ nunc est ancorarum, et figura aliquo modo immutata est. Tamen recentior esse [...] uidetur ætate Argonautarum. At lapideæ alterius ancoræ fragmenta antiqua [...] monstrantur, quæ potius [...] coniicio reliquias esse illius ancoræ Argonauticæ.* Hæc quidem Arrianus. Vnde tamen colligam reliquias ancoræ Phasianæ esse illius quam sumpserunt a promunturio Ancyrae Bospori, profecto non aliunde quam a nobilitate scriptorum. Qui si inter promunturium Ancyraeum et Phasim commemorasset Iasonem ancoram uel accepisse, uel reliquisse, non defuisset posteris locus celebratus nomine ancoræ Iasoniæ, ut non defuit querui Marianæ, poetæ ingenio satæ, quam, ut Cicero ait, *cum [...] tempestas uetustasue consumpserit, tamen erit his in locis quercus quam Marianam [...] uocabunt.* Ancoras Iasonis quamvis uetustas consumpsit, tamen litterarum monumentis et locorum permanent. Iam sinum, quem [189] claudit promunturium Ancyraeum, uulgus Græcorum appellat Αγίου Σιδήρου, ex eo fortasse

quod ibi aliquando fuit ædes Diui Sideri, quem nautæ uenerantur ut sacram ancoram, quam idem uulgas appellat σίδηρον.

Antiquissimis heroicarum ætatum temporibus usos ancoris lapideis fuisse incredibile uideri non debet, cum nostra ætate multæ nationes non modo in ultimis terris nuper cognitis sitæ, sed etiam in recessu intimo Arsinoitico sinus Arabici, non modo ancoris lapideis Arabes Æthiopesque, sed etiam nauibus omnis ferri expertibus nauigent. Quas, cum essem in portu quem Arabes nunc uocant Tor, Græci uero Rhaïthon, coloniam Rhathynorum<sup>108</sup> populorum Felicis Arabiæ distantem a monte Sinæo iter circiter duum dierum, perspexi onustas diuitiis Arabicis, nullis clavis ferreis compactas, sed tabularum coniunctissimis commissuris, colligatas funiculis resinaque imbutas odorata, quam ex arbore thurifera manare aiebant, totamque nauem ex uno genere arboris factam esse, ex qua nascitur nux Indica, nimirum omnia membra nauis atque adeo armamenta, ut funes, ut uela quæ ex illius foliis scite contexta dicebantur. Hæ naues ualde capaces nullis transtris tectisque impeditæ sunt, quibus prorsus carebant, ut carent carbæ nuncupatae quibus Africani utuntur, qui accolunt Syrtes circumdantes Lotophagiam insulam, nunc uulgo nominatam Gerbem, ær umnosæ peregrinationis meæ diuturnæ clausulam tragicam, ubi grauiora passus sum quam socii Vlixis apud Lotophagos. Illi enim uoluptatibus Lotophagorum deleniti retinebantur. Ego in lugubri scrobe funestorum piratarum diu retentus, nulla [190] spe redemptionis proposita, neque uitæ liberari potui periculo, nisi dissidio barbarorum, quo insula capta, et pirata, qui me ceperat, in uincula coniecto. Dei Optimi Maximi benignitate hæc nostra *De Bosporo* commentaria resarcio, quæ piratæ a me ante longe accuratius elaborata me uerberibus coegerunt, ut distraherem in mareque proiicerem, quamlibet diu prece et præmio proposito eos reuocare conarer, ne me in mea uiscera sœuire cogerent.

Quale autem sit promunturium Ancyraeum, et quo nomine appelletur, iam explicemus. Panio promunturio Europæo contrarium Asiaticum promunturium Græci nostræ ætatis appellant Ψωμίον. Totum saxeum ab imo ad summum exsistit, arduum et directum ut murus, exceptis duobus locis depressis, in quorum altero est fons sacer Virgini Panagiæ. Ad hoc quidem promunturium a Bosporo uenientes, postquam accesserunt, repente uident se exire ex angustiis in mare apertum, in omnes partes interminati aspectus. Venientes uero a Rheba flumine, huius promunturii mucronem prætereuntes, uident latum mare redigi in angustum recessum, ab occasu quidem Panio, ab oriente uero Ψωμίφ. Hæc enim duo promunturia primas Bosphori fauces inchoant, similes sinui accedenti ad formam trianguli crassi et inæqualis. Cuius ex lateribus longis circiter uiginti stadia, alterum directius efficit litus Asiaticum pergens a uertice anguli occiduo ad basim aquilonarem. Latus uero, quod efficit litus Europæum, obliquius pergit a meridie ad cardinem septentrionum, ex intimo sinu efficiente uerticem trianguli. Os Ponti stringitur uelut in collum latum plus minus sex stadia, [191] in quo est Myrilium uelut in trianguli uertice. Basim uero efficients duo anguli, seu potius duo cornua, existunt promunturia Panion et Psomion. Hoc ipso litus procurrens ad aquilonem flectitur ad solis ortum fere æquinoctiale, illo a meridie ad mundi cardinem arcticum procedens incuruatur ad solis occasum. Iam cum ex antedictis, tum ex eo quod inter scopulum nuncupatum Colonem et primas freti Bosphori fauces nullum intercedit promunturium, sed dumtaxat litus rectum, planum, sabulosum, patet Ψωμίον esse Ancyraeum promunturium, quod ab oriente, ut ipse notaui, ut uero Dionysius ait, *a meridie [...], claudit pulchrum os Ponti et ex magno pelago et aperto cogit mare in fretum angustum*. Inde Dionysius addit.

### *De Pyrgo Medeæ et de insulis Cyaneis Asiae*

---

108 Rhathynorum : Rhaïthon *edd.*

CAPVT III

*POST, inquit Dionysius, promunturium Ancyraeum est Pyrgos Medeæ Colchidis, petra rotunda, in directum tumulum elata.*

*Vltra Pyrgon Medeæ insula exsistit, quæ maris perturbati fluctibus obruitur. Tranquillo mari manifesta apparet. Huius extremas partes et cacumina Cyaneas nominarunt, ne secundum Asiam natura expers esset insularum, nec fabula fides<sup>109</sup> careret, tradente Cyaneas olim inter se concurrisse, Symplegadesque a re, quæ accidisset, nominatas esse, inde stationem firmam habere apud utramque continentem ad uadum maris suis radicibus adnitentes fato, in utramque partem separationis seruantes fidem. Hæc quidem Dionysius.*

Promunturio An-[192] cyræo cingitur ab aquilone sinus a Graeci nuncupati Diui Sideri, in quem medium influit riuus omni anni tempore perennis. Qui exile ostium etsi ea magnitudine fluens habet, qua dixi Myrleanum fluere, tamen interius paulo supra ostium habet alueum magnum et plenum ob planitiem leniter resupinam, per quam medianam delabitur. In huius sinus latere quod efficit promunturium Ancyraeum, est scopulus in quattuor petras diuisus supra aquam, quæ subter aquam radices coniunctas habent, separatæ quidem a continenti breui euripo, saxis crebris referto. Per quæ uelut per gradus, cum est mare tranquillum, siccis pedibus euripum intercidentem inter scopulum et continentem transitus patet. Cum autem sunt maris tempestates, fluctibus circumdantur quattuor petræ in quas dixi scopulum diuisum, quarum tres humiles prorsus submerguntur. Media uero excelsior Cyaneis Europæis, in acutum uerticem fastigata, subrotunda, usque ad fastigium fluctibus quidem aspergitur, sed non obruitur, undique præceps et directa. Ab ortu et meridie eius fastigium sensim proiicitur, ut consistentes iuxta imam ipsius crepidinem proiectione uelut tecto protegantur a pluia. Non patet in eiusdem undique præcisæ fastigium ascensus, nisi difficulter a septentrione expeditus manibus pedibusque nitens sursum irrepatur. Non fuisse aliquando diuisum hunc scopulum in quattuor petras indicant ruinæ saxorum circumiacentium, ex quibus mihi, priusquam incidisem in Dionysii *Anapolum*, hæ uidebantur Cyaneæ Asiaticæ. Sed ex Dionysiana descriptione nulla petra tam prope accedit ad Pyrgon Medeæ quam [193] huius scopuli petra. In sinus iam prædicti latere meridiano prope litus uisuntur speluncæ saxeæ, bene penitus concavæ, multitudinis capaces.

Deinceps subsequitur sinus iam a Graecis appellatus Ampelodes, a uitibus agrestibus ibi sua sponte prouenientibus. Quem ab aquilone cingit promunturium cingens a meridie sinum Diui Sideri. In sinu Ampelode exsistunt duo scopuli toti saxe, inter se aliquanto spatio diuisi. Quorum magis aquilonaris ac remotior a continenti excelsus non est, ut qui in magnis tempestatibus obruatur mari. Hic usque adeo frequentatur laris, mergis, fulicis, ut totus ex illarum stercoribus albescat, et procul cernens ut niue tectum ipsum putet. Alter scopulus similiter totus saxeus, altior quidem, sed litori propinquior, ut qui breui euripo a continenti diuidatur, cum est tranquillitas maris. At cum tempestatibus mare concitatur, fluctuum accessu obruitur, deinde uero recessu aperitur. Post promunturium a meridie cingens sinum Ampelodem, consequitur scopulus undique mari semper circumdatus, saxeus, quem nautæ appellant Calogreæam a forma mulieris monachæ. Concauus exsistit ex parte occidentis. Inde non longe sequuntur scopuli saxe, siti prope latus aquilonare promunturii cludentis sinum, appellatum Dios Acra<sup>110</sup>.

Ex his quinque scopolis ante commemoratis, sine ulla dubitatione unus est insulula illa Cyanea Asiatica quam Strabo designat, cum inquit, *duas insululas esse in ore Ponti Euxini, Cyaneas appellatas, alteram adhærentem Europæ, alteram Asiae, euripo [...] uiginti stadiorum*

<sup>109</sup> fides : fide *edd.*

<sup>110</sup> Dios Acra : Dios sacra *edd.*

inter se *disiunctas*. Dionysius Byzantius, ut ante dixi, primum scopulum demonstrat [194] esse turrem Medeæ. Itaque ex Dionysio unam ex reliquis quattuor scopolis oportet Cyaneam esse Asiaticam. Evidem ipse, nisi Dionysii auctoritas intercederet, etiam nunc relaberet in eumdem errorem, in quo me fuisse ante professus sum, nempe Pyrgon Medeæ esse Cyaneas Asiaticas, cum ex eo quod scopolus Medeæ similius longe est insulis Cyaneis Europæis et e regione magis contrarius, tum maxime ex eo quod Apollonius, non minus uerus locorum conscriptor quam egregius Argonautarum poeta, Pontum latum uideri ait utrumque apud Cyaneas. Sic enim Græce scribit :

ηδη δ' ἔνθα καὶ ἔνθα διὰ πλατὺς εἴδετο Πόντος.

Similiter Dionysius orbis conscriptor a Cyaneis inquit :

[...] οἰγόμενος παραπέπταται [...] Πόντος  
 πολλὸς ἐών, καὶ πολλὸν ἐπ' ὄντολίης μύχον ἔρπων.

Idem consentit Dionysius Byzantius, latum mare cum dicit aperiri promunturio Ancyrae. Ante monstraui turrim Medeæ esse iuxta radicem promunturii Ancyrae. At ex reliquis scopolis qui deinceps consequuntur, non utrumque latum mare aperitur, etiamsi ex horum uerticibus oculos in omnes partes intenderis. Litus enim Asiaticum, nondum curuatum ad solis ortum, impeditur promunturio Ancyrae, quo minus ab his scopolis latum utrumque mare prospiciatur. Adde quod ratio Cyanearum, quam describit Apollonius ceterique scriptores, magis conuenit Pyrgo Medeæ quam reliquis scopolis. Fluctibus enim magis uerberatur, ut magis septentrionibus patens. Præterea in quattuor petras diuisus undique circumdatur saxis projectis ex rui-[195] nis, quas aliquando edidisse uidetur uel terræ motu, uel temporis uetustate, uel, ut poetæ aiunt, ex concursu Symplegadum. Hunc enim in quattuor petras diuisum conuenientius uidetur appellare Cyaneas, ut omnes antiqui appellant in numero plurium, quam quemuis ex ceteris scopolis, singulis una petra constantibus. Sed de his relinquo liberum iudicium omnibus his, qui post me diligentius Cyaneas peruestigare conabuntur.

*De promunturio Coracio, et de Pantichio, et de scalis nuncupatis Chelis*  
 CAPVT IV

PROMUNTURIVM, quod a septentrionibus cingit sinum uulgo nuncupatum Dios Acra<sup>111</sup> (ex eo arbitror, quod olim ibi aliqua Iouis uel Neptuni, alterius Iouis, ara exstiterit), undique præcepis et saxeum est, longum circiter sexcentos passus, cuius dorsum angustum. In quo olim ara aliqua statuta esse potuit uel Iouis, uel Mercurii, ut nunc in eo uidemus cumulos lapidum quos hermas appellare possis, exaggerata ad indicandam uiam nautis, quamuis in hoc medio sinu, ex quo paucis ante annis effossa sunt ædificiorum fundamenta, esse potuit ædes uel Iouis uel Neptuni. Hic sinus situs e regione sinus Myrleani cingitur a meridie promunturio etiam nunc appellato Coracio, toto saxeo, ex eo, ut dicunt Græci huius ætatis, quod corui in ipso nidificare solent. Positum est contra promunturium Europæ quod claudit portum Ephesiorum. Inter hæc duo promunturia nonnulli pescatores dicunt fretum Bospori tam angustum fere esse quam inter Fana.

Iam uero in sinu, quem ab [196] aquilone claudit promunturium Coracium, locus est nominatus a Græcis Mancipium, adfirmantibus ibi olim fuisse furnum, quem uulgs Græcorum nominare solet mancipium, μαγκίπειον, ignorantium locum hunc olim appellatum fuisse Pantichium, unde ipsi a uicinitate nominis detorserunt in Mancipium, id quod ex Dionysio ostenditur, cum ait : *Post Cyaneas est promunturium Coracium et latum litus, cui nomen Παντείχιον ab exstructione fossarum omnem hunc locum ambientium. Duo Pantichia*

---

<sup>111</sup> Dios Acra : Dios sacra *edd.*

scriptorum monumentis celebrantur sita in ora maritima Chalcedonis, utraque Byzantii suburbana, utraque pari spatio distantia Byzantio. Quorum alterum paulo ante commemoratum est iuxta Bosporum, situm inter Coracium promunturium et fanum Iouis, alterum inter promunturium nuncupatum Acritas a Menippo in *Periplo Bithyniae*, et Chalcedonem, positum iuxta Propontidem, quod nunc frequentem uicum habet, etiam nunc a uulgo Græcorum Pantichion nominatum, in quo antiqui muri uisuntur ualde crassi, indicantes olim ibi castrum permunitum recteque Παντίχιον appellatum fuisse. Huius meminit Antoninus Pius in suo *Itinere*. Sic enim inquit : A *Constantinopoli* [...] ad Chalcedonem *traiectus in Bithyniam M. P. IV.*, a Chalcedonia usque ad *Pantichion M. P. XV.* Vtrum ex his duobus Pantichiis sit illud de quo Sozomenus ita scribit ? Hi, qui a rege *Valente iussi* erant Ioannis Baptistæ caput ferre ex Cilicia *Constantinopolim* [...], cum ad *Pantichium uenissent*, *locum* [...] *Chalcedonis*, non ulterius progredi poterant. Ex quibus percipitur id Pantichium esse iuxta Propontidem, quod sit hoc situm in uia eorum, [197] qui a Cilicia uenient Constantinopolim. Procopius scribit Belisarium possedisse fundum in Pantichio suburbano Byzantiorum. Id an alterum ex utroque prædictorum et, si alterum, utrum ex his ? Adferam illa quæ ex libro tertio Procopii *De bello Gothorum* uertere omisit interpres, cum ad cognitionem locorum, tum maxime ad cognoscendam necessaria fortunam Belisarii, quam Tzetzes ignorasse uidetur secutus opinionem uulgi. Sic enim scribit Procopius. Cum Belisarius a Iustiniano reuocatus esset, substituto Narsete eunicho, rediit *Byzantium* [...] *ubi reliquum uitæ egit, magna diuitiarum facultate præditus, uir spectatus et mirabilis ob secundas antea res gestas et felicitates quas ipsi, priusquam in Libyam duxisset exercitum, signo non obscuræ daemonium præsignificauerat. Signum fuit huiusmodi. Belisario prædium quoddam erat in Byzantiorum suburbano quod Pantichium nominatur. Situm enim est in [...] continenti Byzantinis transmarina. Paulo antequam [...] exercitum Belisarius in Libyam duceret contra Gelimerem, euenit ut uites illic [...] ubertate uuarum redundarent. Earumque uino [...] dolia ministri Belisarii cum impleuissent [...] eaque in cella uinaria reposuissent, et [...] defodissent subter terram [...] diligenterque argilla obstruxissent [...], res mira accidit. Post enim octo menses uinum in dolis quibusdam ebulliens argillam perrupit et distraxit qua dolia obstructa erant [...], et superfluens adeo multum effluxit et terram uicinam diluui obruit, ut [...] lacum magnum in [...] cellæ solo effecerit. Quem ministri Belisarii ut uiderunt ualde admirati, multas amphoras [...] ex uino effuso impleuerunt, iterumque cum illa dolia ob-[198] struxissent argilla, rem quæ acciderat primo siluerunt. Deinde sub idem tempus cum hoc sæpe factum animaduertissent, ad possessorem fundi retulerunt. Is necessariis multis, quos [...] accersiueraut, monstrauit ea quæ accidissent. Illi ex illo signo coniecturam ducentes prædixerunt magna in hanc domum bona uentura esse. Ex quibus perspicitur falsum esse, et plane de fæce plebis haustum, quod Tzetzes, nobilior grammaticus quam certior historicus, in suam retulit *Variam historiam*, cum narrat *Belisarium magnum exercituum ducem Iustiniani temporibus exstisse eumque, postquam [...] ex triplicis orbis parte uictorias [...] reportauisset, inuidia excæcatum fuisse [...], poculumque ligneum tenentem in foro clamauisse apud milliarium Aureum* : « *Belisario obolum date exercitus duci, quem fortuna illustrem fecit, inuidia excæcauit !* » Procopius quidem, in libro nuncupato Περὶ τῶν ὀνεκδότων quem scripsit contra Iustinianum regem et Theodoram reginam, contraque Antoninam uxorem Belisarii, narrat ut Belisarium Theodora spoliasset permuto auro, dissimulante Antonina quam Belisarius oderat ob peruulgatum adulterium, professum postea se fore Antoninæ non uirum, sed mancipium, iterum in Italiam exercitus ducem missum, sese iterum pecuniis expleuisse φιλοχρήματονque habitum fuisse, inde bene nummatum redidisse Byzantium ubi, ut ante narrauimus, reliquum uitæ uixit. Illud Belisarii prædium fuisse potius in Pantichio Propontico potius quam Bosporico coniicio, ex eo quod Proponticum in agro amœno ac uini feraci et ceterarum rerum, at Bosporicum est in litore confragoso prærupto, et longe minus [199] amœno, et uinetis inepto. Tum nonnihil coniecturæ illud adfert, quod non longe a*

Pantichio Propontico aliud prædium Belisarius haberet nuncupatum Rufinianas. Quod fuisse in itinere proficiscentum Byzantio Nicomediam colligo ex Procopio, cum ait Antoninam Belisarii uxorem proficiscentem ad Belisarium bella contra Persas gerentem soluisse *Byzantio mansionemque primam fecisse in suburbano [...] quod appellaretur Rufinianæ*, idque prædium fuisse *Belisarii*. Rufinianas aliquando appellatas Dryn tradit *Historia* incerti quidem auctoris, sed antiquis litteris exscripta.

Verum redeo ad Dionysii *Anapolum* unde digressus sum. *Pantichium*, inquit, *Chelæ subsequuntur, quarum alteræ nominatæ a figura, alteræ ab aliis rebus appellantur*. Inter Pantichium et fanum Louis, quod Dionysius post Chelas ponit, nullæ nunc sunt chelæ, hoc est scalæ, neque moles, neque uiæ frequentes, sed angustæ semitæ ob impendentem montem excelsum. Ex quo descendendi in litus nulla causa uidetur, cum illius radices oram maritimam adtingant. At Chelas olim fuisse patet ex Dionysio, quas non ob aliam causam ibi fuisse suspicari queo, quam ob fanum proximum uel Louis uel Neptuni, uel ob aliorum deorum aras quas prope olim a Phrixo excitatas fuisse Duodecim Diis infra ostendemus.

*De fano Louis et Neptuni, et de aris Duodecim Deorum*  
 CAPVT V

INDE subiungit Dionysii *Anapulus*, post Chelas esse nuncupatum Hieron, hoc est Fanum, a Phrixo Nephelæ et Athamanis filio ædifica-[200] tum, cum nauigaret ad Colchos, a Byzantiis quidem possessum, sed commune receptaculum omnium nauigantium. Supra templum est murus in orbem procedens. In hoc est arx munita quam Galatae populati sunt, ut alia pleraque Asiæ. Possessio autem Fani controuersa fuit, multis ipsam sibi vindicantibus ad tempus mari imperantibus, sed maxime omnium Chalcedonii hunc locum sibi hæreditarium adserere conabantur. Verumtamen possessio semper remansit Byzantiis, olim quidem ob principatum et domesticum robur (multis enim nauibus mare possidebant), rursus uero cum emissent a Callimedea Seleuci exercitus duce. Hæc quidem Dionysius de Fano. Polybius uero ait Prusiam locum natura munitissimum et supra ipsum Ponti ostium situm Fanum nominatum cepisse, quod Byzantii non multo ante ingenti pecunia mercati fuerant, opportunitate loci pellecti [...], ne quam commoditatem alicui relinquerent [...] in Pontum uel ex Ponto nauigandi, nisi id cum Byzantiorum uoluntate faceret. Verum Prusias postea Byzantiis [...] Fanum reddidit, itemque ligna [...], tegulas, laquearia, quæ ex Fano exportauerat, restituit. Pomponius Mela non a Phrixo conditum<sup>112</sup>, sed a Iasone, tradit. Apollonius scribit Argonautas cum Iasone nauigantes ad Colchos in litore Asiatico, quod etiam nunc appellant 'Iepóv, aram constituisse Duodecim Diis in eaue sacrificasse. Polybius similiter tradit Iasonem in hoc loco [...] litasse [...] Duodecim Diis, sed cum rediret a Colchis. Hi enim sunt Duodecim Dii : Jupiter, Iuno, Neptunus [...], Mercurius, Vulcanus, Apollo, Ceres<sup>113</sup>, Diana, Vesta, Mars, Venus et Minerua. Mercurius, Vulcanus, Apollo, Ceres<sup>114</sup>, Diodorus Siculus similiter dicit Argonautas re-[201] deuentes ex Colchis, cum ad ostium Ponti peruenissent, ad terram appulisse, cui tum imperaret [...] Byzas, a quo [...] Byzantium est appellatum, ibique aras excitasse, et precibus et uotis deos ueneratos locum consecrassæ, quem etiam nunc præternauigantes uenerantur. Timosthenes quidem dicit nauigantes cum Phrixo [...] aras hic posuisse Duodecim Diis, Argonautas uero aram constituisse Neptuno. Herodorus in ara [...] scribit sacrificasse Argonautas, in qua Argos Phrixi filius rediens ex Colchis prius sacrificauerat. Mihi quidem

112 conditum : conditam 1561.

113 Mercurius, Vulcanus, Apollo, Ceres : Ceres, Mercurius, Vulcanus, Apollo : *edd.*

114 Mercurius, Vulcanus, Apollo, Ceres : Ceres, Mercurius, Vulcanus, Apollo : *edd.*

uerisimilius uidetur a Phrixo prius aram Duodecim Diis excitatam fuisse quam a Iasone. Nam cum ex aula Phinei Iason soluisset, sita in Europa, Apollonius dicit eum transiisse *ad contrarium litus*, ut ibi *Duodecim Diis aras* excitaret. Cur in litore Asiatico potius quam Europæ? Non enim necesse erat ex Europa transire in Asiam, sed potius in litore Europæo, in quo erat, aram constitueret et sacrificaret Duodecim Diis, nisi admonitus fuisset in contrario litore Phrixum prius aram excitasse. In qua, ut ipsi quoque sacrificarent, Argonautæ fas esse putauerunt, cum in Colchos proficerentur ad recuperandam pellem auream arietis, quem una cum pelle aurea Phrixus apud Colchos dedicauerat Ioui Phrixio. Nec mihi satisfacit Timosthenes, dum ait Phrixum quidem excitasse aram Duodecim Diis, Argonautas uero Neptuno, cum Dionysius Byzantius dicat *Iasonem uatis iussu sacrificasse Duodecim Diis*. Vatis non nomen explicat, at explicant alii Glauco dei marini Orpheique admonitu, alii iussu Phinei. Qui, ubi sacrificasset et precatus esset Argonautis bonam nauigationem, non eos admonet ad co-[202] lendum Neptunum, sed Iouem, quem Argonautis narrat cum omnium uentorum auctorem, tum etesiarum, quibus flantibus Argonautæ retinebantur apud Phineum. Nauigantibus enim in Pontum etesiae uenti contrarii exsistunt, qui in Ponto sunt Boreæ, in Græcia Zephyri. *Etesiarum dies [...] sunt quadraginta [...]*, ut Apollonius ait, *ut Timosthenes [...] quinquaginta. Incipiunt flare, cum sol est in fine Cancri. Flant autem per totum Leonem et desinunt in [...] media Virgine.* Etesiis igitur interea dum Argonautæ retinerentur, Phineus his explicat ut Aristæus *Ioui Ἰκμαίῳ* cum ceterorum uentorum tum etesiarum *aram erexit [...] in Ceo<sup>115</sup>* insula, propterea quod etesiae a Ioue dantur ad refrigerandos calores. Vnde postea *Ceis<sup>116</sup> lege sancitum fuit quotannis cum armis obseruare exortum Caniculæ ipsique sacrificare, a quo uenti etesiae flare incipiunt ad refrigerandam [...] terræ siccitatem.* Hæc narrantem Phineum cum audiissent Argonautæ, eos tradit Apollonius transiisse *ad litus contrarium*, ubi *aram Duodecim Diis* constituerent eisque sacrificarent. Ex quibus Iason uidetur cum Neptuno tum maxime Ioui Vrio sacrificasse, ut placaret etesias uentosque secundos daret, unde posteri fanum Louis Vrui appellarunt, ut Arrianus, Menippus, Dionysius Byzantius.

Sed an idem fanum sit Louis, et Neptuni, et Dianæ (nam horum trium ponitur in Ponti introitu) ac, si diuersa, an in eodem promunturio constituta fuerint, adsequi possumus ex his qui scribunt in hoc loco Argonautas aram excitasse et litasse Duodecim Diis, inter quos Iupiter, et Neptunus, et Diana. Tum ex Ptolemæo coniicio, qui Louis Vrui cum non meminerit, [203] neque Neptuni, sed dumtaxat *promunturium Bithyniæ* esse dicat, *iuxta [...] Bosporum in quo fanum Dianæ* esse dicit. Arbitror aut in eodem templo fuisse Dianam et Iouem, subsecutisque bellis Iouem, ex introitu Ponti sublatum, nomen reliquisse Dianæ; aut, si in eodem loco duo ædes fuerunt Louis et Dianæ, tamen nauigantes magis celebrasse Iouem, ut secundorum uentorum datorem. Neptuni templum fuisse in eodem loco quo Louis designat Plinius, cum non meminerit fani Louis, sed solius Neptuni ponat in ora Bospori. At clarissimus Aristides in oratione *Isthmica*: *Omnes [...], inquit, illustrissimæ et celeberrimæ partes terræ Neptuno dedicatae sunt. In [...] Ponti enim introitu, ubi maris angustiæ strictissimæ ex sese aperiunt mare ingens, et petræ Cyaneæ hic<sup>117</sup> nominatae sunt, et portæ maris quæ prius clausæ existimabantur [...], aræ sunt Neptuni et templa.* Quod si quis ex his Aristidis uerbis dicat, aras et templum Neptuni fuisse ad Cyaneas, idque confirmare nitatur ex Apollonio et Dionysio orbis scriptore, tradentibus multum mare et latum aperiri ex Bospori Thracii ore, ubi fama est Cyaneas petras inter se concurrisse, ad quas a Græcis Planctas nuncupatas profectus

115 Ceo : Coo *edd.*

116 Ceis : Cois *edd.*

117 hic : hinc *edd.*

est Darius, ut Pontum apertum et latum uideret, ubi, ut ait Herodotus, in Fano *sedens [...] contemplatus est Pontum [...] mirabilem*; ac si præterea, quisquis ille fuerit, adiungat ex his sibi dubium uideri, an fanum Iouis et Neptuni fuerint apud Cyaneas insulas, illi respondeo ingentem Pontum aperiri non modo ex insulis Cyaneis, sed etiam ex fano Iouis, quod hodie Ἱερὸν Græci nominant, atque adeo a loco Bospori penitiore et longe interiore, a Cyaneis plus [204] quam quadraginta stadia distanti, quem Dionysius Byzantius appellat Clauem Ponti, ubi dicit Pontum *eminentibus promunturis clausum incipere aperiri, nullo promunturio amplius impediente uerum aspectum maris, Symplegadasque fuisse olim flexiones uariorum et multiplicium promunturiorum.* Itaque Aristidem non intellegere Cyaneas insulas, sed rupes ingentes ex utroque latere cingentes Bosporum, atque radices promunturii ubi spectatur arx nuncupata Fanum, cum ex antedictis colligere potes, tum ex eo quod ait aras et templum Neptuni esse, ubi maris angustiæ strictissimæ sunt. Longe enim strictiores sunt ad Fanum quam inter Cyaneas insulas inter se distantes uiginti stadia. At angustiæ apud Fanum latores non sunt quinque stadii, Dariusque ex fano Iouis Pontum longe lateque contemplari potuit.

Sed fac fuisse aliquod templum in Cyaneis insulis, in quo sedens Darius mirabilem contemplatus fuerit Pontum, tamen cuius dei illud fuerit non explicat Herodotus. Neque Cyaneæ mihi capaces templi uidentur, etsi Europæas Dionysius tradat habuisse aram Apollinis. Sed si templum aliquando in Cyaneis fuisse, quædam uestigia restarent uel excuatorum fundamentorum uel excisæ uiæ ad ascensum, ubi nulla apparent. Quid? quod etiam si illic fuisse Darii temporibus aliquod templum, tamen ex antedictis constat Iouis et Neptuni fuisse in loco nuncupato Fano, a Cyaneis distante quadraginta stadia. Tum maxime in eodem loco fuisse templum Neptuni, in quo statutæ fuerunt ædes et aræ Duodecim Diis, patet ex illis quæ scripsi in primo libro, tum ex his quæ scribit *Nymphis Heracleota in [205] sexto libro de patria sua: Cum, inquit, Pausanias uicisset ad Plateas Mardonium, ab Spartæ legibus desciscens et superbe sese efferens, cum circa Byzantium ageret, æreum craterem statuit Duodecim Diis in ore Ponti sitis [...], in quo ausus est inscribere [...] hanc inscriptionem, sui oblitus ob delicias et superbiam:*

μνᾶμ' ἀρετᾶς ἀνέθηκε Ποσειδάωνι ἄνακτι  
 Παυσανίας, ἄρχων Ἐλλάδος εὐρυχώρου,  
 Πόντου ἐπ' Εὐξείνου Λακεδαιμόνιος γένος, νιὸς  
 Κλευμβρότου, ἄρχαίας Ἡρακλέους γενεᾶς.

Herodotus meminit huius crateris. In Exampæo, inquit, loco sito inter Borysthenem et Hypanim *iacet aenum [...] sexies tantum capiens, quantum semel crater qui est in ore Ponti a Pausania Cleombroti filio dedicatus.* Quod si quis non inspexit [...], hunc ei *in modum declarabo.* Illud situm in Exampeo *sexcentarum est amphorarum facile capax [...], crassitudine [...] sex digitorum.* Cur Neptuno potius quam Ioui Pausanias dedicarit craterem, aut secutum fuisse arbitror Fani nomen, quod tum fortasse frequentius appellabatur Neptuni quam Iouis, aut quia in oppido Fano proprium esset Neptuno delubrum, in quo statuit hunc craterem Pausanias. Nam si eadem ædes fuit Iouis et Neptuni, haudquaquam video causam cur non potuerit potius quam Neptuno dedicare Ioui Eleutherio, quod terra potius quam mari uicisset Mardonium. Ioui enim Eleutherio craterem solebant antiqui statuere pro libertate, qui hostes repulissent. Sed in hac re puto secutum Pausaniam commune iudicium Græcorum qui Neptuno, ut σωτῆρι, aram erexissent, quod Neptunum existimarent Græciam liberasse a Persarum [206] seruitute.

Neptuni statuam similiter æream fuisse, non aliunde colligere possumus quam a conjectura illa. Verisimile enim uidetur, siue fuerit illa a Chalcedoniis statuta, siue a Byzantiis, utrisque colonis Megarensium et Corinthiorum, eos imitatos fuisse progenitores suos, qui in Isthmo curarunt ut Lysippus efficeret Neptunum aeneum. Qualis autem fuerit statua Iouis Vrii in ore Ponti constituti, neque Dionysius, neque quisquam explicat, nisi unus Cicero. *Tria, inquit, ferebantur in orbe terrarum signa Iouis [...] Vrii, uno in genere pulcherrime facta, unum illud*

*Macedonicum quod in Capitolio uidimus, alterum in Ponti ore et angustiis, tertium quod Syracusis ante Verrem prætorem fuit. Illud Flaminius ita ex æde sua<sup>118</sup> sustulit ut in Capitolio, hoc<sup>119</sup> est in terrestri domicilio Iouis, poneret. Quod autem est ad introitum Ponti, id, cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum inuecta sint, usque ad hanc diem integrum inuiolatumque seruatum est.*

Deinde Dionysius reliqua de Fano ita exequitur : *In Fano, inquit, statua ærea est antiquæ artis, ætatem puerilem præ se ferens, tendens manus. Causæ multæ adferuntur, cur hæc statua sit in hanc figuram conformata. Quidam, inquit, aiunt audaciae signum esse nauigantium, deterrens temeritatem nauigationis periculis plenam, atque ostendens redeuntium salutis felicitatem et pietatem. Non enim sine terrore utrumque est. Alii dicunt puerum in litore errantem aliquanto post uenisse, quam e portu nauis soluta esset, salutisque desperatione affectum, manus ad cælum tendere, pueri autem preces deum exaudientem reduxisse nauem in portu. Alii aiunt in ma-[207] gna maris tranquillitate, omni uento silente, naue diu retardata, nautas inopia potus laborasse, nauarcho autem uisionem insedisse iubentem, ut nauarchus filium suum sacrificaret, non enim alio modo posse adsequi commeatum et uentos, nauarcho necessitate coacto, et parato puerum sacrificare, manus quidem puerum tetendisse, deum uero misericordia motum ob absurdum pueri supplicium obque pueri ætatem sustulisse puerum, et uentum secundum immississe. Hæc quidem et his contraria, ut cuique placuerit, credibilia existimentur.*

Hanc historiam Philostratus aliter interpretari uidetur. *Mulierculæ, inquit, in [...] litore acclamat, equos autem rogare uidentur, ne pueros abiificant, neue frena respuant, sed feras capiant et conculcent [...], quarum precibus commoueri equi uidentur. Pueros autem, ubi uenati essent, et [...] prædam cepissent, nauis ex Europa in Asiam traiicit fretum [...] latum quattuor stadia (tantum enim interuallum distant duo orbes) et remigum ipsi funguntur officio [...]. Ecce autem rudentem iaciunt. Excipit ipsos domus amœnissima, thalamos et andronas fenestrarumque uestigia subostendens, muro circumdata pinnis et propugnaculis exornato, et quod domus est pulcherrimum, eius porticus semicirculata, coloris cerei speciem gerens a lapidibus in ipsa constitutis, circumstat mare. Hi lapides gignuntur ex fonte, aquam enim calidam montes Phrygiæ [...] emittunt, et fluxus inductus in latomias madidas efficit petrarum aliquas<sup>120</sup>, et coloris aquei<sup>121</sup> lapidum excrescentiam facit, ut ipsorum [...] uarii colores exstant. Vbi enim aqua stagnat, turbidum colorem et cereum inducit, ubi uero aqua pura, colo-[208] rem crystallinum [...] efficit, multisque epota [...] foraminibus lapides uariat.*

Sed litus excelsum est, et huiusmodi fabulae fert symbolum. *Puella ac puer ambo formosi, eumdemque frequentantes præceptorem, ad mutuum amorem exarserunt et, nulla amplectendi data facultate, ex hoc saxo mortem appetiuerunt, itaque hinc [...] in primis et postremis amplexibus se præcipites egerunt. Cupido supra petram consistens manum intendit ad mare [...].*

*Domus deinde, uidua colitur a muliercula, ob iuuenum molestiam ex urbe egressa. Rapturi enim ipsam [...] uidebantur, et petulantia quadam lasciuisque saltationibus ac carminibus [...] eam frequenter adibant muneribusque sollicitabant. At ipsa [...], astu quodam atque animi elatione in eos utens, uellicat adolescentulos et, huc [...] egressa, munitam hanc habitat domum. Contemplare enim quam munita sit. Præcipitum enim in mare eminet [...], quod ab*

<sup>118</sup> sua : *om. edd.*

<sup>119</sup> hoc : *id edd.*

<sup>120</sup> aliquas : alias 1561.

<sup>121</sup> et coloris aquei : *coloris aquei, et edd.*

ima parte mari adluitur *lubricum*. A superiori parte proiectum hanc maritimam [...] sustinet domum, sub qua [...] mare magis cœruleum uidetur demittentibus oculos in ipsum [...]. In hanc [...] domum fortem etsi mulier se contulit, tamen non eam reliquerunt amantes pulchri et coronati, sed hic quidem cœruleæ proræ, alter inauratae, alias alterius [...] coloris nauiculam ingressus nauigat, necnon *Comus* [...] ipse, id est ebrietatis deus. Et hic quidem tibia canit, alter uero plaudit [...], alias cantat [...]. Coronas, ut puto, atque oscula sursum iaciunt. Nec remos agitant, sed inhibent, et applicant nauigia ad præcipitum. Muliercula uero ex domo uelut ex specula uidet hæc, et ridet [...] lasciuientium more in amantes, eos non solum nauigare, sed etiam natare cogens.

Ac procedens in spectanda pictura, [209] incides in armenta, et mugientes boues audies, et fistularum uox te circumsonabit, et in uenatores incides, et agricolas, et fluuios, et lacus, et fontes, expressit enim pictura et ea quæ sunt, et quæ fiunt, et ut quædam fieri possent, non ob multitudinem [...] segniter exprimens ueritatem, sed perficiens singulorum propriam naturam [...]. Ad Fanum peruenimus. Templum etiam, quod illic est, puto, uides, et columnas, quæ circa ipsum sunt constitutæ, et in ore Ponti faces ex specula sublatæ ad ostendendum os Ponti nauibus.

Hanc Philostrati picturam adtuli, ex ea colligens, si uere Philostratus interpretatur, aliquando reuera repræsentatam fuisse ab his, qui angustias Bospori accolunt, uolentibus, aut re ipsa aut ficta æmulatione, apud suas angustias similem amorem puellæ et pueri accidisse ei, qui accedit apud Hellespontias angustias, ad Sestum et Abydum, quamquam puer ille tendens manus uideri possit ille quem ante descripts Dionysius Byzantius. Nam nullus auctor tradit puerum et puellam, ex eo quod ad mutuum amorem exarsissent, se ex Bospori angustiis præcipitasse. Philostratus enim huius picturæ symbolum interpretatur, positæ in domo quadam Neapolis Italicæ. Qui tum si uidisset præsentem Bosporum, cum eam interpretabatur Neapolii pueris, non adtulisset lapides illos domus cerei coloris esse, ex eo quod montes Phrygiæ similes ferant. Illi enim illinc longissime absunt quales, cum proficisceremur contra regem Persarum in Tauricen urbem Mediæ, uidi in Galatiæ, quæ Magna Phrygia antea dicebatur, urbe nuncupata Bolo, antiquitatum plena, a qua non longe sunt balnea natura calida, eiusmodi [210] lapides efficientia, quales describit Philostratus. At apud Bosporum non ex aqua tales fiunt, sed potius cyanei coloris. Nisi fortasse ita Philostratus interpretari potuisset picturam illam, totamque adtribuere sacerdotibus Magnæ Matris Deorum, quæ colebatur in fano Europæo, supra quod erat pharus antiqua, et iuuenes illos nauem traieceris ex Asia in Europam ad repræsentandos quosdam actus Matris Deorum amoribus insanientis in Atyn, coloremque cereum uideri in lapidibus ex illa ratione, qua Dionysius appellat Milton promunturium oppositum fano Iouis. Sed etiam hanc picturam Philostrati adtuli, ut ex ea colligas Fani situm, et Bospori angustias apud Fanum esse quattuor stadiorum, pharumque antiquam fuisse in conspectu Fani, contra quam sit recens pharus posita extra aspectum angustiarum Fani, et ut circa Fanum essent columnæ, utque sub Fano præcipitia eminerent in mare, ut in radicibus promunturii Fani exsisteret domus bene munita, ut Fanum esset oppidum.

Sed ut planius intellegatur Fani situs, describam ut nunc est.<sup>1</sup> Iepov etiamnum a Græcis appellatum, a Latinis Fanum, paruum castellum natura et muro munitum, a solis Turcis habitatum, situm est in alto supercilio promunturii, cuius proiectu Bosporus in maximas totius oris Pontici angustias coartatur. Proiicitur enim a solis ortu ad occasum, at Europæum promunturium, in quo ante dixi etiam nunc restare uestigia antiqui Fani Europæi, procurrens a septentrionibus ad meridiem, easdem angustias premit stringitque. Illud Asiaticum Ptolemæus appellat *Bithyniæ* [...] promunturium, quod triplici cliuo subsideat. Vnum ualde pro-[211] num ad meridiem claudit uallis nemorosa, diuisa in multis ualliculos, et sinus portuosus, quem efficit promunturii proiectio. Ab oriente habet clausam utrimque uallibus ceruicem angustam, qua molli et semiplana peruenitur in promunturii iugum planum. Secundus cliuus deprimitur

ad septentriones præceps et pene directus, cuius radices summas claudit uallis decurrens a summo promunturii iugo ad Bosporum. Imas uero cingit idem Bosporus, retinentes uestigia antiqui ædificii. Cuius fundamenta in litore iacta perspexi bene penitus effodi, et tympanis a Turcis efferi saxa quadrata ingentia. Ædificium Græci appellabant περιβολήν, alii περιβολίτην<sup>122</sup>, quasi hortum, ut ipsi putabant ibi olim fuisse. Ego altius ductum puto, quasi Ποσειδώνιον, hoc est templum Neptuni. Nam hortus qui esse potuit in litore confragoso rupibus præeruptis ? Adde quod iuxta mare templum Neptuni, quod iuxta has angustias Aristides tradit, situm fuisse conuenit, atque Iouis templum, non autem in arce, hoc est in summo promunturio, sed in imo. Cum ex antedictis Dionysii coniicio, tum ex Apollonio tradente Argonautas *in litore [...] aram Duodecim Diis excitasse*. At litus distat ab arce circiter quinque stadia, ueroque proximum esse uidetur, prope litus fuisse ob commoditatem nauigantium, atque extra arcem, ne pateret externis accessus ad capiendam insidiis arcem. Tertius promunturii cliuus uelut dorsum excurrit a summo iugo in occidentem, usque ad Bospori summas angustias. Primo quidem leniter se remittit ab arce usque ferme ad Bosporum spatio quidem circiter quattuor stadiorum, quod adhuc utrimque [212] mœnibus antiquis oppidi Fani cinctum spectatur, iam penitus deserti et uineis consiti. Deinde sub mœnibus antiquis ualde propendet usque ad Bosporum cliuus efficiens mucronem promunturii, altus circiter centum passus, latus plus minus trecentos, ubi in litore fundamenta uidentur ædificata, partim in scopulo distantì a continenti circiter triginta passus, respondentia moli substructæ in litore Europæo subiecto sub Fanum Europæum, inter quas quidem moles catena extendebatur, ne quis munitis Fanis Bospori angustias transiret. Sub imam uallem a cardine meridiano claudentem Fani Asiatici promunturium, subiectus est portus optimus et ualde profundus, quem a septentrionis et orientis uentis tutum efficit promunturium Fani, numquam fere nauibus carentem. Quo simili portu caret Fanum Europæum, itaque hominum opere molibus iactis factus erat, cuius reliquias nunc appellari Mauromolem antedictum est. Prope illum portum Asiaticum exsistit uallicula laurorum silua uirens, per quam fluit fons perennem riuum emittens, etiam æstate implere ualentem quinque digitorum fistulam.

*De Argyronio loco, et Nymphæo, et lecto Herculis, et de Moucaporide portu, et Lauro  
Insana et de portu Amyci*

CAPVT VI

A portu Fani ad Argyronium præcipites montes impendent in litus præeruptum et peditibus inuium. De Argyronio ita Dionysius, persequens suum institutum *Anaplu*, sub Fani, inquit, *promunturium subit et succedit Ar-[213] gyronicum nominatum, ex eo quod multa pecunia emptum fuisse*. Promunturium Argyronium usque in hunc diem nomen retinet, patet in latitudinem circiter nongentorum passuum. Claudit quidem a meridie sinum, quem uulgs appellat Monocolon, sed idem a septentrionibus clauditur ualle. Per quam riuuus perennis partim defluit in Bosporum, partim fontem efficit, quem iuxta spectantur fundamenta antiqui monasterii. In promunturii Argyronici cliuo maritimam oram prædictæ uallis cingente, præerupto et præcipiti, sed aliquatenus explanato ad excipiendam ædificationem, exstant parietes antiqui templi et columnæ humi prostratae. Quarum unam marmoris Thebæi uidi exportari in structuram ædis Maomethanæ quam nunc ædificat Rex Soleimanus. Quo uero nomine illud templum a Græcis appellaretur, a nemine Græcorum huius ætatis percipere potui, sed Procopius solus mihi indicauit. *In [...] Pontum*, inquit, [...] nauiganti ad dextram *promunturium quoddam abruptum in freti Bosporici litus eminet*. *In quo ædes martyris Pantaleemonis constituta [...] temporis uetustate laborabat [...], quam [...] demolitus*

<sup>122</sup> περιβολήν ... περιβολίτην : περιβόλι ... περιβολίτζι leg. ?.

*Iustinianus [...] extemplo persumptuose [...] reædificauit [...]. Ante hanc ædem in loco nominato Argyronio mendicorum [...] fuit domicilium, qui morbo insanabili adfecti essent. Quod temporis longinquitate dirutum [...] prompta ædificatione renouauit, requietis futurum deuersorium [...] insanitate laborantium.* Cur autem hic locus Argyronius magno argento emptus fuerit, exputare non possum aliam rationem quam angustiarum freti, quæ inter promunturium nuncupatum Tripite interque Argyronium a nonnul-[214] lis habentur ferme tam angustæ quam Fani angustiæ.

Ab æde Panteleemonis, supra litoris inuii cliuos præeruptos et præcipites, angusta semita passus circiter quadringentos progressus, incidi in ulle exiguam, sitam in media latitudine promunturii Argyronici, quæ fontem sacrum habet Diuæ Galatinæ, sinumque admittit Bospori non magnum. In quo piscatores testantur portum fuisse munitum mole, quam Turci paucis ante annis sunt demoliti. Argyronici promunturii mucro magis meridianus, quo Bosphorus procedens ad solis occasum flectitur ad orientem, rupibus perpetuis præeruptus, confragosam semitam et exiguam, uix penetrabilem admittens, atque inchoans magnum sinum, scelerato nomine appellatur Monocolos a lapide, ut ipsi dicunt, nuper exciso. Quid ? si fortasse detorserunt antiquum nomen, et sinus is magnus sit ille, qui a Dionysio appellatur Moucaporis ? sed de hoc paulo infra, cum persecutus fuero ordinem *Anapli* Dionysiani.

*Post, inquit Dionysius, succedunt et subeunt loca nuncupata Herculis κλίνη, hoc est lectus, et Nymphæum, inde nominata Insana Laurus, apud quam aiunt Amicum Bebrycum regem habitasse, pugillatus pugna omnibus suæ ætatis hominibus præstantem, nisi a Polluce uictus fuisse, Iouis et Ledæ filio. Ille enim in expeditione Colchica ex prouocatione conflixit cum Polluce, ab eodemque Polluce periit, pænasque dedit in externos crudelitatis, exortaque fuit planta, illius insanæ insigne diuinius, quam humana mens adsequi queat. Nam si quis hanc laurum intulerit in conuiuium, coniuas simili insania adficiet et contumelia implebit. Hoc sane ex-[215] perientia didici, naturam immortali memoriæ regis illius iniquitatem tradiisse ex ipsa lauro.* Arbitror erratum esse in exemplari Dionysiano habente ἔνθα pro εὐθεῖ, nam si ἔνθα legatur, uult dicere Nymphæum esse ubi est Laurus Insana. At *Andrætas Tenedius in Periplo Propontidis tradit [...] Amyci locum [...]*, ubi esset Laurus Insana, distare a Nymphæo Chalcedonio quinque stadia. Nemo declarat quale fuerit Nymphæum Chalcedonium, an specu Nymphis sacrum, an locus topiario opere spectabilis, an locus sacer uirentibus siluis et pratis, an balneum, an lacus, an simile Nymphæo Pontico. Quod matris Demosthenis oratoris pater figulus nominatus Gylon<sup>123</sup>, hostibus proddidisse accusatus, et mortis condemnatus fugit ad Bosporum. *Epicharmus et Pisander dicunt Pollucem loro ligasse [...] Amicum. Deilochus, in primo libro, quem scribit de Cyzico, pugillatu dicit [...] Amicum a Polluce superatum.* Orpheus ait Pollucem duris loris caput Amyci percussisse. Dura lora quid aliud quam cæstus ? Pollux enim teste Arnobio *pugillator bonus et crudo inexsuperabilis cæstu*, qui uicerit Amicum pugillatu omnium hominum suæ ætatis præstantissimum, quem Valerius Flaccus recte appellavit gigantem, regem Bebrycum quos Orpheus scribit ὑπερφιάλοντς, cum ob corporum magnitudinem, qua præstabant ceteris suæ ætatis hominibus, tum ob animi immanem perfidiam. Arrianus narrat Bebrycem [...] Arantam fuisse magnitudine octo [...] cubitorum, crassitudine uero [...] respondente symmetriæ altitudinis. Eadem magnitudine historici tradunt fuisse Nicephorum imperatorem.

*Inde Dionysius post [...], inquit, Laurum Insanam [216] sequitur sinus profundus ualde, nominatus Moucaporis a rege quodam Bithyniæ. Portus in ipso perbonus, post quem est*

---

123 Gylon : Glycon *edd.*

*promunturium Αἰετόρυγχον<sup>124</sup> a figura nominatum. Est autem petrosum totum, et proximum habens mare profundum usque ad oram litoris.*

*Inde sinus Amycus appellatus, et Gronychia, campus supinus et planus ; in ipso autem <sinu> punctiones cetaceorum piscium. Deinde Paludes<sup>125</sup> a simili exaggeratione paludum, quae sunt in penitissimo sinu nuncupato Cornu Byzantii. Vide an litus, quod tempore Procopii appellabatur Mochadion, fuerit illud quod adtingeret sinum Moucaporidem. Sic enim Procopius confestim post descriptionem aedis Panteleemonis sacræ, in Argyronio sitæ, addit *litus quoddam esse*, cui *nomen esset Mochadion, uicinum loco quod [...] sua ætate appellaretur Ἱερόν, hoc est Fanum. In quo quidem Mochadio dicit Iustinianum templum Archangelo [...] aedificasse, [...] non inferius aliis duobus templis sacris Archangelo, quorum alterum ante dixi Iustinianum construxisse iuxta promunturium Hestias, alterum in contrario litore, quamquam ex ordine Procopii Mochadion fuisse uidetur inter Argyronium et Fanum.**

At ex Dionysii uerbis intellegimus post Argyronium et Lectum Herculis, et Nymphæum, et Laurum Insanam fuisse sinum Moucaporidem. Præterea noscimus ex antedictis Dionysii, Laurum Insanam et sinum Amycum duo loca esse inter se separata. Nempe inter ipsa intercedunt Moucaporis sinus et promunturium Aetorynchon. Vbi uero fuerint, ex nominibus locorum huius ætatis adsequi non potui, quantumlibet iterum et sæpius hac de causa obierim totum litus Bospori Asia-[217] ticum, neque a quoquam nato ex indigenis antiquis quidquam intellegere potui. Nam omnes, qui iamdudum accolunt Bosporum, peregrini sunt. Indigenæ uero capta Constantinopoli ex Bosporo aufugerunt, et uici aut exusti aut diu deserti manserunt, et aliquot post annos a longinquis nationibus barbaris bello subactis agrestes agricolæ abducti sunt ad Bosporum accolendum, ut omnes huius ætatis accolæ Bospori sint aut peregrini aut peregrinorum filii. Præter hæc incommoda huc accedit aliud incommodum, quod Bospori litus Asiaticum Regiis uirectis totum ferme occupatum est, extinctis et funditus deletis antiquis uicis, ut ne uicorum quidem quisquam iam teneat nomina. Itaque ad coniecturas conuertere me oportuit. Primo coniiciebam Laurum Insanam fuisse in uallicula Diuæ Galatinæ, idque colligebam, ut sinum Moucaporidem accommodarem sinui iam ante nominato Monocolo. Quem cum perspicerem magnum et longo litoris flexu incuruatum in formam falcis, legissemque apud incertum scriptorem sinum Moucaporidem postea Drepanum appellatum fuisse, descendebam in eam opinionem ut putarem hunc esse Monocolon, et promunturium Aetorynchum esse iam uulgo nuncupatum Turcum. Sed Arrianus me retinuit, tradens in suo *Periplo Bithyniae, a fano Iouis [...] ad portum Laurus Insanæ [...] esse quadraginta stadia.* At Diuæ Galatinæ uallis non distat a Fano uiginti stadia. Quamobrem ex Arriano Laurum Insanam conuenit esse ultra Galatinam longe amplius uiginti stadiis. Verum ut situs locorum clarius fiat perspicuus, designabo litoris sinus et promunturia.

A fle-[218] xu promunturii Argyronici, quo primus Asiæ angulus normalis oppositus angulo Europæo appellato Bathycolpo quadratur et perficitur, et quo Bosporus tendens ad occasum flectitur ad orientem, litus Bospori Asiaticum quattuor sinus admittit, antequam rursus conuertatur ad occasum. Quorum primus est Sycia, siue Monocolus, appellatus, amplius, litoreo circuitu molliter flexo plus duo millaria complectens. Cuius supra medium flexum est fons perennis, Sycia appellatus a proxima ficu. Cum ad hunc fontem accessissemus, et laurum uicinam decerpssissemus, eamque in nauigium adtulissetsemus, tot contentiones inter remiges et uectores exortæ sunt, ut putarem Syciam olim appellatam fuisse ψυχόνουν, id est Laurum Insanam, ut appellat Dionysius. Sed Arrianus iterum me retinuit, cum ait Laurum Insanam distare a Fano quadraginta stadia, nam Sycia longe minus distat.

124 Αἰετόρυγχον : Ἀετόρηχον 1561, Ἀετόρυγχον GGM II.

125 Paludes : Palodes *leg.*

Alter sinus a sinu Sycia diuiditur promunturio nominato Turco. In quem quidem sinum medium ingreditur perennis fluuius, uersans molas, paludem efficiens cannarum silua tectam, habens ostium quod ponticulis traiicitur, delapsus per uallem amœnam, planam, in qua Regii horti cum Regia uilla adumbrata siluis cum aliarum arborum, tum maximarum platanorum. In hoc sinu, quem iam Græci appellant Turcon, exsistit scala lignea, qua Rex oram maris uadosam traiiciens descendit in hortos. Tertius sinus deinceps statim, interposito tamen promunturio uineis pleno, ab ima parte petroso, subsequitur appellatus a Turcis Becoussi, id est Nux Iuglans, a Græcis Amæa siue Marmorea Scala. Quartus positus est in angulo [219] Soltaniæ, quo Bosporus tendens ad orientem conuertitur ad occasum, quoque angulus Asiæ normalis efficitur oppositus angulo Europæo nuncupato Comarodi. Hunc quartum sinum esse Paludes<sup>126</sup> similes Byzantinis, quas Dionysius ponit post sinum Amycum, paulo infra ostendam. Quo cognito facilius adsequemur unum esse Amycum ex tribus reliquis sinibus.

Amycus sinus esse non potest ille ipse, quem dixi primum, nominatum Monocolon, nam inter Argyronium oportet esse Moucaporidem sinum profundum, portuosum. At inter Monocolon et Argyronium nullus talis exsistit. Relinquitur, ut sinus Amycus sit aut sinus secundus, in quem defluit riuus uersans moletrina, aut tertius, quem Græci appellant Amæam a petra extra aquam eminenti, gerenti similitudinem mulieris τῆς μοίας, sed altius, ut opinor, designante antiquum Amycum. Nam huic uni et soli conuenit illud, quod tradit Dionysius apud sinum Amycum pisces cetaceos capi. In hoc sinu duo uici sunt a solis Turcis habitati, quorum alterum Græci appellant Amæam, alterum uocant Marmoream Scalam. Turci utrumque nominant Becoussi, non sine causa, fortasse prius appellatam Caryam, nomen Insanæ Laurus effugientibus, mutata arbore et nominatione, ut Pharmaciam in contrario litore accolæ mutauerunt in Therapiam. Inter Amæam et Marmoream Scalam piscatores æstiuo tempore tendunt retia ad capiendos ξιφίας, pisces cetaceos qui in nullo alio loco Bosphori capiuntur, idque maris spatium appellant Amiam, siue Lamiam, nescio an ab Amyco. Hoc unum scio, hunc sinum esse *portum*, quem Arrianus appellat *Laurus In-[220] sanæ [...]*, ex eo quod distat a Fano *quadraginta stadia*. Itaque oportet Dionysium errare, aut Arrianum, nam Arrianus sinum Amycum et portum Laurus Insanæ eumdem facit. Dionysius a sinu Amyco separat Laurum Insanam interuallo interposito sinus Moucaporidis et promunturii Aetorynchi. Sed uter rectius scripserit, coniice ex his quæ subiungam, et primum considera, id quod Dionysius tacet, cur appellatus fuerit sinus Amycus : profecto a loco uicino nuncupato Amyco. Præterea perspice, cur locus ille uicinus appellatus fuerit Amycus : nimirum ex eo quod ibi uel Amycus aulam habuerit, uel pugnauerit cum Polluce, uel quod eius sepulcrum fuerit, uel quia Laurus Insana ibidem exstiterit, nam hæc quattuor de eo traduntur. An in eodem loco eadem hæc omnia fuerint ? Quod si in eodem loco, oportet esse apud sinum Amycum, aut nulla causa relinquitur, cur nominetur sinus Amycus. Apollonius illa in eodem loco ponere uidetur, cum ait Argonautas *ad litus, quod uidebatur ex sinu extendi eminenter, [...] nauem appulisse, [...] ubi essent stabula boum, aulaque Amyci Bebrycum [...] regis* ; quem ubi Pollux deuicisset, et ob huius uictoriam Argonautæ lauro coronati cenassent, postridie *rudentes soluisse*, quibus nauis alligata esset ad *laurum uegetam*. *Andrætas Tenedius in Periplo Propontidis dicit Apollonium non poetice finxisse laurum, sed reuera fuisse in hoc loco arborem laurum bene magnam*. Idemque præterea narrat hunc *locum appellari Amycum, habuisseque [...] sua ætate ædificia a colonis excitata, et distare a Nymphæo Chalcedonio quinque stadia*. *Magni Etymologici* auctor ex antiquis scriptoribus tra-[221] dit Amycum urbem esse, at in quo loco sit non declarat. Plinius Nicopolim appellat. Stephanus Nicopolim quidem dicit esse in Bithynia, sed locum non definit. *Apollodorus in primo Ponticorum dicit in loco nuncupato Amyco sepulcrum [...] Amyci et laurum esse [...], ex [...] qua si quis ramum*

---

126 Paludes : Palodes *leg.*

*cepisset, in conuicia et contumelias concitaretur.* Plinius etsi portum Amyci alias ponit apud Bosporum, alias in tractu Heracleæ Ponticæ, tamen, id quod excerptserat ex antiquis scriptoribus, tradit *portum Amyci [...] Bebrycum rege imperfecto clarum esse, eiusque tumulum a supremo die Lauro tegi, quam Insanam uocant, quoniam si quid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia fiunt, donec abiiciatur.* Sed quid plura inculcem ? cum iam satis ex antedictis pateat, in eodem loco fuisse portum Amyci, portum Laurus Insanæ, sepulcrum Amyci et locum pugnæ inter Pollucem et Amycum, et locum Amycum, et sinum Amycum. Quare miror Dionysium separare Laurum Insanam a sinu Amyco, interposito interuallo sinus Moucaporidis et promunturii Aetorynchi. Verum Dionysius, ut homo Byzantius longe accuratius describens litus Bospori Byzantium, quam Chalcedonium, decipi potuit uaria quadam opinione, quæ tum fortasse peruagabatur de Lauro Insana. Sed quantumlibet fuerit peruagata, tamen ex antedictis constat sinum Amycum esse, quem Arrianus appellat portum Laurus Insanæ, et Plinius portum Amyci, nuncque appellari Amiam et Marmoream Scalam. Apud quam est fons distans a Bosporo centum passus, emittens fluuium perfrigidum, etiam summa æstate uersare ualentem molas, si eius al-[222] ueus esset procliuis. Et maior erat antequam eius pars deriuata esset in uicum proximum appellatum Becoussi. Vbi, ut hodie est accommodata Regiæ Turcorum aulæ, sic longe commodior sedes fuit armentis Amyci eiusdemque aulæ, quam apud Laurum Insanam, quam Dionysius ponit inter Argyronium et sinum Turcum, ubi dixi fluuii ostium efficere paludem kannis plenam. In quo spatio nullus est fluuius, qui necessarius erat aulæ regis Amyci, ideoque etiam hæc ætate caret ædificiis. Nec me mouet etiam si hodie nulla spelunca appareat talis, qualem describit Valerius, cum ait :

*litore in extremo spelunca apparuit ingens  
arboribus super et dorso contexta minanti.*

Nam ea aut tot per sæcula ædificationibus obruta est, aut a Turcis inclusa tenetur intra ædificia, quæ ipsa excutere non potui, aut fortasse poetice locutus est, quod non solent physici poetæ in descriptione locorum.

Ex antedictis Plinii perspicitur non modo error ponentis Laurum Insanam et sepulcrum Amyci extra Bosporum in tractu Heracleæ Ponticæ, sed etiam eiusdem incerta commentatio modo ponentis portum Amyci extra Bosporum, modo intra Bosporum, cum tot ex auctoribus, quos citat, apertissime declarare potuisse Laurum Insanam, et sepulcrum Amyci, et portum Amyci esse intra Bosporum. Hermolao ignoscendum est, quatenus fortasse non uiderat Arriani *Periplum*, neque Dionysii *Anaplam*. At uiderat Apollonium, quem citat ad probandum, ubi esset Laurus Insana, et portus Amyci, et sepulcrum Amyci, ex quo adsequi poterat illa esse iuxta Bosporum. Tum maxime ex Stephano, quem fre-[223] quentissime adfert, consequi facile poterat *portum Laurus Insanæ esse [...] in ore Ponti in dextra nauigantibus ex Propontide in Pontum*, nisi fortasse codicem Stephani deprauatum non animaduertit, in quo edita est Δάφνη φαινομένη, pro μαίνομένη. Quæ quidem paucula si Hermolaus, diligentior peregrinator librorum quam regionum, expendisset, profecto in multiplicem errorem non incidisset. Qui ut probet in Plinio posse legi *portum Amyci*, tamen in Bosporo non uult intellegere illum esse, sed haud procul a Bosporo, nempe in tractu Heracleæ. In quo multipliciter decipitur, primum ignorans portum Amyci esse intra Bosporum, secundo Laurum Insanam et sepulcrum Amyci ponens extra Bosporum, tertio Azani portum et Azanum urbem statuens iuxta Bosporum. Quorum nemo meminit, ne Dionysius quidem, cum Azanis sit extra Bosporum, teste Strabone qui ait *ex Azanide Rhydacum [...] exoriri*.

Iam cognitis Amyco loco et Amyco sinu, cognoscimus Nymphæum Chalcedonium, teste Androeta Tenedio, distans quinque stadia a uico nuncupato Marmorea Scala esse, aut in Regiis hortis nuncupatis Becoussi, aut ab eis non longe, portumque Moucaporidem esse inter Argyronium et uicum Marmoream Scalam appellatum, nimirum esse aut Monocolon, aut proximum sinum ubi fluuius uersat molas, promunturiumque Aetorynchum exsistere alterum ex duobus promunturiis sitis in horto, et quem Græci uocant Turcon corrupte, quasi

Aetorynchon. Paludes<sup>127</sup>, quas post sinum Amycum ponit Dionysius, fuerunt in sinu quem uulgo uocant Soltaniam, a Soltano Rege Soleimano, qui in eo sardacum luculentum (sic enim [224] Turci appellant tholum undique fenestratum) in litore ædificauit cum hortis, et siluis, et ædibus Regiis. Vbi priusquam hortos ille construxisset, a senibus piscatoribus accepi ibidem paludes a Soleimano obrutas, ædificiis hortisque occupatas fuisse atque, ubi nunc sardacum et cetera ædifica exsistunt, insulam prius exstissee circumdatam mari uadiso iam obruto, arcisque projectis in hortos redacto.

*De sinu Catangio, de promunturio quod Dionysius appellat Ὀξύρροουν, et portu Phixi, de promunturio Lembo nuncupato et de insula exigua*

CAPVT VII

Post, inquit Dionysius, Paludes<sup>128</sup> subsequitur *sinus* nuncupatus Κατάγγειον, ad se maxime *alliciens pisces*, si quis alter, ac potius, si nihil decet supprimere eum qui ueritatem dicit, solus ex litore Chalcedoniorum est bene piscosus. Verumtamen tantum differt ab Europæo, quantum differt mare a terra. 'Ἐπ' αὐτῷ [...] Ὁξύρροους ὄκρα, hoc est, in ipso uel post ipsum est promunturium Oxyrrhoum.

*Post [...] Oxyrrhoum succedens litus planum et multum appellatur Phixi portus.*

*Post quem alter [...] portus est<sup>129</sup> Phiela Chalcedoniorum ualde potentium<sup>130</sup>.*

'Ἐπὶ δὲ αὐτῷ, id est, in ipso uel post ipsum, {Phiela} est *tumulus supinus et rotundus, in circuli figuram circumscribens basim. Theatrum aliquis coniectaret se uidere improuisum a natura constitutum.*

*Prope autem est promunturium nominatum Lembus a [...] similitudine lembi. Sub litus illi continuum [...] est insula ualde breuis, iuxta quam maris [225] uadum exalbescens cautibus sub aqua iacentibus in Europam auertit piscium cursum. Cuius aspectu exterriti [...] fretum transeunt secundo Bospori fluxu. Chalcedonii ipsam insulam appellant Βλάβην, apto nomine [...] et proprio experientiae rei quæ accidere solet.*

*Inde [...] est Potamonion [...]. Post [...] Potamonion succedit Nausiclia, apud quam dicunt Chalcedonios bello nauali superasse aduersarios contra se nauigantes.*

*Inde Echæa, περίποουν promunturium, et sinus appellatus Lycadium satis profundus ; illud quidem a uiro Megarensi, Lycadium, siue Cycladion, a quodam indigena.*

Catangium uidetur is esse sinus, quem hodie uocant Castacium, non modo nominis similitudine, sed etiam uera Dionysii descriptione. Piscosus enim, si quis alias litoris Asiatici. Verum ut eius situs et consequentis litoris intellegatur, scito sinum Soltaniæ a septentrione habere Regis hortos, a meridie uicum habitatum a Turcis, nuncupatum Sycia. Post uicum in litore est locus quem piscatores uocant Bolaca, a iactu retis. Hic sinus iam Soltanicus, prius Cyclaminus appellatus, longo circuitu leniter flexo quadratur in angulum normalem. Piscosus habetur. A meridie clauditur promunturio nominato Stridio, ab ostreis potius arbitror, quas uulgus Graecorum appellat stridia, quam a stridore, nam ibi fluxus non stridet. Hoc promunturium ab aquilone includit sinum Castacium, ualde piscosum, habitatum a piscatoribus. In hunc perennis riuus per uallem delabitur, in qua ima et plana Regis horti siluis uirentes. In sinus parte extrema ad meridiem pertinente uidentur fundamenta illius antiqui

127 Paludes : Palodes *leg.*

128 Paludes : Palodes *leg.*

129 est : et *edd.*

130 potentium : potentum *edd.*

magni monasterii, quod appellabatur Ἀκοιμήτων, a [226] monachis nunquam noctu dormientibus. Huius solitarii domicili moderatorem et gubernatorem tradit fuisse Cyrillum Euagrius in sua *Christianæ contionis historia*. Meminerunt et alii historici aliorum monachorum uel eruditione, uel sanctitate illustrium, qui hic soliuagam uitam egerint.

Iam uero a meridie Castacium sinum cingit promunturium duo cornua præ se gerens, alterum sinum Castacium claudens, quod uocant Magnum Glari, quodque celeri acutoque fluxu circumsonat. Alterum cornu claudens sinum, quem Πλάκα Græci appellant, circumfluit Bospori rapido cursu et simili prioris, quod dicunt Paruum Glari. Vide horum alterum, an sit Ὁξύρρουν, alterum uero περίρρουν. Medium promunturium, diuidens Castacium a sinu Placino, incuruatur in duo cornua, paruulum sinum admittens, supra quem impendet concavus locus similis magno theatro. Post promunturium Parui Glari statim subsequitur sinus mediocris, quem Græci appellant Πλάκα a quadam, ut ipsi aiunt, mensa marmorea. Hunc sinum a meridie claudit promunturium, cuius ad radicem duo saxa supra aquam eminent, undoso mari circumdata. Itaque cum in toto litore Asiatico nulla sit insula, neque scopulus inter fanum Louis et Chalcedonem quam hic, et alter situs sub promunturio Damalico, aut horum alterum oportet esse illam, quam Dionysius commemorat, aut non exstare. Iam uero scopulum positum sub radicibus promunturii Damalici non esse insulam traditam a Dionysio, liquet ex his quæ et ante dixit Dionysius, et ex ipsis quæ postea dicet. Quod si iuxta illa duo saxa supra aquam exstantia sit maris uadum [227] exalbescens cautibus, quibus sub aqua iacentibus Dionysius scribit pisces auerti in Europam, profecto hic siue scopulus siue insula maior esse debuit, adiacentesque cautes erutas fuisse conuenit. Aut si alibi insula Dionysii fuit, funditus euersa est a Chalcedonensibus illam appellare solitis Βλάβην. Strabo insulam esse tacet, sed dumtaxat petram esse dicit. Pelamides, inquit, descendentes ex Ponto, *cum [...] præterierunt [...] Cyaneas, ex Chalcedoniaco litore petra quædam alba ipsis obiecta adeo exterreret [...], ut statim in contrarium litus conuertantur*. Plinius saxum dumtaxat esse dicit. *Est, inquit, in euripo Thracii Bospori, quo Propontis Euxino iungitur, in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis saxum miri candoris, a uado ad summum pellucens, iuxta Chalcedonem in latere<sup>131</sup> Asiae. Huius aspectu repente territi thunni semper aduersum Byzantii promunturium, ex ea causa appellatum Auri Cornu, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii est, magna Chalcedonis penuria, M. P. medii interfluentis euripi.* Quos Plinius appellat thunnos, Strabo pelamides, sicut hodie piscatores appellant ascendentes in Pontum, easque uero descendentes ex Ponto uocant lacerdas. Sed an hæ sint thunni, an pelamides, separato uolumine erit ostendendum. Hermolaus dum Plinianum codicem habentem *M. P.* corrigit, et censem legendum *D. P.*, designare uidetur saxum illud esse inter Hermæum promunturium et Ciconium. At ex Dionysio id uerum non est, qui multa loca ponit inter insulam Βλάβην et Ciconium. Nam Plinius ponens illud saxum iuxta Chalcedonem, denotare uidetur Damalicum [228] scopulum, aut alterum propinquum nunc non exstantem. Dionysius uero procul a Chalcedone ponit. Cornelius Tacitus *Byzantium, ait, fertili solo, secundo mari, quia uis piscium immensa in Pontum erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita, omisso alterius litoris flexu, hos ad Byzantiorum portus defertur.* In quo Cornelius labitur, non enim id fit, cum pelamides erumpunt in Pontum, sed cum ex Ponto per Bosporum erumpunt in Propontidem. Piscatores nostræ ætatis ignorant saxum illud, et negant id uerum unquam fuisse, pelamidesque adfirmant incursum delphinorum declinare et decedere de recto decursu. Evidem ipse petram candidantem nunquam puto fuisse causam, cur potius Byzantium quam Chalcedonem petant, sed quod ex illa petra loca Bospori naturaliter apta sint ad deflexum in Europam. Nam a promunturio Hermæo litus Europæum incuruatur et recedit tribus magnis flexibus. Quorum primus fit a Neocastro ad promunturium Hestias, secundus a

<sup>131</sup> latere : litore *edd.*

promunturio Hestiaco ad Clidium promunturium, tertius a Clidio usque ad sinum Chrysoceras. Vnde fit, ut cursus defluxionis Bosporicæ directus, delatus iuxta Asiæ rapidius<sup>132</sup>, pelamides auertat in litus Byzantiacum tranquillius, id quod uel ex ipso Dionysio colligitur, qui ut id adtribuat fieri cautibus exalbescientibus, tamen earum dicit *aspectu [...] exterritas fretum transire secundo Bospori fluxu*. Tum Strabo, interea dum profitetur id accidere occursu *petræ albæ*, concedit simul etiam idem fieri *defluxu [...] et locis naturaliter aptis ad [...] defluxum [...] Byzantium uersus, atque ad [...] ipsum Cornu sinum Byzantiacum*.

Iam si a meridie promunturium claudens sinum [229] Placa sit Lembus, tum coniicere possemus sinum Placa non magnum quidem, uerumtamen profundum, esse portum Phixi, et Potamonion esse aut sinum nuncupatum Manolium<sup>133</sup>, aut Enaretem fluuium, Nausicliamque opinaremur locum quem uulgus appellat Napli, atque promunturium τὸ περίφρονν putaremos illud, quod hodie uulgo nominant Moletrinum, ex quo cursus celeris defluxionis Bosporicæ defertur ad promunturium Hestias. Nam inter sinum Placa et Moletrinum nullum exsistit promunturium περίφρονν, unde fieret, ut Ciconium non foret Neocastrum Asiaticum, sed locus iam appellatus Cechri<sup>134</sup> situs contra Hestias promunturium. Tum ὄκρας Ποιζόνσαι existimare conueniret esse rapidos illos fluxus, qui deferuntur ad promunturia Heliæ et Stauri et Hermoniani. At mihi potius ὄκρας Ποιζόνσαι uidentur exsistere ad promunturium, ubi rapiditas confluentiaæ Bospori uersat molas, quam ulla alia promunturia, ob fluctus rapidissimos totius Bospori et maxime circumsonantes, Ciconiumque habendum esse Neocastrum Asiaticum. Sed ubi sit portus Phixi et Ciconium, ubi ὄκρας Ποιζόνσαι, non ex his quæ ante dixi iudicato, sed per te expendito ex iis quæ de illis Dionysius scribit.

*De Nausimachio<sup>135</sup>, et Ciconio, et de promunturiis nuncupatis Ποιζόνσοις et de duobus Discis*

CAPVT VIII

*Prope [...] Lycadium {promunturium}, inquit Dionysius, est Nausimachium, locus altera pugna nauali [...] illustris.*

*Inde Ciconium nominatum ab excessu [...] malitiæ incolarum. Se-[230] ditione enim uiolenta pressi ex loco exciderunt.*

*A tergo autem [...] Ciconii sunt partim Ποιζόνσαι ὄκρας, ex eo nominatae, quod circa ipsas franguntur fluctus, et cursu murmurante feruntur, partim Disci, maior quidem primus, multo minor secundus, ambo appellati a similitudine figuræ. Hæc quidem loca ponit Dionysius media inter Lycadium et Chrysopolim. Plinius ait : Vltra Chalcedona, deinde Chrysopolis fuit, deinde Nicopolis, a qua<sup>136</sup> nomen etiamnum sinus retinet, in quo portus Azari, deinde Naurochum. Ex antedictis Dionysii existimo depravate legi in Plinio Naurochum, rectius legendum esse Nausimachium. Nam quod Hermolaus interdum censeat legi posse, non Amyci, sed Azari, citans Strabonem scribentem in ore Ponti [...] esse Chrysopolis, et Fanum Chalcedonium, et regionem, quæ habet paulo supra mare fontem Azaritium nominatum, qui crocodilos paruos alit, id mihi ex flumine Neocastri influenti in Bosporum, hodie nominato Enarete, siue Arete, atque ex loco uicino appellato Napli,*

132 rapidius : rapidus 1561.

133 Manolium : Manolum *edd.*

134 Cechri : Cecri *edd.*

135 Nausimachio : Naumachio *edd.*

136 qua : quo *edd.*

interdum uerisimile uidebatur, existimanti fortasse Naplen corruptum quasi Nicopolim. At illud idem dubium mihi uideri coepit, posteaquam profectus ad Propontidis sinum Astacenum, nostra ætate appellatum Nicomedicum, in eius ora, non longe a uico hodie nuncupato Diacybissa, olim *Libyssa* [...], ubi [...] fuit sepulcrum *Hannibalis*, uidi oppidum nomine Aritium. Cuius in fontibus cepi eos, quos Aritini appellant *mauledones* similes crocodilis, quos describam in *Periplo Propontidis*. Sed etiam inueniri dicuntur in fontibus uicinioribus Chalcedoni. Itaque non semel conatus sum profi-[231] cisci ad fontes Aretæ fluminis, ut uiderem, an maledones ibi sunt, an alii. Sed gentis immanis barbaria bis me ex media uia retraxit, et coegit deserere institutum iter.

Nunc autem, ut facilius intellegatur, ubi fuerint portus Phixi, ubi Ciconium, ubi Ποιζόνσαι ὄκροι, describam litus a sinu Placæ usque ad Chrysopolim. Post sinum Placa sequitur sinus uulgo dictus Manolius, contra medium Hermæi promunturii latus, siue ὄκρον' Ποώδη, situs, egregius portus et piscosus, quem de bonitate punctionis cedere aiunt pescatores nulli sinui litoris Asiatici. Hic ualles luculentas habet, olim adeo punctionibus celebratas simul et luculento monasterio ornatas, ut copiosum lac ex circumiacentium collium elius Græci nimium inaniter nunc dicitent, in monasterium tubulis subterraneis ductum fuisse. Quod idem profiscens in Medium, a Cappadocibus Neocæsariensibus audiui, suorum montium ubertatem punctionum usque adeo extollentibus, ut opere subterraneo in celebre illud cœnobium Gregorii Thaumaturgi suburbanum Neocæsareæ lac deductum fuisse iactitare non desinant, uiamque ostendant, quam in hunc diem sua lingua appellant Viam Lactis.

Post Manolium sinum deinceps sequitur locus situs iuxta Neocastrum, quem pescatores appellant Cormion ab arbore, ut ipsi putant, quæ ibi nulla talis est, ignorantes se deprauasse Ciconion. Quod cum ex ordine *Anapli* Dionysiani fuisse apud Neocastrum Asiaticum colligo, tum ex scholiis quibusdam perantiquis in Dionysium scriptorem orbis, tradentibus maximas Bospori angustias esse inter Anaplum et Ciconium. Vbi uero esset Anapplus, disserui, cum tractarem promuntu-[232] rium Hestias.

Flumen autem Aretæ, quod Turci uocant Iocsou, id est Aquam Viridem, progrediens a solis ortu ad occasum, ingreditur Bosporum iuxta Neocastrum. Quod ab ostio sursum uersus etiam summa ætate scaphis nauigatur paulo amplius octo stadiis. Eius ostium subeuntibus ad dextram spectatur amoenissimus et maximus Regis hortus, opacus densa silua arborum fructiferarum. Ad sinistram exstat Neocastrum, ex Asia similiter coartans Bospori angustias, ut easdem ex Europa cogit stringitque arx, quam ante dixi appellari Læmocopiam. Omnium maximus fluuius est eorum, qui intra Chrysopolim et Pontum ingrediuntur Bosporum. Omni anni tempore molas uersare potest, triaque moletrina exercet, unum distans ab ostio circiter octo stadia. Alia interiora absunt plus quam tria milliaria. Fluit per uallem pulcherrimam, undique nemoribus uirentem, refertis multitudine ferarum. Pisces fert, quos Græci accolæ lelingia appellant, cuiusmodi plurimos procreat palus Ascania, quos crudos sole exsiccatos edere solent Byzantini. Producit etiam cephalos, et in altis gurgitibus glanes etiam cetaceæ magnitudinis.

Sinus Neocastri duo flumina admittit, unum quem iam dixi nominari Areten, alterum ego Napliticum appello, ex eo quod effluit in Bosporum iuxta locum, quem uulgus uocat Naple, nescio an a Nicopoli, an ab Anaplo, an a Nausiclia. Hic a meridie cingit Regis hortos, quos Arete cingit a septentrione. Vtriusque ostium siluas cannarum efficit, Napliticique confluens summa ætate etiam in locis uadosis ea magnitudine fluere uidetur, qua riui aquæductuum. In gurgitibus, quos multos [233] habet, eadem genera piscium quæ in Arete perspiciuntur. Evidem ipse non longius tribus milliaribus secundum eius ripam progredi metu barbarorum ausus, prospexi dumtaxat hunc fluere per longam uallem nemorosam, uenationi Regiæ accommodatam.

Ab huius fluminis ostio incipit promunturium, cuius mucro undique percutitur fluxu Bospori, qui rapiditate, altitudine, strepitu sonoro superat omnes fluxus totius Bospori, multas

molas quotidie uersare solitus. Huius promunturii dorsum ab occasu solstitiali ad brumalem ortum surgit, situm contra sinum τῶν Χηλῶν. Clauditur duabus uallibus, una a septentrionibus, altera a cardine meridiano, utraque producta in longitudinem stadiorum circiter octo. Vnde proclive et præceps promunturium, cuius a summo mucrone ascendi quingentos passus, primos præcipites et ualde directos, reliquos semiplanos efficientes dorsum promunturii, quod ualde strictum ob ualles utrimque coartantes et scrobes tres, quos uelut theatra promunturium efficit, primum exstantem supra mucronem promunturii, complectentem ambitu passus amplius trecentos, distantem a Bosporo circiter uiginti passus, alterum ab altero diuisum tenui promunturii dorso, non latiori tribus passibus. Promunturii radices a primo scrobe ad secundum excurrunt in longitudinem passuum circiter trecentorum. Secundus scrobs magnitudine superat primum, et lapidicina olim fuisse uidetur. Passuum interuallum plus minus ducentorum interest inter secundum et tertium scrobem desinentem in imam planitiem uallis prædictum promunturium claudentis, sitæ e regione promunturii Hestiarum.

[234] In hanc uallem multi fontes riuulos emittunt irrigantes Regis hortos clausos excelsis lauribus, positos in ima uallis planicie, quam Græci iam uocant Cechri<sup>137</sup> a genere frumenti, ignorantes temporibus Iustiniani appellatam Crochon, siue Brochon, id quod perspicietur ex Procopio. *Duo*, inquit, erant *templa Michaeli Archangelo dicata, inter se opposita [...]*, Bospori freto diuisa, *unum in loco appellato Anaplo, in sinistro latere nauigantibus ad Pontum Euxinum, alterum in contrario litore, quod antiqui [...] Προόχθους nominarunt, ex eo, existimo, quia litus multum proiiciatur ex hac ora. Nunc autem nominatur Βρόχοι, temporis longitudine accalarum inscrita deprauante nomina.* Hæc quidem Procopius, cuius in altero codice leguntur *Crochi*, et in margine quidam litteris antiquis eumdem locum notat *Cronychion*, siue *Bronychion*. Quid si fortasse olim appellabatur Πρώτος Δίσκος ? nam litus ibi non prominet, sed potius retrahitur in sinum quem efficiunt promunturia ex una parte Moletrinarium, ex altera Heliacum. Itaque temporis uetustate fieri potuit, ut Πρώτον Δίσκον depruarint in Προόχθους. Nam si promunturium Moletrinarium sit Ἀκρα Ροιζοῦσα, ut esse uidetur, in latere huius ad meridiem<sup>138</sup> uergente potuit esse Protos Discos.

Promunturium Heliæ, quod fluxu rapido uerberatur, aliquando molas uersare solito, claudit sinum nuncupatum τῆς Φυλακῆς, ubi Regius hortus cum silua et turri, ex qua summa aquæ ex altis collibus subductæ saliunt. Inde breui promuntorio superato, adest uicus dictus Chrysoceramus, ex eo quod olim templum haberet tegulis inauratis tectum. Ex hoc uico effodi uidi saxa quadrata ingentia fundamento-[235] rum antiquorum, sub terra abdita in duodecim altitudinem pedum, indicantia ibi olim fuisse castellum munitissimum, cuiusmodi fuerunt regiæ Sophianæ nuncupatae, aut his antiquiora palatia, quæ non longe ab æde Michaelis extrema iam commemorata Procopius fuisse subsequentibus uerbis designat. *Non multum, inquit, procul ab æde Michaelis templum Deiparae Virgini sacrum longa uetustate exolescens renouauit [...], cuius dignitatem longum esset excutere et sermone significare. In hoc sane litore dextro nauigantibus in Pontum spectatu dignæ iam usque ab antiquis temporibus ædes regiæ [...] erant, quas rex Iustinianus omnes Deo consecrauit.* Deinde narrat, ut *Byzantii* esset magna multitudo [...] meretricum, quibus pœnitentibus [...] uitæ prioris [...], ædes regias [...] in eodem litore sitas conuertit in monasterium magnificum. Chrysocerami fluuius æstate exarescit.

Inde sequitur uicus appellatus Stauros, ab occasu cinctus promunturio uulgo uocato Nagalon, quod rapido cursu fluxus uerberatur ualente uoluere molas, continuato usque ad

<sup>137</sup> Cechri : Cieri *edd.*

<sup>138</sup> ad meridiem *add. GGM II.*

moletrinum a peritioribus quidem Hermonianum nuncupatum, a uulgo uero Tamborianum. Inde fluxus litoreus remissior usque ad Chrysopolim.

*De Chrysopoli et loco appellato Boue, siue Damali*  
CAPVT IX

DEINDE Dionysius institutum *Anapolum* continuat in hunc modum. *Post [...] Discos, inquit Dionysius, sequitur portus magnitudine et tranquillitate pulcherrimus et optimus. Ipsius magnitudinem circumscribit litus profundum et molle.*

*Supra [236] mare iacet campus acclius in litus. Appellatur autem Chrysopolis, ut quidam dicunt, ex eo, quod Persae imperantes in hunc locum cogerent auri aceruos exactos ab urbium tributis ; ut uero [...] multi tradunt, a Chryse filio Chryseidis et Agamemnonis ibi mortuo et sepulso. In hunc enim locum [...] dicunt Chrysen fugientem metu Ægisthi et Clytemnestrae peruenisse, cogitantem in Tauros transire ad sororem Iphigeniam [...], sacerdotem initiatam Dianæ ; sed illum morbo [...] laborantem, hic sepultura adfectum fuisse, suoque ex nomine loco nomen reliquisse. Posset etiam ob portus commoditatem ita appellari ab iis qui mirabilia auro comparare solent. Ex his Dionysii uerbis facile adsequimur, Bospori Anapulum esse Dionysii illius Byzantii antiquissimi scriptoris, quem iam saepissime citauit. Nam Stephanus antiquus Vrbium scriptor superiora Dionysii uerba adfert. Chrysopolis, inquit, in Bithynia prope Chalcedonem anapulum nauiganti in dextra [...]. Dionysius autem Byzantius Anapulum Bospori scribens de nomine huius haec dicit : « Appellata autem est Chrysopolis, ut aliqui dicunt, a Persarum imperio huc aceruos auri collecti ex [...] uectigalibus redigente, alii uero plures dicunt, a Chryse filio Chryseidis et Agamemnonis ». Neque solum ex his Stephani uerbis cognoscimus Dionysii Anapulum esse Stephano antiquorem, sed etiam ex ipsius Anapli discursu percipimus illum scripsisse Bospori Anapulum, antequam Seuerus Byzantium euertisset. Chrysopolis emporion fuit Chalcedonis, ubi Xenophon tradit Græcos, qui meruissent stipendia in Cyri expeditione Persica mansisse dies septem, uendentes prædas quas cepissent. Idem in Historia rerum [237] Hellenicarum, Attici, inquit, duces Chrysopolim Chalcedoniae profecti, muris eam munierunt, eamdemque [...] ad seruandas decimarum pecunias constituerunt, in ipsaque decimam exegerunt ex nauibus Ponti, præsidiumque triginta nauium cum præfectis duobus ibi relinquunt. Postea muris nudatam fuisse ex Strabone patet, dum ait Chrysopolim uicum esse.*

Similiter hodie urbs non est, sed uicus laxe habitatus multis ædificiis non continuis, circuitu milliaria complectens circiter duo, situs partim in ualle, partim in promunturiis ulalem cingentibus, quorum unum Damalicum quam mox appellabimus, totum fere eiusdem ædificiis occupatum. Portum profundum habet in sinu mediocriter curuato. Sed longe olim maiorem habuisse, occupantem imam uallis planitiem, in qua sita est nunc Chrysopolis, oportet, cum Athenienses triginta triremes illic in præsidio tenerent, et nauale esset Chalcedoniorum. Socrates enim inquit, Constantinum Magnum post multas pugnas terra marique pugnatas [...] Licinium imperii consortem et generum ad Chrysopolim Bithynicam uicisse, quæ erat nauale [...] Chalcedonis. Ex quibus possem multis uerbis disserere hunc portum longe multo maiorem exstissee, sed obrutum fuisse partim olim deleta Chalcedone, partim postea barbarorum metu, partim nostra ætate. Vidi partem portus obrui ad excipiendam sedem ædis Maomethanæ et xenodochiorum, quæ construxit Regis Soleimani filia, omniaque texit plumbo, et columnis marmoris et porticibus et areis amplis et fontibus exornauit. Denique Chrysopolis reædificata est a Turcis, quæ diu iacuerat deserta bellis Persarum et Tur-[238] corum, ut nullum uestigium restet eorum, quæ Georgius Cedrenus dicit, *Philippicum*<sup>139</sup> regem

---

139 *Philippicum* : *Philippum edd.*

*condidisse Chrysopoli, ut monasterium τῆς Παναχράντου Θεοτόκου, ut palatia ad excipiendum regem regiosque liberos, hortosque et piscium uiuarium struxisse, id quod in uallis planicie, ubi nunc sunt præcipua Chrysopolis ædificia, existimo lacum fuisse, nimirum reliquias portus antiqui.*

Chrysopolis quamquam est suburbana Byzantii, tamen omnes fere Byzantini ignorant, ubi hæc fuerit, ex eo quod nomine antiquo exsoleto, iamdudum uocantur Scutaris. Nescio a Francisne aliquamdiu Byzantio imperantibus, *chryson* appellantibus scutum, an potius a statione militum scutariorum, id quod designare uideretur Marcellinus cum ait : *Per Chalcedona et [...] stationem transcurrit.* Si apposite legeretur sine coniunctione *Chrysopolim* stationem breuitatis ergo, ut uulgo fieri solet, suppresso nomine scutariorum ? quod Constantinopolitanos reges crebro usurpasse eorumdem historia frequens testis est. Verum ex codice Marcellini maxime deprauato fateor me coniecturis uagari potius quam certo iudicio sententiam dicere.

At haudquaquam ferendi nonnulli, qui putant uicum, quem paulo ante dixi appellari Chrysoceramum, fuisse Chrysopolim, cum iam declararim hunc nominatum ex eo, quod templum haberet tectum inauratis tegulis. At ex uico Chrysoceramo ultro citroque traiectus fieri non solet, sed ex portu Scutarico, ut loco accommodato ad traiiciendum, unde, ut nunc, traiectus olim fieri solebat. Est etiamnum Byzantii scala omnium frequentissima prope portam Neorii, nominata Scutarica, quam olim eamdem fuisse [239] quæ Chrysopoleos et Chalcedonis. Cum ex his quæ adferam in *Descriptione Constantinopoleos*, tum ex usu hodie quotidiano colligere possumus. Nam ex porta Neorii, quæ nunc appellatur Oria, quotidie iam uidemus necessitate quadam fieri traiectum in portum Scutaricum, si quis traiicere velit Byzantio Chalcedonem, aut Chalcedone Byzantium, illum necesse habere sursum nauigare usque ad Scutarim, id quod frequenter quotidie uidetur multis nauigiis ferentibus homines et iumenta, recta uia non ualentibus transire Chalcedonem, sed ob rapidi fluxus decursum ascendere coactis usque ad Scutarim. Atque ex Chalcedone uolentibus transire Byzantium, opus est ascendere ad promunturium Scutaricum olim appellatum Bouem, siue Damalim, atque ad portum usque Chrysopoleos. Id quod ut fit hodie, ita olim factitatum fuisse patet e Polybio qui ait : *Ex urbe Chalcedone [...] uolentes transire Byzantium, non possunt recta nauigare ob intermedium rapidum defluxum Bospori, sed necesse habent iter deflectere prope Bouem, et [...] Chrysopolim nauigare.* Idem, a promunturio, inquit, appellato Hestiis fluxus Bospori *impulsus prolabitur ad Bouem nuncupatum, qui est Asiae locus, ad quem constitisse aiunt primum fabulae Io, cum transiuit hoc fretum. Rursus fluxus [...] impulsus a loco Boue [...] nominato fertur ad ipsum Byzantium.* A quo non dissentit Georgius Cedrenus, cum ait *Leonem [...] Phocam Chrysopolim occupasse, populumque in ulteriore ora in aciem struxisse apud [...] locum, ubi in columna exstat damalis lapidea, itaque exterruisse eos, qui essent Byzantii.* Ex antedictis collegeram Scutarim esse Chryso-[240] polim, et locum quem Polybius appellat Bouem, Arrianus Damalim, exsistere promunturium Scutaricum, situm contra promunturium Bosporium in quo positum fuit Byzantium. Verum postea multo planius noui, cum incidi in Dionysii *Anaplu*.

Post Chrysopolim, inquit Dionysius, *promunturium maris ictibus expositum prominet. Multa enim nauigatio ad ipsum impulsa contra promunturium nominatum Bouem concertat. Est autem is locus tamquam e carceribus emittens traiicientes in Europam [...].* In hoc promunturio exsistit *columna lapidis albi, in qua exstat Bos, Charetis imperatoris Atheniensium [...] coniux, quam hic mortuam sepeliuit. Inscriptio autem significat sermonis ueritatem, at illi [...], qui uanam reddunt historiam, putant [...] antiquæ [...] bouis statuam, [...] aberrantes a ueritate.* Inscripti enim in columnæ basi hi uersus sunt.

Ίναχίης βοὸς οὐκ εἰμὶ τύπος, οὐδ' ἀπ' ἐμοῖο  
κληγέται ἀντωπὸν Βοσπόριον πέλαγος.  
κείνην γὰρ τὸ πάροιθε βαρὺς χόλος ἔλασεν Ἡρῆς

ές Φάρον· ἥδε<sup>140</sup> δ' ἐγὼ Κεκροπίς εἰμι νέκυς.  
 εύνέτις ἦν δὲ<sup>141</sup> Χάρητος, ἔπλων δ' ὅτ' ἔπλωεν<sup>142</sup> ἐκεῖνος  
 τῇδε Φιλίππείων ἀντίπαλος σκαφέων.  
 Βοιδίον δ' ἥκουν τότε· νῦν δὲ Χάρητος  
 εύνέτις ἡπείροις τέρπομαι ἀμφοτέραις.

Temporibus Phocionis<sup>143</sup>, qui hypotheses præcipuorum scriptorum uelut indices antiquæ bibliothecæ conscripsit, uixit Georgius Codinus. Is hæc fere omnia, quæ ante dixi, ex *Anaplo Dionysii* retulit in sua scripta. *Postquam*, inquit, *Leo excessit e uita, Atheniensium imperator Chares, cum quadraginta nauibus in auxilium [241] Byzantiorum profectus ad bellum contra Philippum, occupauit promunturium Propontidis, quod inter Chalcedonem et Chrysopolim situm est, et in illo loco [...] contra Philippum prælio feliciter decertauit, ubi coniugem comitem habens morbo laborantem amisit, eamque sepultura adfecit, eique excitauit aram et columnam in qua Damalis [...] statua spectatur ex [...] lapide albo facta. Sic enim [...] appellabatur illa Charetis uxor, quod etiam in ea incisis usque ad nostram [...] ætatem uersibus [...] patet.* Deinde eosdem uersus adfert quos supra scripsi. Prætero iam non recte Codinum tradere Charetem Atticæ classis ducem quadraginta nauibus auxiliatum fuisse Byzantinis, cum ex Demosthene constet, Athenienses succurrisse Byzantiis centum et uiginti nauigiis. Omitto etiam illud, quod dicat promunturium, in quo sita esset statua Damalis, esse Propontidis, cum sit Bospori.

Hoc unum, quod recte scribit, accipio, nimirum hanc columnam statuamque excitatas fuisse a Byzantiis in gratiam imperatoris Atheniensium, ut cum ex antedictis percipi potest, tum ex psephismate Byzantiorum, quod ingenue profitetur Byzantium a Philippo Macedone obssessum, liberatum fuisse auxilio Atheniensium. Quod Demosthenis codex editus sic habet lingua Dorica conscriptum qua Byzantii utebantur, coloni Megarensium Doricorum : ἐπὶ ιερομνάμονος Βοσπορίχῳ Δαμάγητος ἐν τῷ<sup>144</sup> ἀλίᾳ ἔλεξεν ἐκ τᾶς βωλᾶς λαβῶν ρήτραν, ἐπειδὴ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων ἐν τε τοῖς προγενομένοις καιροῖς εὐνέων διατελεῖ Βυζαντίοις, καὶ τοῖς συμμάχοις, καὶ συγγενέσι Περινθίοις καὶ πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας παρέσχηται, ἐν τε τῷ παρεστακότι καιρῷ Φιλίππῳ τῷ Μακεδόνος ἐπιστρατεύσαντος ἐπὶ τὰν χώραν, καὶ τὰν πόλιν ἐπ' ἀναστάσει Βυζαντίων καὶ Περινθίων καὶ τὰν χώ-[242] ραν δαίοντος καὶ δενδροκοπέοντος, βοηθήσας πλοίοισιν ἐκατὸν καὶ εἴκοσι καὶ σίτῳ καὶ βέλεσι καὶ ὄπλιταις, ἐξείλετο ἄμμε ἐκ τῶν μεγάλων κινδύνων, καὶ ἀποκατέστασε τὰν πατρίον πολιτείαν καὶ τὰς νόμους καὶ τὰς τάφως, δεδόχθαι τῷ δάμῳ τῷ Βυζαντίων καὶ Περινθίων Ἀθηναίοις δόμεν ἐπιγαμίαν, πολιτείαν, ἔγκτασιν γάς καὶ οἰκιάν, προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγώσι, πόθοδον ποτὶ τὰν βωλὰν καὶ τὸν δῆμον πράτοις μετὰ τὰ ιερά, καὶ τοῖς κατοικεῖν ἐθέλουσι τὰν πόλιν, ἀλειτουργήτοις ἥμεν πασᾶν τὰν λειτουργιάν· στάσαι δὲ καὶ εἰκόνας τρεῖς ἐκκαιδεκαπήχεις ἐν τῷ Βοσπορίχῳ. Prætero cetera. Si hoc psephisma uitiatum non esset, perspiceremus has statuas tres sexdecim cubitorum statutas fuisse apud locum Bouem nuncupatum, ubi Chares Atheniensium bello nauali pugnauit contra Philippum, tumque legeremus non Βοσπορίχῳ, sed Βοσπορίῳ χώρῳ. Cuiusmodi fuit locus nuncupatus Bos, ut promunturium Bosporium nominatum, in quo situm

140 Φάρον· ἥδε δ' ἐγὼ : Φάρον ἥγε, ἐγὼ 1561.

141 δὲ: *om.* 1561.

142' ἔπλων δ' ὅτ' ἔπλωεν: ἔπλεον ὅτ' ἔπλόθεν 1561.

143 Phocionis : Photii GGM II.

144 ἐν τῷ: ἐν τε 1561.

erat Byzantium. {Ex antiquo codice emendaui nonnulla, ut ἔντε ἀλία, codex antiquus habet ἐν τῷ ἀλίᾳ, id est *in contione*, ut Herodotus utitur ἐκ τῶς γὰρ, antiquum exemplar habet ἔκτασιν γάρ} <sup>145</sup>.

Ex Polybio, Arriano, Dionysio Byzantio patet locum appellatum siue Bouem siue Damalim fuisse promunturium nunc nominatum Scutaricum, positum e regione promunturii Bosporii Byzantium continentis, sententiaque Polybii ita appellatum, quod Io uacca illuc ex Europa fretum transiens appulsa fuerit. Dionysius quidem Byzantius promunturium appellari Bouem consentit, sed bouis statuam in eo excitatam ex antiquo epigrammate negat esse Ious Inachi filiae, eamque huc non transisse, sed in Pharon. Quam autem pharon epigramma intellegat ? uide an pharon antiquam, quam supra ostendi fuisse prope angustias Fani, an illam, quam [243] Marcellinus statuit supra promunturium Chrysoceras, hoc est in urbe Byzantio. At nemo Io tradit hac aut illac transisse. Mihi potius epigramma intellegere uidetur Pharum Alexandrinam, negareque Bosporum appellatum ab Io Inachi filia. Nam etiam *Arrianus* [...] scribit *quorumdam sententia* [...] aliam uaccam fuisse, *quae nomen dedit* freto Thracio, *quam dicit Phrygibus* hominibus *eam urgentibus* [...] *incolumem nullo metu* [...] fretum transisse, situm *inter Chalcedonem et Byzantium* [...], *ducemque* [...] *illis exstisset* [...], quibus *diuinum oraculum* [...] datum erat, ut buculam *itineris ducem facerent* [...], cui obtemperantes, *incolumes transierunt*. Et monumentum tradit huius transitionis [...] damalim *aeram* [...], excitatam *a Chalcedonensibus* [...], *locumque* [...] in regione Chalcedonia esse ait, qui *forsitan* [...] esset is qui *usque ad* [...] suam aetatem *nominaretur Damalis*. Dionysius quidem fatetur columnam ex lapide albo fuisse, sed non declarat, damalisne esset lapidea, an ærea. Georgius Codinus dicit statuam Bouis uxoris Chareti fuisse *ex lapide expolito*. Itaque oportet illam antiquam, unde Bosporus appellatus fuit, quam Arrianus tradit æream, deiectam et sublatam esse, deinde alteram lapideam positam fuisse tempore Leonis Phocæ, ut ante dixi. Damalis lapidea stabat in columna. Iam non repetam, quantopere erret Tzetzes, dum statuit Cyaneas inter Damalim et Constantinopolim, id enim supra ostendi, cum agerem de Cyaneis. Quam item auersus a cognitione locorum labatur, cum circa locum Damalim testatur Darium pontem iunxisse, declaraui, dum de Hermæo tractarem promunturio.

[244] *De fonte nominato Heragora, et templo Veneris, et de æde synodi Chalcedonensis, de Chalcedone*

CAPVT X

*POST*, inquit Dionysius, locum appellatum *Bouem* [...] sequitur *fons* nominatus Hermagora, et *delubrum herois Eurosti*. Secundum id exsistit *litus supinum et planum* [...], lenissimo *fluuio irrigatum*, in ipsoque *Veneris templum*, atque *iuxta ipsum parvus isthmus multam* [...] *circumscribit cherronesum*, in qua *urbs Chalcedon paulo supra fluuium appellatum Chalcedonem* sita, *portus utrimque* habens *in flexibus in isthmum recendentibus, unum* [...] *quidem ad uesperam spectantem, alterum* [...] *ad solis ortum* [...]. *Ipsa quidem effertur colle quidem humilior, planicie uero asperior*. *Multa in urbe hac admiratione digna ob antiquitatem* [...] *et res gestas et fortunas et in utramque partem mutationes*; *maxime autem admirabilia Apollinis templum et oraculum nullo summorum oraculorum inferius*.

*Verum finis esto* [...] meæ Bospori *historiae*. Hæc quidem Dionysius. Qui ut planius cognoscatur, *litus describam* a promunturio Damalico usque ad Chalcedonem, de qua nonnulla addens, finem ipse quoque faciam Bospori. Qui procedens ad solis occasum, flectitur promunturio Damalico ad meridianum cardinem. Iam uero inter duo promunturia, nimirum alterum Europæ, Bosporium nominatum, et alterum Asiæ Damalim appellatum, supra mare

145 {...} om. GGM II.

paululum eminet scopulus seu parua insula distans a promunturio Damalico circiter centum passus, tota ferme occupata ab arce machinis bellicis munita ad arcendas naues hostiles, si quæ penitus in [245] Bosporum ex Propontide erumpere conarentur. Atque ab ea arce ad promunturium Damalicum transuersus murus cæcus sub aqua obductus erat, uelut quædam moles ictus septentrionum excipiens, nauibus ob rapidum intermedium Bospori fluxum ascendere nequeuntibus, uentumque a puppi exspectantibus in eo loco, quem Dionysius *tamquam e carceribus inquit emittere* traiicientes. Is etsi tutiorem stationem efficiebat, tamen auaritia nationis dominantis paulo ante dirutus est, eiusque saxa translata in priuatas ædificationes.

A promunturio Damalico, distanti a Chalcedone paulo minus quam tria milliaria, litus est fere totum importuosum et præruptum, mareque iuxta litus uadosum, cautibusque sub aqua latentibus confragosum, ut uix tentans multis locis reperire potuerim applicationem scaphæ, litorisque crepidines in plus quam quinquaginta passus efferuntur præcipites, ut ascensus directus sit et præruptus a Damalico promunturio usque ad ualliculam, quæ sinum efficit, ubi ora humilis, et litus demissum et non præruptum, mareque portuosum, in quo cernuntur ruinæ molis antiquæ, quæ olim muniebat portum seu potius stationem, nunc gradum præstat ad fontem in litore proximo fluentem perennem, a Dionysio appellatum Hermagora. Quem paulo ante subductum uidi in hortos, quos supra Heragoram Rex Soleimanus longis muris circumsæpsit, aliis eo etiam fontibus opere subterraneo deriuatis, ut eorum redundantia hortis superflua sit restituendus fluxus Heragoræ longe copiosior.

A fonte Heragora litus est fere saxosum et præruptum usque ad planitem Chalcedonis suburbanam, ubi olim erat [246] ædes Veneris, et postea fuit templum Diuæ Euphemiacæ funditus iam euersæ supra terram, atque adeo substructiones erutæ, excepto cuniculo subterraneo, ex quo etiamnum scaturit fons. Prope est riuulus, cuius meminisse Dionysium ante uidimus. Qui si nunc longe minor fluit, id adtribuendum fonti constructo in eadem planicie iuxta uiam Chalcedone tendentem ad urbem Nicomediam, perennem fistulam quoque uersus quattuor digitos patentem implente. Fons autem, quem iam dixi scaturire ex antiquo aquæductu Diuæ Euphemiacæ, distat a scala Chalcedonensi mille et centum passus. Qualis autem fuerit ædes Diuæ Euphemiacæ, in qua celebrata fuit synodus Chalcedonensis, et qualis eius situs, Euagrius Scholasticus ample scribit, quæ ego breuiter adtingam. Sacrorum hominum cætum ait habuisse concilium *in Euphemiacæ martyris æde [...], distantì [...] a Bosporo non amplius duobus stadiis, sita in [...] suburbano agro Chalcedoniorum Bithynorum molliter accliui, ut ambulantes in templum non sentiant se in illud subiisse [...], repenteque [...] uelut ex sublimi specula [...] undique campos sub aspectum subiectos contemplentur supinos et planos, herbis, frugibus [...], arboribus [...] uirescere [...], mareque [...] partim tranquillum, uiolaceo cæruleoque colore purpurascens, ad litora adludere amœnumque quiddam [...] exhibere, partim [...] murmure sonans, fluctibus efferatum lapillos et conchas et algas [...] prouoluere.* Inde addit, Euphemiacæ ædem [...] uel hoc ipso ornari, quod sita sit ante oculos Constantinopoleos, et quod constet *tribus membris magnorum aedificiorum* ornatis amplitudine, et laxitate, et pulchritudine columnarum, et tectis elegantibus. Sed quid conor [247] in lucem edere scripta Euagrii ? uel hoc ipso nobilia facta, quod nobilibus et plane regiis Parisiorum characteribus iamdudum peruulgata etiam longe ultra Chalcedonem uagentur.

Chalcedon, quam Herodotus appellat Calchedoniam, a Dionysio quidem constituitur paulo supra Chalcedonem fluuium. Sed tacet Dionysius, id quod Arrianus et Menippus loquuntur, appellatam ab eodem flumine Chalcedone. Arrianus in sua *Historia Bithynica* dicit eam *nominatam [...] a filio Saturni* nuncupato *Chalcedone, a quo primum fluuius illic fluens nominatus est Chalcedon, deinde urbs a Doriensibus, illic coloniam ubi deduxissent [...], nominata est eo nomine quo flumen.* Incertus quidam historicus dicit *uocatum [...] a filio Calchantis uatis [...] alii aiunt a Chalcide urbe Eubœæ, quæ illuc coloniam misisset.* His quidem Dionysius orbis descriptor consentire uidetur, Chalcedonios appellans Chalcides. Ille

uero tradens a filio Calchantis uatis, motus fuisse uidetur nobilitate oraculorum Chalcedonicorum. Arrianus narrat [...], ut alter et uicesimus dies omnium mensium nefastus a Chalcedonensibus institutus est [...], ex eo quod illo die cum alia haudquaquam prospera passi sint, tum Pharnabazus Persa eorum pueros exciderit, et penitus castrarit, et miserit ad Darium. Idem ait [...], morbum in Chalcedonios sœuisse diuina ira, eosdemque sua uirilia abscidisse, quod sacrificia quædam neglexissent. Cæcos Chalcedonios oraculum dixit ea de causa, quod Megarenses huc primum nauigantes eligere nescissent Byzantiorum solum uberius. Herodotus similiter scribit Megabyzum, cum intellexisset decem et septem ante annis Chalcedonios quam [248] Byzantios urbem Chalcedonem condidisse [...], cæcos [...] dixisse [...], quod præsente meliore [...] loco elegissent peiorem. Chalcedonii, inquit Theopompus, priusquam rempublicam participassent [...], communicassentque cum populari gubernatione Byzantiorum, omnes quidem in officiis [...] institutisque recte uiuendi erant. Post uero quam democratiam Byzantiorum gustauerunt, uitam quotidianam maxime frugalem et temperatam luxu deliciisque corruperunt ac deprauarunt, simulque euaserunt sumptuosi potandique amantes. Viros excellentes procreauit Chalcedonia, e quibus Thrasymachus sophista [...], qui primus periodum et colum demonstrauit [...], discipulus Platonis [...] et Isocratis. Recentes historici, qui ante quadringentos annos scripserunt, tradunt sua ætate Chalcedonios non dare operam litteris, sed thunnorum piscationi artique ceterorum piscium retibus et lineis capiendorum, uictumque manibus querere, parumque aut nihil curare litteras. At nunc ne piscari quidem sciunt, ac potius agros dumtaxat colunt, piscandi adeo ignari ut thunno et pelamidas ex foro Byzantiorum emere habeant necesse, cum olim constet notiores fuisse pelamides Chalcedonias quam Byzantias. Sic enim inquit Varro : paguri Samii, *Phrygia attagena, grues Melicæ, hædus ex Ambracia, pelamys Chalcedonia, muræna Tartesia, aselli Pessinuntii, ostrea Tarenti*<sup>146</sup>, *pectunculus Chius, helops Rhodius, scari Cilices.*

Quod autem Dionysius tradit, Chalcedone oraculum Apollinis fuisse non inferius Delphico, Lucianus id confirmat, antiquissimum qui asserit, cum *Alexandrum* [...] ait pseudomantem societatem iniisse cum Byzantio quodam chorographo<sup>147</sup> [...] scelerato, [249] qui appellaretur [...] Cocconas [...]. Hi cum inter se [...] cogitarent Delphos [...], Delum, Claron, Branchidas [...] diuites factos ex arte diuinandi, constituerunt uaticinationis oraculum excitare [...]. Ac primum considerarunt de loco [...]. Cocconas Chalcedonem probabat locum commodum [...] esse, mercatoribus frequentem. Alexander [...] præferebat [...] urbem Paphlagoniæ nominatam Aboni mænia [...], cuius sententia uicit [...]. Itaque profectis ipsis Chalcedonem utile [...] quidpiam [...] urbs uisa est habere. In Apollinis templo, quod illic antiquissimum est [...], tabulas æreas defodiunt [...], in quibus inscriptum incisumque erat, ut quam mox Asclepius cum ipso Apolline patre accederet in Pontum, ut occuparet Aboni mænia. Harum tabularum de industria inuentarum fama [...] statim Bithyniam et Pontum peruagata [...] peruenit Aboni mænia [...], urbem, ut dixi, Paphlagoniæ, eiusque incolas ita mouit, ut templum [...] aedificare [...] cooperint, quo Alexander profectus est. At Cocconas Chalcedone remansit duplia planeque ambigua [...] oracula quædam conscribens. Ex Apollinis Chalcedonici tripode manasse arbitror oraculum, quod Socrates *Sacrae historiae* conscriptor tradit, cum Valentis imperatoris indignatione muri Chalcedonis euerterentur, in fundamentis inuentam fuisse tabulam lapideam, uersus continentem subsequentes.

ἀλλ’ ὅτε δὴ νύμφαι δροσερὴ<sup>148</sup> κατὰ ἄστυ χορείην  
τερπόμεναι στήσονται ἐϋστεφέας κατ’ ἀγνιάς,

146 Tarenti : Tarentina *edd.*

147 chorographo : chronographo *edd.*

148 δροσερὴ : ιερὸν 1561.

καὶ τεῖχος λουτροῖο πολύστονον ἔσσεται ἀλκαρ·  
 δὴ τότε μύρια φῦλα πολυσπερέων ἀνθρώπων  
 ἄγρια, μαρμαίροντα, κακὴν ἐπιείμενα ἀλκὴν,  
 Ἰστρον καλλιρόοι πόρον διαβάντα σὺν αἰχμῇ,  
 [...]

[250] Θρηϊκίης δ' ἐπιβάντα σὺν ἐλπίσι μαιμομένησιν,  
 αὐτοῦ κεν βιότοι τέλος κοὶ πότμον ἐπίσποι.

Huius oraculi declarationem adferam, cum tractabo decimam regionem Constantinopoleos.

Sed ut planius perspiciatur Dionysii Chalcedonica descriptio, et quales sint hodie portus, quos idem Dionysius antea dixit Chalcedonem utrumque habere, atque ut internoscatur uter horum postea appellatus fuerit Eutropii portus, subiiciam nonnulla. Chalcedonia usque ad hanc ætatem suum nomen retinet, olim magna et præclara urbs, nunc exiguus uicus. Hæc enim iterum et sæpius uastata, primo a Persis, iterum a Valente imperatore muris spoliata, deinde a Gotthis euersa, *quam post Cornelius Auitus aliqua ex parte* restituit, postea a Saracenis, postremo a Turcis funditus deleta, ut dumtaxat perparuus uicus supersit. Nulla exstant moenium uestigia supra terram, neque sub terra, nisi raris locis fundamenta alta ingentibus saxis quadratis constructa, quæ penitus effodi nuper uidi in ædificationem substructionum, quas Rex Soleimanus molitur in tertio Constantinopoleos monte.

Portuum aliquot ruinæ cernuntur, atque nonnulla scoria metallorum in ea regionis parte ubi moneta excudebatur. Tum exstat aquæductuum subterraneum opus latericum, quo per urbem aqua ducebatur, sicque portui accommodabatur, ut supra molem longe excurreret ad usum nauigantium. Chalcedon sita erat in promuntorio peninsulae efficiente, ad medium intumescente, ex tribus partibus leniter accliui, ex quarta parte paulo accliuiore et depressiore in uallem, per quam fluuius Chalcedon delabitur in Propontidem. Promunturii pars [251] solis occasum conspiciens cingitur Bosporo, pars uero uergens ad meridiem ortumque hibernum clauditur Propontide. At ad orientem æstuum spectans eminet in uallem, per quam Chalcedon riuus quidem paruus, sed ripis altis coercitus, profundus delabitur et salsus in longitudinem amplius mille passuum, usque ad pontem lapideum transmittentem Chrysopoli uiatores Nicomediam. Ab eo ponte usque ad Bosporum isthmus patet in longitudinem circiter octo stadiorum. Hic fluuiolus etsi exiguus, ut iam nomine careat, accolæque dumtaxat appellant *potamion*, prorsus ignorantes olim nominatum fuisse Chalcedonem, tamen omnium fere scriptorum testimoniis nomen dedit urbi Chalcedoni. Cuius etiam Xenophon meminit libro primo *Hellenicorum*, cum *Alcibiadem* [...] quidem ait *uniuerso exercitu Chalcedonem a mari ad mare cinxisse, et partem, quæ pertinebat ad flumen [...] muro ligneo sæpsisse [...]*, *Pharnabazum uero, cum is propter angustias, fluminis ac munitionum<sup>149</sup> propinquitatem in urbem ingredi ad ferendum Chalcedoniis auxilium non posset [...], in Heraclium Chalcedoniorum discessisse.*

Litus, quod plus quam ex dimidia parte circuit promunturium, in quo iam dixi sitam Chalcedonem, excepta parte, quæ plana est, ubi portus est, et uicus Chalcedon, abrumpitur in præcipitem procliuitatem, ut fere erectum sit in altitudinem amplius uiginti quinque passuum, non modo in terra saxeis crepidinibus inuium, sed etiam in mari cautibus male tutum nauigiis, nisi ubi portus fuerunt. Si ab extremo mucrone seu angulo promunturii Chalcedonici dirigas lineam ad medium Promunturii dorsum, in quo sita est [252] Constantinopolis, perspicies lineam dirigi ab ortu hiemali ad occasum solstitialem, et diuidere Bosporum a Propontide, et secare Hippodromum, et tendere ad ædes Paiasiti Regis positas in iugo tertii collis, inde procedere ad ædes Mamethi Regis sitas in quarto colle, totumque dorsum Promunturii

<sup>149</sup> angustias, fluminis ac munitionum : fluminis angustias, ac munitionum *edd.*

sequi<sup>150</sup> a fronte ad muros partem Vrbis circuitu maris carentem claudentes. Si uero ex eodem extremo mucrone promunturii Chalcedonici lineam duceret ad angulum Scutaricum, uideres eam progredi a meridie ad septentrionem, relicto flexu molliter curuato, ubi est portus Chalcedonis et litus humile et planum. Nunc portus obrutus, et moles quotidie exportantur, atque ubi olim portus magnis nauibus patebat, nunc alicubi non patet scaphis, ob syrtes et breuia. Iuxta isthmum exsistit colliculus a septentrionibus situs inter isthmum et planitem, in qua dixi ædem fuisse Diuæ Euphemiae, humili quidem ille, sed commemoratus ab Appiano. Quem Mithridates, cum obsideret prætorem Cottam intra Chalcedonem clausum, uterque exercitus occupare conabatur. Chalcedonem habuisse portum catena clausum, capientem amplius sexaginta naues, patet ex Appiano. Is enim ait classem Mithridatis *in portum [...] Chalcedoniorum ui irrupisse, catenasque, quibus ostium portus claudebatur, rupisse, et quattuor naues exussisse [...], sexagintaque ex portu captas secum abduxisse.*

*De portu Eutropii, et Heræo promunturio, et de antiquis regiis ædibus appellatis Heræis*  
 CAPVT XI

LATVS promunturii Chalcedonici uergens partim ad meridiem, partim ad ortum hibernum, efficit sinum uulgo appellatum Calamotum, [253] intus recedentem plus minusue octo stadia. In hoc medio latere uidentur uestigia antiquæ molis portus, quem episcopus Chalcedonensis mihi persuadere conabatur fuisse olim appellatum portum Ireneæ corrupte, quasi Ἡραίου, mihi potius a regina Irene. Nam portus τοῦ Ἡραίου est in contrario promunturio, potiusque appellatus ille olim fuit portus Eutropii, cuius meminit Zonaras. Ad ædem, inquit, Mauricii regis mouetur Phocas, et in Eutropii portu primum eius quattuor filios interficit, nihil aliud tum dicentis quam hoc ipsum : « *Iustus es, Domine, et iustum iudicium Tuum* ». Denique ipsum Mauricium tollunt. Idem alio loco dicit, *Chalcedone esse portum Eutropii*, sed non declarat, an in Bosporo, an in Propontide. Nam ex antedictis Dionysii scimus Chalcedonem *utrimque* habuisse *portus*. Verum ex Procopio adsequi possumus, fuisse non longe ab Heræo, cum ait Justinianum *portum alium construxisse in ulteriore continente in locis Eutropii nominatis, non procul remotis ab Heræo*. At ubi fuerit portus Eutropii, plane scire nequimus, nisi sciamus, ubi fuerit Heraeum. Itaque id paulo altius inuestigandum est. Demosthenes in libris quos scripsit *De rebus Bithynicis*, sic ait :

ἔστι δέ τις<sup>151</sup> προπάροιθε κλυτῆς Καλχηδόνος ὄκρη  
 Ἡραια, τρήχουσα, πολυσπιλάς. ἔνδοθι<sup>152</sup> δ' αὐτῆς  
 λαΐνεον περὶ τεῖχος ἵὸν κοιλαίνεται εἴσω  
 κόλπος ἀλός· φαίης κεν ἴδὼν βαθυδινέα<sup>153</sup> πάντῃ  
 ἔμμεναι, εἰαμενὴ<sup>154</sup> δὲ καὶ οὐ πάντῃ βυθός<sup>155</sup> ἔστι θαλάσσης.  
 ἐνθα τε νῆσος ἥγον, διόμενοι σκέπας εἶναι  
 αὐτοφυοῦς ὅρμοιο, κακῷ δ' ἐνέκυρσαν ἔτοιμῳ.

150 sequi : secare *edd.*

151 δέ τις : *om.* 1561.

152 ἔνδοθι : *ἔδοθεν* 1561.

153 βαθυδινέα : βαθυδινεαν 1561.

154 εἰαμενὴ : *ἰαμμενή* 1561.

155 πάντῃ βυθός : οὐ βαθείας 1561.

[254] Ex quibus adsequimur Heræum promunturium esse contra Chalcedonem, habens multas cautes concavas circa mare, quod intus recedens sinum efficit. Quem intuens putat profundum esse, cum reuera sit prorsus fruticosus et herbosus, et minime profundus. Nam eo qui naues adduxerunt, putantes protectionem naturalis portus, in præsens inciderunt periculum. Ex his Demosthenis uersibus percipimus Ἡραῖον esse promunturium, quod hodie uocant acram Ioannis Calamoti, et sinum, quem Demosthenes describit, esse illum, quem ab occidente claudit promunturium, in quo fuit Chalcedon, et promunturium Ioannis Calamoti cingit ab oriente. Cuius ostium patet in latitudinem octo circiter stadiorum, totus uero eiusdem ambitus complectitur plus minus quinque milliaria. Cannarum siluis herbisque frequens eius ora cernitur, unde nomen templum proximum Diui Ioannis Chrysostomi Calamoti inuenit. Hic sinus olim duos portus molibus munitos habuit, unum olim nominatum Eutropii, nunc Irenæ, situm in litore sinus occiduo iuxta Chalcedonem, alterum nominatum Heræum, positum contrario in litore ad orientem pertinente. Hos ambos portus fuisse in sinu Ioannis Calamoti ex Procopio percipimus, cum ait *aedes regias [...] Iustinianum construxisse [...] in Heræo, quod [...] Iustiniani temporibus Hierion siue Hieriam appellarent [...], ibidemque [...] portum molibus sapsisse, et litus [...] {quæ} antea utrimque uentis et [...] undarum incursibus expositum [...] tutum a uentis effecisse [...], innumerabilibus et maximis [...] arcis [...] saxorum plenis, in uadum aliis supra alios usque [...] iniectis [...]*, quoad utrimque brachia exaggerata supra aquam [...] extiterunt, extrinse-[255] cusque circa moles saxis [...] rudibus et duris *projectis [...] ad excipiendos impetus fluctuum et uentorum hiemalium [...] portum quietum perfecisse, unumque in portum aditum nauibus reliquisse [...].* Addit Procopius, ut iuxta portum Iustinianus *aedes sacras [...] condiderit, et porticus et [...] uias, balnea publica, et alia fere omnia [...] ædificari, nihilo inferiora regiis ædibus Vrbis.* Deinde adiungit *portum alium construxisse in contrario continente, in locis Eutropii nominatis, non longe remotis ab Heræo.*

Ex quibus patet portum Eutropii esse Chalcedonis portum spectantem ad solis ortum, portumque Heræum illum quem nunc uocant molem Ioannis Calamoti. Horum amborum portuum usque ad hanc diem molium et brachiorum uestigia exstant magna quidem ex parte diruta, sed quæ nonnullam stationem nauibus accommodent. Reliquorum uero ædificiorum uestigia funditus deleta sunt, exceptis parietibus ædis sacræ, et cisterna maxima, undique latericiis parietibus cincta, sed spoliata tecto testudinato et columnis testudinem sustinentibus, de qua Georgius Cedrenus ita scribit : Macedonius rex palatia in Heræis exornauit, et [...] cisternam expurgauit, quam Heraclius [...] terra obruerat, in hortumque [...] redegerat oleribus [...] consitam. Idem paulo infra ait : Rex Heraclius ubi sui diei natalis rationem a Stephano philosopho didicisset [...], prædicente Heraclium ex aqua [...] interiturum, cum alias cisternas [...] obruit, tum illam sitam in Heræis. Quam Macedonius perpurgauit, regiasque ædes in antiquam formam restituit, et pro horto in cisterna consito nymphæum aqua lucida abundans induxit. Cum autem multorum scriptis celebretur palatium Heræum, e multis nonnullos, qui mihi iam uenient in mentem, adferam. Sozomenus scribit Theodosium regem mandasse Demophilo præfecto Arianis Constantinopolitanis, ut curaret statuta in concilio Nicæno seruare, et populum in unum consensum reducere, aut ab ædibus sacris cedere. Demophilus aduocauit contionem populi, atque regis sententiam declarauit, et [...] abstinenus ab ædibus Vrbis contionem indixit in suburbana Hieria nuncupata. Quoniam [...], inquit, lex præcipit [...], si uos persecuti fuerint ex [...] una urbe, fugite in aliam. Alii historici tradunt Constantimum Iconomachum contra [...] imaginum cultum concilium iniquum trecentorum<sup>156</sup> triginta octo episcoporum habuisse in palatio Hieriæ. Prætereo ceteros, unam dumtaxat inscriptionem subiungam quæ erat incisa in aditu Hieriæ :

---

156 trecentorum *om. edd.*

τοῦτον Ἰουστινιανὸς ἀγακλέα δείματο χῶρον,  
ἔδατι καὶ γαίῃ κάλλος<sup>157</sup> ἐπικρεμάσας.  
κοίρανοι, ὑμετέρην ἀρετὴν κάρτος τε καὶ ἔργα  
αὐδήσει χρόνος αἰὲν ἔως πόλος ἀστέρας ἔλκῃ.

Iam ut planius intellegatur situs promunturii Heræi, et an idem, quod aliqui existimarunt, Heræum, et Eurion et Hyris, describam oram maritimam, ab acra Ioannis Calamoti usque ad aliquem finem. Promunturium Calamoticum circuitu complectitur amplius octo stadia. Eius ceruix efficiens isthmum non excedit latitudinem ducentorum passuum. Vrnæ similitudinem gerit, seu ollæ, nam ut olla est collo angusto, ita illud ceruicem habet angustam, deinde dilatatur, intumescitque in ambitum circiter octo stadiorum, sed ita ut undique fit crepidinibus præruptis et saxosis, præterquam a ceruice. Quæ ita plana est, ut ex utroque litora aspicientes mutuo [257] aspectu fruantur. Forsan ita Heræum promunturium appellatum est Εὔροβος ab olla defossa. Sic enim Stephanus ait : *Promunturium Heræum [...], contra Chalcedonem [...]* situm, quod *alii [...] Εὔροβος*, siue *Εὔριον* appellarunt, *hi qui aiunt ibi chytras*, hoc est ollas, *defossas [...] inuenisse, et ossa*. Verum aliam esse acram Heræam, aliam Εὔροβος, siue Hyrim, patet ex Artemidoro. Is enim scribit, *ab Acrita [...] promunturio nauiganti centum decem stadia, situm esse promunturium Hyrim*, siue Euron, *nuncupatum [...]*, cui obiecta est insula Pityodes et alia insula nomine Chalcitis. Quæ ut explicatiū percipientur, describam subsequens litus. Post promunturium Heræum pergenti ad sinum Nicomediæ succedit aliud promunturium, quod uulgas uocat Zarritrion. Nescio an quasi Χυτρίδιον, nam accolæ in hunc diem iactitant inuenisse ollam auro plenam in huius loci uicinia. Ex insula Pityode nauigaui recta uia in continentem ad uillam sitam in ora maritima, quam Græci uocant Obriam, siue Abriam. Turci appellant eam Maltepet, sitam ad radices extremas promunturii positi contra Chalcitum. Vide, an hoc sit Euron, siue Hyris, promunturium, an illud quod iam dixi appellari Zarritrion. Verum ut melius intellegatur situs Chalcedonis, et ubi fuerit Ἡρατον, paulo extra Bosporum uagabor, sed in conspectu Chalcedonis et Byzantii, quod paulo post descripturus sum.

*De insulis suburbanis Byzantii et Chalcedonis, et primum de insula Prota, et de Oxia et  
Platy*  
CAPVT XII

*ARTEMIDORVS* in undecimo libro *Geographiæ* ait : *Ab Acritico [...] promunturio præternauiganti Euron stadia centum et decem, promunturium situm est, appellatum Hyris, [258] et insula huic obiicitur Pityodes, et altera insula nominata Chalcitis et alia Prota dicta, a [...] qua ad [...] urbem Chalcedonem stadia quadraginta.* Protam appellatam existimo, quod prima occurrat uenientibus Byzantio et Chalcedone. A Græcis usque ad hanc diem nominatur Πρώτη. Distat ab urbe Byzantio paulo amplius sexaginta stadia. Eius longitudo a septentrionibus procedit ad meridiem. Iuxta eius litus uergens ad orientem uicus est sub se habens portum subiectum. Supra uicum duæ cisternæ rotundæ, quarum maior laxatur in amplitudinem magni hemisphærii thermarum magnarum Byzantiarum. Insula duobus uerticibus prominet, altero uergente ad septentriones, altero ad cardinem meridianum. Dicitur circuitu complecti circiter tria millaria. A meridie habet insulam Antigonon, a qua abest octo circiter stadia.

Inter meridiem et occasum brumalem intuetur duas insulas, quarum altera Platys, altera Oxia appellatur, in acutum uerticem fastigata, undique præceps et prærupta. Altitudine ad perpendicularm dimensa superat omnes colles Byzantii. Ex aliquibus partibus ascensus in ipsam non patet ob directos cliuos. Multa etiam nunc uestigia retinet cisternarum aliorumque

157 κάλλος : κάλος 1561.

ædificiorum. Aiunt ibi regiam arcem, et uelut secessum Caprensem aliquorum regum exstissee, quod a rei ueritate omnino alienum non uidetur, propterea quia naturali munitione tuta uidetur. Habet portum subiectum orienti, cuius moles distractæ cernuntur. Lauro abundat, et multis generibus florum, sed nusquam circa Byzantium tanta cibi bonitate ostreæ capiuntur quam circum hanc insulam. Ab hac non longe est Platys insula humilis et fere plana.

[259] *De insula Antigono et de insula Pityode*  
CAPVT XIII

QVAM Græci nostræ ætatis appellant Antigonon, Zonaras ait olim uocatam *Panormum insulam* [...] *nunc Antigoni nominari*. Plinius inter insulas Proponticas numerat Antiochiam : uide num aliquis codex Plinii antiquus habeat Antigoniam. Insula ab aquilone efficit litus excelsum et præruptum. Eius quædam pars intuens meridiem eminet rupibus præruptis usque ad summum ferme uerticem. Ab occasu sunt litora rupibus præruptis aspera, sed longe demissiora. In omnes partes exsistit declivis. Vndique eius ascensus est stadiorum circiter quattuor. In multo excelsiorem altitudinem effertur quam Prota. In summo uertice ædes sacra etiamnum exstat, et iuxta ædem cisterna Signino opere munita, concamerata latericio tecto. Sunt ibidem etiam putei iugis aquæ. Ab oriente habet uicum in litore situm. Circa uicum sunt aliquot uineæ. Reliquæ partes sunt tectæ erica, arbuto, rore marino, ilice, ladano. Tota insula lapidosa scatet minutis lapillis.

Contra uicum est insula exigua, cuius circuitus non excedit quattuor stadia, altitudo non superat quinquaginta passus (intellege quos conficere soleo in ambulando, ut intellegi oportet in omnibus passibus ante iam a me commemoratis). Quæ uulgo appellatur Pitys. Hæc Pityodes dicitur ab Artemidoro, quam tradit sitam contra continentis acram nuncupatam Ὑπίν. Evidem cum Artemidorus ordinatim ponat Pityodem, et Chalcitin et Protam, existimo Pityodem Artemidorum intellegere esse aut Antigoniam aut eam, quam iam Græci appellant insulam Principem. Nam cur commemoraret tam exiguum insulam, et proximam magnam præteriret ?

*De Chalcitide insula*  
CAPVT XIV

CHALCITIS insula a Græcis nostræ ætatis nominatur Chalcis. Distat ab Antigonia quattuor stadia. Menippus in *Periplo Bithyniæ* Chalcitidem *insulam* constituit contra Chalcedonem, eamque dicit *habere æris metalla*. Chalcitidem eamdem esse quam Stephanus appellat Demonesum, adsequor ex eo quod dicit Demonesum, *insulam* sitam circa Chalcedonem [...], *habere [...] cyani metalla et chrysocollæ, et aurum [...] pretiosum et coronarium*, quod *oculis ægrotantibus medicinam* adferat. Nulla alia insula circa Chalcedonem metalla habet, nisi Chalcitis. Aristoteles similiter scribit : Demonesum, inquit, *insulam Chalcedoniorum* (sic enim legendum est, non ut habet codex editus Καρχηδονίων) a Demoneso [...] homine *appellatam esse, habereque [...] cyani metalla et chrysocollam [...]*, et aurum eximum in ea inueniri, quod *sit oculis remedium [...]*, atque *æs* quod Aristoteles appellat χαλκὸν κολυμβητήν, ex eo, opinor, quod, ut ipse addit, ex mari profundo *duos [...] passus urinatores* illud extrahant. *Ex quo* factam idem adiungit *statuam in urbe Sicyone statutam in antiquo templo Apollinis*. Ex antedictis liquet, quam erret Plinius, qui dum enumerat insulas Propontidis, dicit Demonesum, *insulam* sitam esse ante Nicomediam, cum nulla insula exsistat in sinu Nicomediæ olim appellato Astaceno.

Verum ut clarius perspiciatur Demonesus eadem insula esse quæ Chalcitis, ut nunc sunt ostendam [261] uestigia metallorum, et situm insulæ, quæ tribus uerticibus seu collibus intumescit. Vnus uergit ad aquilonem, alter ad occasum, tertius ad orientem. Insulæ latus

meridianum est præceps et abruptum in rupes, excepto sinu admittente recessum maris portuosum, quoquouersus patentem paulo plus stadio, tutum ab omni uento, excipio austrum. Circa hunc sinum exsistunt aggeres scrobium, pleni ruderibus cœruleis, reiectis ex effosse aeris et chrysocollæ et cœrulæ. Atque inter ipsa rudera collegi eximum cœruleum et absolutam chrysocollam. Quod si uadum maris ibi effoderetur, sine dubitatione inueniretur aurum illud ab Aristotele laudatum. Aggeres scrobium sunt in radicibus uallis supra sinum iam dictum eminentis, et secantis insulam a mari meridiano ad mare septentrionale. Cuius quidem uallis in parte media elata in iugum insulæ est domicilium solitariorum sodalium Græcanicæ religionis, ubi nymphæ magna Signino opere elaborata, plena iugi aqua manante ex uertice pertinente ad orientem. Litus intuens solis ortum habet uicum nuncupatum a nomine insulæ ; sub uico statio nauigiorum.

### *De insula Principis*

#### CAPVT XV

INSVLA Principis, distans a Chalcide circiter quinque stadia, nominata est a frequenti habitatione filiarum principum, uirginitatem solitariam profitentium. Georgius Cedrenus ait Iustinum nepotem Iustiniani *ædificasse* [...] solitariam uitam agentium domicilium, nominatum *Principis suburbanum* Constantinopoleos. Zonaras scribit Nicepho-[262] rum Irenen *exsulem eiecssisse in insulam* [...] *Principis appellatam, in qua monasterium ipsa ædificauerat*, unde fortasse insula appellata fuit Principis. Longe dimidio maior exsistit quam Chalcitis. Omnes antedictas insulas altitudine superat aut æquat. Ab oriente æstiuo uicum habet nominatum Principis, situm in planicie litorea. In eius litore uergenti ad ortum æquinoctiale spectantur fundamenta sumptuosa antiqui monasterii, ubi amplius quingentæ solitariæ feminæ uiuere solebant. Contra monasterium sita est insula exigua, paruo interuallo distans, nominata Anterobinthos<sup>158</sup>. Inde in eodem litore sequitur uicus nominatus Carya. Supra uicum modice eminet iugum contractum in ullem cinctam duobus uerticibus, quæ secat mediam insulam ab ortu ad occasum. Insulæ litus intuens meridiem rupibus circumuallatur. Litus uero spectans ad solis occasum, minoribus rupibus cingitur. Denique insulæ circuitus non excedit sexaginta stadia.

Habet a meridie uicinam insulam, quam uocant Andron. Ab oriente æquinoctiali habet alteram insulam nominatam Diui Andreæ, distantem plus minus decem milliaria, undique excelsis rupibus et præruptis munitam, excepto latere conspiciens solis ortum, ubi domicilium sodalium sectæ solitariæ. Diuiditur hæc insula a continenti mari lato quattuor stadia. Paulo ultra hanc insulam pergenti ad sinum Astacenum eminet promunturum, quod usque ad hanc ætatem appellatur Acrita, ut uocatur a Ptolemæo, quod Menippus dicit distare ab urbe Chalcedone stadia sexaginta.

Omnis antedictæ insulæ abruptæ a continente uidentur. Quarum quattuor, nimurum Prota, [263] Antigonos, Chalcitis et Princeps faciunt sinum suo latere uergente ad aquilonem, ut Prota et Princeps sint sinus cornua, Antigonos et Chalcitis efficiant intimum sinus recessum. Cum aspicis ex Protæ latere uergente ad solis ortum, aduertis sinum factum ex quattuor insulis, nec uides euripos intercedentes inter insulas, ut rei ignarus quattuor insulas unam eamdemque insulam existimaret quattuor collibus intumescentem, primumque collem numeraret Protam, secundum Antigoniam, tertium Chalcitim, quartum Principem. Euripus separans insulas a continente patet in latitudinem paulo amplius sexaginta stadiorum.

Hæc adiungere uolui de insulis suburbanis Byzantii, uelut præparationem ad clarius percipiendum situm Byzantii, quem e uestigio subiungere cogito. Reliquas Propontidis insulas

---

158 Anterobinthos : Anterovitos *edd.*

longe ab Vrbe remotiores, ut *Proconnesum [...] Ophiusam, Acanthum, Phæben, Scopelon, Porphyriōnem, Halonem [...], Delphaciam, Polydoram [...], Elæam, et duas Rhodiussas, [...] et contra fauces Rhyndaci Besbycon*, cuius meminit Dioscorides, reiicio in meum *Periplum Propontidis et Hellesponti*.

FINIS.

**DE TOPOGRAPHIA CONSTANTINOPOLEOS ET DE ILLIVS ANTIQVITATIBVS**  
*libri quatuor*

*AD REVERENDISSIMVM ET ILLUSTRISSIMVM D. GEORGIVM  
CARDINALEM ARMAIGNACVM*

[(aa 4<sup>r</sup>)] In æde diui Marcelli, Romæ,  
hæc sunt inscripta, una cum effigie uita  
functi, sed dico similia, aut in pariete af-  
fixa, uel in marmoreo lapide sculpta.

**D. O. M.**

PETRO GILLIO VIRO PROBO, VTRIVSQ. LINGVÆ  
DOCTISS.

EX AGRO ALBIENSI APVD GALLOS FERTILISS. NATO  
OB SINGVLARES ANIMI DOTES

ET INDEFATIGABILEM IN VESTIGANDIS ANTIQUOR. MONVMENTIS,  
COMPONENDIS INTERPRETANDISQ. OMNIUM DISCIPLINAR. LIBRIS,  
TOTIVS ORBIS LVSTRANDIS INDAGANDISQ. LOCIS  
NATVRAM SOLENTIAM ET DILIGENTIAM  
PVBLICE PRIVATIMQ. LAVDATISS.

[(aa 4<sup>v</sup>)] POST LONGAS ANNOR. PM. XI PEREGRINATIONES  
TERRA MARIQ.

PERAGRATAS GALLIAM ITALIAM GRÆCIAM ASIAM UTRAMQ.  
ET AFFRICÆ PARTEM

AC MIRACVLOSAM E MANIB. ET CARCERE PIRATAR. GERBEOR.  
LIBERATIONEM

ROMAM QVASI POSTLIMINIO REVERSO, ET IN RECOLLIGENDIS  
ORDINANDISQ. RERVM CELEBRIVM NARRATIONIB.

DIES NOCTESQ. OCCVPATO  
FEBRE VIOLENTISS. PER DIES XI VEXATO  
DIEM SVVM IN CHRISTO IESV OBEVNTI,

**GEORGIUS CARD. ARMENIACVS PATRON. PIENTIS.**

CLIENTI GRATISSL.

IN SPEM RESVRRECTIONIS MORTVOR.

BENEMERENTI MŒSTISS.

NON. IAN. M. D. LV.

P. C.

VIXIT ANN. LXV, MENSES VI, DIES V, HORAS III

OSSA GYLLII.



## [1] IN DESCRIPTIONEM CONSTANTINOPOLEOS

## PRÆFATIO

VBI SITVM ILLIVS ET COMMODITATES OSTENDIT.

CONTANTINOPOLIS sic in peninsula sita est, ut totum isthmum occupet peninsulanum. Ex tribus enim partibus mari alluitur, neque solum ex sese munita est, sed etiam suos suburbanos longos agros, iter duorum dierum latos, amplius uiginti milliaria munitos habet peninsula, quam efficiunt Pontus, Bosporus, Propontis, olim ab Anastasio muro clausam. Ita fit, ut situs Vrbis duplici peninsula munitus arcem se declareret totius Europæ, atque adeo principatum totius orbis præ se ferat, eminens in fauces Europæ, atque Asiæ. Nam præter alias felicitates immensas, hanc habet summam, quod mari portuoso ex tribus partibus cingitur, a meridie quidem Propontide, ab oriente Bospori freto, ab aquilone sinu maxime portuoso. Qui non modo claudi catena potest, sed etiam sine catena hostibus infestus est, Constantinopolis et Galatae muris stringentibus eius latitudinem in stadia paulo minus quattuor, ut et machinis, et igne liquido hostium naues sæpe perierint. Adde quod nihil munitius fieri posset, si accederet [2] ars muniendi nostra ætate usitata, si quattuor portus, quos olim intra muros clausos habebat catenis, restituerentur. Quorum duobus antiquum Byzantium ornatum trienniam<sup>159</sup> Seueri obsidionem sustinuit, nec nisi fame totius orbis uiribus capi potuit. Nam præter commoditates, quas habet Propontidis et Ægæi maris, sic totius ponti Euxini imperium habet, ut uno ostio id clausum teneat, scilicet Bosporo, quem transire nemo potest inuita Constantinopoli. Quo fit ut totius Ponti diuinitæ sint in eius potestate, fiue importatæ, siue exportatæ. Exportatur autem tanta copia pellium cuiusuis generis, mellis, ceræ, seruorum aliarumque rerum, ut sufficient magnæ parti Europæ, Asiæ, Africæ. Importantur uina, olea, frumenta aliaque infinita Asiæ, Africæ, Europæ, ut copiam sentiat Mœsia<sup>160</sup>, Dacia, Pannonia, Sarmatia, Mæotis, Colchis, Iberia, Albania, Cappadocia, Armenia, Media, Parthia, utraque Scythia. Itaque non modo omnes barbaræ nationes coguntur amicitiam huius Vrbis amplecti, sed etiam oræ omnes maritimæ et insulanæ, si Ponti diuinitis frui uelint. Adde, quod nemo ultro citroque traiectiones Asiæ Europæque facere potest inuitu Byzantio, cum sit uelut pons et porta utriusque orbis. Dicerem solum, nisi Hellespontus esset, sed is infinitis partibus inferior censemur, nimirum longe amplior, et sinum non habens Byzantium, quo Vrbs peninsula fiat portuosa. Ac si haberet, tamen Euxino ponto non uteretur inuitis Byzantiis, id quod si ratione non capimus, exemplo adsequi possumus.

Constantinus in Sigæo promunturio eminenti in fauces Hellesponti Constantinopolim ædificare cœperat, sed ea relictæ, in [3] promunturio Byzantino eam ædificauit. Troia quidem insignis urbs, sed cæcorum, qui non præuiderint situm Byzantii. Cæci omnes, qui ante Byzantium urbes ædificarunt in ora Hellesponti aut Propontidis, quæ etsi aliquamdiu floruerunt, funditus tamen aut euersæ sunt, aut in uicos redactæ. Ac si restituerentur, Constantinopolis, ut præstantior eis dominaretur. Quamobrem iure dicere possumus eam, non modo Ponti, sed etiam Propontidis et maris Ægæi clauem esse. Laudatur Cyzicus [...], quod *duobus pontibus* coniungeret insulam *continenti*, et duos sinus contrarios inter se copularet, quam Aristides scribit esse *uinculum* Ponti et Ægæi. Sed quis non uidet quam laxum? Inter Cyzicum et Europam Propontis lata intercedit. Qua ut inuitis Cyzicenis transitiones in utrumque mare fieri poterant, ita Cyziceni inuitis Hellespontiis et Byzantiis habere utriusque maris commoditates non potuerunt. Prætero Heracleam, Selymbriam, Chalcedonem in Propontidis ora sitas. Olim quidem nobiles hominum industria et loci natura, sed principibus

<sup>159</sup> trienniam : triennium *edd.*

<sup>160</sup> Mœsia : Mysia *edd.*

commoditatibus priabantur portuum similium Byzantino portui, qui nullis uiribus hostium obrui potest. Illarum iampridem portus obruti sunt, atque adeo carebant potestate Bospori et Hellesponti, quibus uti non poterant sine uoluntate Bosporanorum et Hellespontiorum. At Byzantini iis omnibus inuitis uti poterant Ponto.

Itaque ei accidere non potest, quod accidit suis uicinis, aliisque quamplurimis maximis urbibus. Quæ tot annos iacentes in ruinis, aut excitatæ non sunt, aut si restitutæ, non tamen in pristina sede. Deletæ sunt uicinæ, et nondum restitutæ. Deleta est Memphis, sed [4] adhuc iacet, cum Caïrica Babylonie ex castello magna urbs euaserit in eius uicinia sita, utraque carens opportunitatibus Byzantii. Prætero Assyriam Babylonem, quæ etiam cum floreret uidit uicinam urbem ædificari, sibi non cedentem<sup>161</sup> de magnitudine. Cur Alexandria non reædificatur, nisi quia hominum industria magis, quam natura consideret? Romam antiquam restituit Petri sanctitas et Romani nominis auctoritas, potius quam naturalis situs mari carens portuoso. Sileo Athenas et Lacedæmonem, quæ magis pertinaci hominum uirtute, quam situs commoditate excelluerunt. Omitto *duo illos oculos oræ maritimæ*, Corinthum et Carthaginem. Quos eodem ferme tempore effossos, primum Iulius Cæsar restituit, deinde rursus funditus erutos nemo instaurauit, quamuis Carthago sita in peninsula portuosa quidem, sed duo maria non coniungens. Quamuis Corinthus bimaris arx Peloponnesi, clavis et *compes Græciæ* nominata sit, tamen duo maria ne duos quidem sinus proximos, quos circuitus peninsulæ coniungit, umquam coniungere non modo ipsa potuit, sed ne uires quidem imperii Macedonici atque Romani. Id quod artificio potuit Cyzicus, et natura Chalcis Euboïca, altera Græciæ clavis existimata, quarum omnium circuitus fieri breui declinatione poterant. At Constantinopolis clavis duplicitis orbis, et maris Ægæi et Euxini, quæ nulla nauigatione, nulla circuitione ne totius quidem orbis iungere possis, nisi ore Byzantio. Prætermitto Venetas, quæ magis clauduntur mari, quam claudant maria, magisque laborant maria seiungere et repellere, quam coniungere.

Sileo totius orbis omnes situs, qui urbes habue-[5] runt, habent aut habituri sunt. Nullus umquam inuenietur, qui tot et tantas commoditates habeat non modo ad imperandum, sed ne ad priuate quidem uiuendum. Caritatem annonæ numquam aut rarissime sentit, cui continuus campus Thracius frumentarius, amplius quoquouersus plus minus septem dierum iter, alicubi uiginti dierum. Et eo amplius prætero Asiam uicinam proximam, ubertate agrorum frumentariorum et pastionibus redundantem. Sileo ex utroque mari facilem uecturam, iam uini copiam. Præterquam quod ipsa fert, habet oram Bospori, Propontidis, Hellesponti uinetis consitam, et facili nauigatione infinita genera habere potest, ceterasque delicias, ut Theopompus scribat, ex eo quod Byzantium esset nobile emporium, *populum omnem in foro et portu et [...] cauponis uersari solitum*, dantem operam Baccho. *Menander*, in [...] comœdia nominata *Auletride*, ait *omnes mercatores temulentos facere Byzantium*. *Totam [...]*, inquit, *noctem [...] bibo, surgo habens quattuor capita*. *Exagitant comici [...] Byzantios [...]*, quod cum urbs obsidione premeretur, *non alia ratione eos exercitus imperator [...] in mænibus continere potuit, quam cum prope muros cauponas collocasset*, quod ut fuit popularis gubernationis uitium, ita loci uirtutem et copiam ostentat omnium rerum. Carnium quanta sit copia, norunt qui uiderunt, atque si uenatores essent, nusquam copiosiores uenationes et aucupia. Fructibus autem omnis generis, omnis temporis fora abundant. Quod si nostates negent, dicam, considerent, quantum natio Mametana conficere possit leniens uini desiderium pomis, pyris reliquisque omnibus fructibus. Lignorum uero abundantiam habet tan-[6] tam, ut nullis seculis abundatura non sit, cum ex Europa, tum ex Asia. Siluae enim immensæ, perennes, longæ iter plusquam quadraginta dierum, continuatæ a Propontide ad Colchos, et longe ulterius, ut non modo sibi ac uicinis, uerum etiam longinquis atque adeo ipsi Ægypto et

---

<sup>161</sup> cedentem : cedentes 1561.

sinui Arabico atque Africæ materiam suppeditet in ædium nauiumque ædificationem. Solaque ex maximis urbibus est, quæ numquam incidet in lignorum penuriam, non modo ad ignem faciendum, sed ne ad ædificia quidem et naues, in quam nostra ætate uidemus incidisse maximas Europæ Asiæque urbes. Piscium uero redundantia excellit Massilia, Venetia, Tarentum, sed omnia superat Constantinopolis, qua uelut per portam pisces duplicitis maris transeunt. Neque modo per Bosporum transeunt, sed ad Byzantium feruntur relicta Chalcedone, ut *uno reti uiginti nauigia [...] impleas*, atque sine retibus sæpe manibus ex continenti capias. Atque adeo cum uerno tempore in Pontum ascendunt densi greges, iactu lapidis uelut aues ferias. Ex fenestris quoque Vrbis calathis ex corda appensis mulieres piscentur, hamisque pescatores sine esca pelamydes capiant tot et tantas, ut sufficient toti Græciae et magnæ parti Asiæ Europæque, et ne numerem piscium genera. Optimarum ostrearum tantam multitudinem capiunt, ut sufficient, ut tot dierum ieuniis, quibus Græci piscibus sanguinis participibus non uescuntur, quotidie uideas in piscariis foris multa nauigia ostrearum plena. Quod si Byzantii non tanta esset carnis copia, si piscibus delectarentur, pescatoresque essent ea industria, qua Veneti et Massilienses, libereque piscari possent, non autem medium [7] partem pescationis Regi Turcorum tribuerent, profecto omnes angiportus quotidie implerentur piscibus.

Iam Nouæ Romæ cælum quispiam damnabit, ut Ponticum. Ego expertus sum salubrius quam antiquæ Romæ, atque ex multis annis uix unius aut alterius anni hiemem perfrigidam, calores autem aestiuos temperatos esse anniuersariis septentrionibus, quibus adsidue fere tota æstate aer serenus est. Hieme tepescit austris, quibus aer serenus fit, septentrionibus pluuius, contra quam in Italia et Gallia fieri solet. Peste uero minus acerba minusque mortifera, nec frequentiori quam magnæ urbes laborare solent, rariusque laboraret, nisi plebis multudine et seruis sordide pastis impleretur.

Et ne uidear laudare rhetorum more, quæ uix sophistarum acerbitate reprehendi potest, hoc uno malo laborat, quod barbaris frequentius quam excultis humanitate habitabitur. Non quin sit apta ad molliendos homines etiam barbarissimos, sed quod ob copiam humanarum rerum eius habitatores remollescent ad resistendum barbaris, quibus longe lateque circumdata est. Vnde fiet ut, etsi ad imperandum natura sit comparata, tamen educatione et disciplina nequaquam utentur illius incolæ, copiaque rerum neglegentes fient, et superbia loci rationem consuetudinis, caritatis et familiaritatis cum hominibus habendæ neglegent, unde ob insolentiam odio hominum extrudentur, aut in dissensiones incident, quibus Christiani ciues laborantes amiserunt Vrbem et imperium. Sed dissentiant quantumlibet Vrbemque, ut sæpe fecerunt, inflammat et funditus euertant, tamen numquam deerit, qui eam restituat ob loci opportunitatem, sine qua pontus Euxinus [8] rursus Axinus efficeretur, ob copiam barbarorum Pontum cingentium. Quis enim, nisi longo huius urbis imperio castigati essent, siue mari, siue pedibus proficiseretur ad oras Ponticas latronibus plenas ? Quis Bosporum, quem utrimque accolunt barbaræ gentes, penetraret ? ac si quis penetraret, tamen Thracibus accolis Ponti rediens aberraret ad ostium Bospori, falsa, ut olim facere solebant, lumina pro pharo prætententibus. Non igitur modo nauigatiuonem Ponti, Byzantium impedire potest, sed nemo sine eius subsidio, nauigare illuc potest. Quare cum totius Europæ Constantinopolis sit arx contra Ponticos et Asiæ barbaros, etiam si sæpe deleatur, semper non deerit aliquis, qui eam restituat, inuitatus loci opportunitate. Quis umquam hostis acerbius urbem aliquam euertit, quam Seuerus ? Attamen cum resipuit ab iracundia contra Byzantios, animaduertit se ab antiquis temporibus urbem habitam communem quamdam benefactricem omnium, Romani imperii *magnum [...] propugnaculum* deleuisse *contra barbaros Ponti et Asiæ*. Itaque restituere conatus est, nomineque filii Antoninam appellari uoluit. Cæteræ igitur urbes ut sint mortales, hæc sane quamdiu erunt homines futura mihi uidetur immortalis.



## LIBER PRIMVS

*De Byzantii conditoribus et de eius uaria fortuna*  
CAPVT I

BYZANTIVM conditum fuisse Stephanus atque Eustathius memoriæ prodiderunt a Byzante, Ceroessæ [...] et Neptuni filio, uel [...] ab eo, qui *classis Megarensium* coloniam deducentium dux fuit, nominatus Βύζης. Ego hunc etiam Byzanta appellatum arbitror, nam a Byze Byzeum, potius quam Byzantium, diceremus. Philostratus in *Vita Marci sophistæ Byzantini*, ducem illum classis Megaricæ nominat Byzanta, cum scribit Marcum, quod referret originem sui *generis ad antiquum Byzanta*, [...] *profectum [...] Megaram*, carum habitum fuisse Megarensibus *coloniae Byzantinæ deductoribus*. *Quibus Pythium Apollinem consulentibus ubi conderent urbem, redditum oraculum est, quærerent sedem cœcorum terris aduersam. Ea ambage Chalcedonii<sup>162</sup> monstrabantur, [10] quod priores aduecti illuc, præuisa locorum utilitate, peiora legissent.* Quod autem apud Iustinum scriptum est, a Pausania Spartano Byzantium conditum, ita intellegendum existimo, ut qui Sycam, quam hodie uocant Galatam, a Genuensibus conditam esse adfirmant, et Constantinopolim a Constantino, qui aut reædificarunt, aut amplificarunt, non autem primi ædificarunt. Nam cum ex Herodoto intellegam Dario inuadente Thraciam *Byzantios [...] et [...] Chalcedonios ne exspectasse quidem [...] aduentum Phoeniciae classis, relictis suis urbibus in interiora Euxini Ponti discessisse, ibique [...] Mesembriam condidisse, Phœnices autem Byzantium, Chalcedonem combussisse*, arbitror Lacedæmonios Pausania duce coloniam illuc deduxisse, et Byzantium, siue coloniam prius Megarensium, siue sedem ciuium a Byzante Neptuni filio conditam restituisse. Eustathius dicit *Antoninam appellatam fuisse [...] ab Antonio Bassiano Seueri Cæsaris filio*, sed *quamdiu pater uixit*, id nomen obtinuisse. Deinde multis post annis *nominata est Noua Roma*, et Constantinopolis, et Anthusa, quasi Florentia siue Flora, a *Magno Constantino*, unde Priscianus appellat Nouam *Romam Constantinopolitanam*.

Apollo felices quidem prædixerat, qui eam incoherent, sed utramque fortunam sæpe experta est. Primo magnis laboribus emersit impedientibus Thracibus, Bithynis et Gallogræcis. In singulos enim annos octoginta talenta Gallis in Asia dominantibus diu pensitauit. Maioribus creuit, nec solum externis, sed etiam domesticis frequenter uexata. Nunc optimatum gubernabatur statu, nunc populari, uariasque partes secuta est. Sed diu floruit in republica, lateque in [11] Europa atque Asia dominata præsertim Bithynis, ut *Phylarchus tradat in sexto libro Historiarum [...] Byzantios sic dominos fuisse Bithynorum, ut Lacedæmonii fuerunt εἰλότων*, quorum fortuna media erat inter seruorum et liberorum conditionem. Hæc respublica Ptolomaeorum Ægypti regum nomen coluit, ut Philadelpho honores diuinos tribuerit, templumque illi excitarat in conspectu suæ urbis. Nomen imperii Romani fouit, primo *aduersus regem Macedonum cui, ut degeneri Pseudophilippi [...] impositum nomen. Sileo missas [...] copias in Antiochum, Persen<sup>163</sup>, Aristonicum, et piratico bello adiutum Antonium*. Mithridatis impetum ægre repulsum et ceruicibus interclusum suis sustinuit. Et simul *Sullæ<sup>164</sup> [...] Lucullo [...] Pompeio [...] ualde auxiliata est, quando ea loca [...] insideret quæ transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque, simul uehendo commeatui opportuna forent*. Tandem Nigri partes secuta contra Seuerum, omni dignitate principatus spoliata est, et Perinthiis subiecta, et balneis, et theatris, muris quibus ualidis excelsisque

<sup>162</sup> Chalcedonii : Chalcedones *edd.*

<sup>163</sup> Persen : Perseum *edd.*

<sup>164</sup> Sullæ : Scyllæ 1561.

munita erat, *lapide quadrato et molari* constructis, potius quam Milesio, ut placet Politiano. Nam neque ex illo antiquo Milesio, neque Miletopoli excisus fuit, cum Miletus remotissima<sup>165</sup>, et Miletopolis posita *iuxta Rhyndacum* fluum nullas nobiles lapidicinas habeat, quam quidem uidi funditus euersam, lacui Apolloniati propinquam, adhuc nomen retinentem. Muri *adeo* tenui *iunctura* [...] fuerunt, *ut Herodianus testetur, nemini* [...] *compositum opus, sed ex uno* perpetuoque *lapide* [...] uisum fuisse. *Ruinas ipsorum reliquiasque* Herodiani temporibus *qui uidebant, mirabantur* [...] *eos, uel qui* [12] *construxissent* [...], *uel qui deleuissent*. Dion, quem Zonaras citat, *muros tradit munitissimos habuisse Byzantium* [...], *quorum*<sup>166</sup> *lorica* [...] *lapidibus quattuor*<sup>167</sup> *pedes crassis, et qui regulis æreis comprehendenderentur, constructa erat, interioraque ipsorum* [...] *sic erant compacta, ut unus murus crassus omnis structura esse uideretur. Torres crebræ et magnæ* [...], *portas circum habentes alias aliis superpositas* [...], *muri ex parte continentis ualde excelsi* [...], *maritimi humiliores* [...] erant. *Duos portus intra murum habebat, catenis* [...] *clausos, quorum brachia* [...] *sustinebant turrem* [...] *multum eminentes*. Ipse cum Græco codice Xenophontis carerem, arbitrabar Xenophontem de alterutro horum portuum intellegere, ex Latina traductione quæ ita habebat : cum ex Chrysopoli Byzantium traiecerent, cumque ex Byzantio exclusi essent, milites Xenophontei repagula perfringere conabantur, *portasque se effracturos* [...] minabantur, *nisi* eas Byzantini *uoluntate aperirent* [...], atque *accurrerunt ad mare, et intra oppidum desiliere muris superatis, iuxta ipsius portus latera* quæ, *quod curuatis utrimque molibus prominent, chelas, id est acceptabula, Græci uocant*. At postea incidens in Græcum codicem, uidi nullam ibi mentionem portus esse, sed dumtaxat τὴν χηλὴν τοῦ τείχους, hoc est ad *crepidines muri*, siue ad *projecturas fulcientes murum*. Ac si χηλὴ τοῦ λιμένος legeretur, *brachium* potius aut *crus* uertendum fuisse. Dionysius Byzantius tradit Bosporii *primam circuitionem* [...] *excipere tres portus*. *Byzantii quingenta habebant nauigia*, [...] *quorum quædam erant dicrota* [...]. *Quibusdam* [...] *erant gubernacula ex prora et ex puppi* [...], *et gubernatores et nautæ duplices* [...], *ut siue inuaderent* [...], *siue retrocederent, necesse* [13] *non esset eas conuertere* [...], *hostesque fallerent in accessu et recessu*. *Byzantii Nigro uiuente et mortuo multa* [...] *mirabilia ediderunt triennium obsessi*. Neque modo *capiebant* [...] *hostium naues præter nauigantes* [...], *sed etiam tiremes* [...] *ex statione hostili* [...] abstrahebant. *Anchoras enim* [...] *urinatores sub aqua natantes abscindebant, et funiculis ad clausos pedum plantis*<sup>168</sup> [...] *adfixos* [...] *alligatis trahebant sua sponte adnare uisas*. Nec primi Byzantii hoc egerunt. Nam Tyrii assueti conchas aliaque eiusmodi sub aquis legere, profundo mari nantes, ex improviso anchoras hostium præcidebant. Quod Alexander ubi animaduertisset, ferreas catenas pro funibus alligari ad anchoras iussit. *Byzantii, cum omnia consumpsissent, tamen resistebant* [...]. *Lignis, quæ ex aedificiis detrahebant, et funibus ad naues utebantur, quos ex capillis feminarum suarum conficiebant* [...], interdumque statuas et equos proiiciebant in [...] suos hostes. *Vt uero* [...] *omnibus* [...] *esculentis destitui sunt, pelles aqua mollitas edebant, pellibusque consumptis* [...], *alii in alias* [...] *efferari cœperunt, humanis carnibus uescentes*. Denique fame oppressi *inuiti urbem dederunt* [...]. *Romani interfecerunt milites omnesque* [...] *principes ciues*. *Vrbs tota funditus euersa, muri diruti, quorum ostentatione gloriabantur, simulque theatris, thermis, omnique cultu atque honore detractis* [...], *in uici* [...] *formam redacta, Perinthiis adiudicata est*. Ea *capta Seuerus ualde*

165 Miletus remotissima : Miletum remotissimum *edd.*

166 quorum : quarum 1561.

167 quattuor : tres *edd.*

168 pedum plantis : *Grece εἰς τὸν ταρσούς*.

*laetatus est [...], eique libertatem abstulit [...] et dignitatem reipublicæ [...]. Tributo imposito, ciuum bonis publicatis, Perinthiis [...] Byzantium eiusque regionem largitus est. Seuerus postea Byzantium profectus, ut uidit ciues sibi obuiam egressos cum ramis oliuarum [...] suppli-[14] ces, deprecantes salutem et excusationem adferentes, cur illi obstitissent, abstinuit quidem a cæde, sed Perinthiis [...] subiectos [...] reliquit. Theatrum tamen illis dedit, et Κυνηγίου porticus et Hippodromum ædificandum [...] curauit, eidemque adiunxit thermas, quas ædificauit in templo Iouis, qui appellabatur Zeuxippus. Renouauit etiam [...] Strategium [...]. Quæ omnia Seuerus inchoauerat, Antoninus filius perfecit.*

*De magnitudine Byzantii*  
 CAPVT II

CONstantinopolitani ciues huius ætatis dictitant Byzantium comprehensum fuisse primo colle, hoc est sæpto Regio. Sed amplius fuisse liquebit ex his, quæ modo dicam. Recentes scriptores ita describunt Byzantium *incepisse [...] a muro Arcis et pertinuisse ad Eugenii turrim, ascendisse usque ad Strategium et [...] Achillis balneum [...] et portam Vrbicion [...] terrestrem Byzantii [...]*, inde *in Chalcopratia [...] et Milliarium [...]*, ubi altera porta terrestris Byzantiorum [...], hinc *ad [...] columnas Tzycalariorum<sup>169</sup> [...]*, ex his descendisse [...], et flexum fuisse [...] in Acropolim per Mangana et thermas Arcadianas. Quibus ut nonnullam fidem habeam, non tantum facit eorum in aliis permultis mihi cognita fides, quam Eustathius scribens<sup>170</sup> Athenienses usos Byzantio τῷ πολιχνίῳ, id est parua urbe, ad seruandas pecunias. Sed longe antiquior Zosimus historicus Byzantium ita describit. *In colle, inquit, situm fuit<sup>171</sup>, occupans partem isthmi, quem efficiunt sinus nuncupatus Cornu et Propontis [...]. Habuit portam in [...] fine porticum quas Seuerus imperator ædificauit, cum iratus esse desiisset Byzantiis, quod Nigrum tutati fuissent ho-[15] stem [...].* Byzantii murus<sup>172</sup> per collem [...] procedebat a parte occidentali usque ad Veneris templum et ad mare oppositum Chrysopoli, a boreali uero [...] parte simili modo descendens usque ad portum, quem uocant Neorium, et ulterius usque ad mare, quod e regione iacet oris Pontici per quod ad pontum Euxinum [...] nauigatur. *Hæc igitur, inquit ille, antiqua urbis magnitudo.* Sed Dionysius Byzantius Zosimo multo antiquior, ut ex eius scriptis cognoscatur ante Seueri ruinam scripsisse, ait ambitum Byzantii circiter quadraginta stadia complexum fuisse, quæ longe maius spatium complectuntur, quam illi tradiderunt. Herodianus Byzantium tempore Seueri urbem maximam omnium Thraciæ fuisse dicit.

*De Constantinopolis instauratione eiusque magnitudine*  
 CAPVT III

ZONARAS Constantimum Magnum scribit cupientem urbem [...] sui [...] nominis condere, primo [...] Sardicum {Asiæ} agrum delegisse, deinde [...] Sigæum [...] promunturium [...], post Chalcedonem et Byzantium. Georgius Cedrenus dicit Constantimum primo Thessalonicam delegisse, ibique biennum agentem loco delectatum, admirabilia tempла, balnea, aquæductus ædificantem, peste [...] interpellatum, locum hunc reliquisse, et profectum

<sup>169</sup> Tzycalariorum : Zonarii *edd.*

<sup>170</sup> Eustathius scribens : Eustathium scribentem *leg. ?*

<sup>171</sup> fuit : fuisse 1561.

<sup>172</sup> murus : muris 1561.

*Chalcedonem Bithynorum a Persis euersam [...], restituere incipientem [...], admonitum fuisse, ubi Constantinopolis condenda esset, ab aquilis lapillos architectorum iterum et sæpius ripientibus et Byzantium transportantibus. Zonaras idem scribit, lapillos non uocat, sed funiculos. Quod commenticum uidetur subreptum [16] ex Dionysio Byzantio tradente parum abfuisse, quin [...] Byzas conderet Byzantium in loco Semystra nuncupato, sito ad ostia Cydari et Barbysæ fluminum, nisi coruus rapiens ex media flamma partem uictimæ, et [...] deportans in promunturium Bosporum Byzantem admonuisset ibi condendum esse Byzantium. At mihi tam cæcus Constantinus non uidetur fuisse, quam Chalcedonii antiqui. Quorum cæcitate omnibus literarum monumentis decantata edoctus, prospicere potuit Byzantium, potius quam Chalcedonem, commodius Romani imperii domicilium esse. Quanto melius sentiunt longe antiquiores, e quorum numero est Sozomenus Salaminius et Zosimus, qui scripserunt suam *Historiam* tempore Theodosii Minoris. Hi, omissa mentione Sardicæ, et Thessalonicæ, et Chalcedonis, tradunt Constantimum cogitantem urbem condere sui nominis, æqualis conditionis parisque honoris Romæ, deprehendisse locum [...] inter [...] antiquum Ilium et Hellespontum, commodum ad urbem condendam, fundamentaque iecisse et muri partem in altitudinem excitasse, quæ in hunc diem uidetur in promunturio Sigæo — quod Plinius appellat Æantium, ex eo quod ibi Aiacis sepulcrum esset, emiens in extrebas Hellesponti fauces, ubi dicunt stationem nauium fuisse et tentoria habuisse Achæos militantes contra Troiam —, post Constantino commodiorem sedem uisam esse Byzantium. Quod trecentesimo sexagesimo secundo anno ab imperio Augusti [...] Constantinus [...] restituit, auxit, maximis muris circumdedit [...], nuncuparieque [...] Nouam Romam Constantinopolitanam lege sanciuit, quæ incisa in columna lapidea et publica in [...] Strategio prope [...] Con-[17] tantini statuam equestrem proposita erat. Cum autem indigenas ciues existimaret non sufficere magnitudini Vrbis [...], iuxta [...] fora sparsim ædificauit domos, quas dedit habitandas senatoribus atque illustribus uiris [...], quos secum duxerat ex [...] Vrbe Roma [...] atque ex aliis gentibus [...]. Fora constituit alia ad [...] Vrbis ornamentum, alia ad [...] usum ciuium [...]. Hippodromon, sacras ædes, fontes, porticus [...] instruxit, et Senatum<sup>173</sup> [...], quem habere uoluit eundem [...] honorem [...], quem [...] senatores Romæ habere solebant. Regias ædes condidit non multo inferiores Romæ regiis ædibus. Denique in omni [...] ornatu similem æqualemque Romæ Italiae [...] efficere studens [...], in eam magnitudinem perduxit, ut Sozomenus tradat hominum multitudine et diuitiis maiorem Constantinopolim esse, quam Romam. Eunapius Sardianus non ignobilis scriptor, quamvis Constantino infestus, tamen Constantinopoleos magnitudinem maximam designat his uerbis : *Constantinopolis*, inquit, antiquum Byzantium, temporibus quidem antiquis præbuit Athenensibus transmissionem frumenti [...], quod illinc [...] copiosum [...] efferri solebat. Sed temporibus nostris, neque ab Ægypto multitudo oneriarum nauium, neque ex omni Asia, et Syria, et Phœnicia, et ex aliis gentibus importata multitudo frumenti [...] Constantinopolim implere et satiare potest [...] populum, quem Constantinus in urbem Byzantium transtulit ex aliis urbibus, quas hominibus spoliauit. Similiter Zosimus, etsi Constantino non æquus ob religionem, tamen fatetur eam auxisse in magnitudinem maximæ urbis, atque ultra Byzantii muros quindecim stadia Vrbem circumplexum esse muris intercipientibus [...] isthmum ex [18] mari in mare.*

Quam Constantinus quamvis maximam effecit, tamen imperatores, qui post Constantimum imperarunt, maiorem effecerunt, et propter multitudinem [...] undique confluentum in [...] Vrbem militiæ, uel mercaturæ, uel aliarum rerum causa [...], aliis muris multo maioribus, quam [...] Constantiniani essent, eam circumdederunt, et habitationes ita angustas esse permiserunt [...], ut etiam [...] habitantes in [...] foris anguste habitarent [...], ut uiatores cum

---

173 sacras ædes, fontes, porticus ... Senatum : sacris ædibus, fontibus, porticibus ... Senatu *edd.*

*periculo incederent propter hominum animaliumque multitudinem [...]. Vnde factum fuit, ut maris non parua pars circuentis [...] Vrbem exsiccata fuerit, et palis in circuitu defixis, et domibus supra [...] palos impositis, Vrbs magna facta sit ad capiendam populi maximam multitudinem. Et haec quidem Zosimus ait de magnitudine, qua erat temporibus uel Arcadii, uel Theodosii. Agathias scribit temporibus Iustiniani adeo continentia [...] et perpetua fuisse Vrbis aedificia, et coniuncta inter se [...], ut rarissimum uideret quispiam locum sub dio apertum et [...] undique liberum, ut rectis oculis cælum suspicere posset. Quam etiam magna fuerit Vrbs ante Iustiniani tempora, colligere possumus ex antiqua Vrbis Descriptione incerti autoris, sed antiqui et fidei pleni. Is dicit longitudinem [...] fuisse a porta Aurea usque ad litus maris directa linea pedum quattuordecim milia septuaginta quinque, latitudinem autem pedum sex milia centum quinquaginta. Neque tamen Iustiniani temporibus intra Vrbem Blachernas fuisse, colligere licet ex Procopio, etiam si ante Iustiniani imperium Vrbs aucta fuisse a Theodosio Minore. Qui, ut tradunt Zonaras atque alii, id negotii dedit Cyro Vrbis Praefecto [...]. Is magno et prom-[19] pto studio [...] excitauit terrestrem murum a mari ad mare sexaginta diebus [...]. Vrbis populus hoc opere delectatus et celeritatem admiratus [...] exclamauit Cyrum, et publica uoce in theatro coram imperatore Theodosio pronunciauit « Vrbem Constantinus condidit, Cyrus renouauit ! » Hinc inuidia Cyro conflata est [...], et suspicio [...]. Itaque Theodosii iussu inuitus tonsus [...], deinde [...] Smyrnæ episcopus constitutus est. Hunc nominant epigrammata Constantino, inscripta in portis Xylocerci et Rhegii nuncupatis his uerbis :*

Εἰς τὴν πύλην Ξυλοκέρκου ἐν Βυζαντίῳ.  
Θευδόσιος τόδε τεῖχος ἄναξ, καὶ ὑπαρχος ἐώας  
Κωνσταντῖνος ἔτευξαν ἐν ἡμασιν ἔξήκοντα.  
Εἰς τὴν πύλην τοῦ Ρηγίου ἐν Βυζαντίῳ.  
Ἡμασιν ἔξήκοντα φιλοσκήπτρῳ βασιλῆι  
Κωνσταντῖνος ὑπαρχος ἐδείματο τείχει τεῖχος.

Quæ autem causa mouerit Constantinum, ut Byzantium Nouam Romam reginam imperii Romani constituerit, Sozomenus atque alii tradunt *Deum noctu [...]* Constantino *uisum oraculum dedisse, ut ad Byzantium conderet urbem dignam suo nomine*. Alii tradunt ut Iulius Cæsar euitare uolens insidias, cogitauit migrare *Alexandream uel Ilium, translatis simul opibus imperii exhaustaque Italia delectibus et procuratione [...]* amicis<sup>174</sup> *permissa*. Sic Constantinus sentiens se uenisse in odium Senatus populique Romani, exhausta Roma migrauit primo Ilium, deinde Byzantium. Zosimus nomini Christiano infestus causam adfert maxime impiam. Constantinus, inquit, cum sustulisset Crispum atque alia scelera commisisset, *a sacerdotibusque expiationem [...]* eorum peteret [...], [20] responsum ab eis accepit se *tantam scelerum impietatem [...]* purgare non posse, sed hanc *Ægyptium quemdam posse*. Qui *ex Iberia Romam profectus, [...] adlocutus Constantinum adfirmauit [...] omnium [...]* scelerum ipsum purgationem adepturum, si *Christianorum confirmaret opinionem [...]*, quæ hoc constitutum *profiteretur [...]*, impie et scelerate contaminatos statim [...] pænitentes ueniam adsequi *omnium malefactorum [...]* suorum. *Constantinus facile sermonem excipiens reliquit religiones patrias, et particeps factus est eorum, quæ sibi communicauerat Ægyptius, impietasque principium fecit manticam habere suspectam [...]. Instante autem [...]* festo, in quo necesse erat in *Capitolium ascendere exercitum, et [...]* ritus religionis suæ *implere, metuens [...]* Constantinus [...] interesse festo ex uisione ab *Ægyptio sibi missa, improbante [...]* ascensum in *Capitolium, a sancto [...] sacrificio patrio desciscens, Senatum populumque Romanum excitauit in odium sui*. Qui *non ferens omnium [...]* execrationes et conuicia urbem [...] similiter præstantem *ut Romam quærebat, ubi palatia regia constitueret [...]*, et

---

174 amicis : amissis 1561.

sedem imperii. *Cum locum inter Sigeum<sup>175</sup> et antiquum Ilium inuenisset aptum ad urbis ædificationem et palatia regia constituenda, fundamenta iecit et muri partem excitauit [...]. Vbi uero huius loci Constantinum pœnituisse, opus reliquit imperfectum, et Byzantium accessit. Admiratus urbis situm, iudicauit hanc [...] aptam [...] maxime esse ad regis domicilium excipiendum.* Hæc quidem Zosimus Iuliani studiosus, Constantino ob religionem infestus, cuius sensibus ut penitus abhorreo, ut ei non assentio de sceleribus impiis, quæ falso impigit Constantino. Quæ alienissima [21] a mente Constantini maxime pii humanissimique copiose monstrare conarer, nisi hoc præsens institutum tantam digressionem non pateretur, nisi etiam satis Sozomenus et Euagrius ea redarguisserent et confutassent. Ita in describenda magnitudine incrementi Vrbis ei assentire cogor, cum ex eo quod etiamsi Constantino infestus, tamen tantam, tam magnam, tam pulchram cogitur fateri Constantinum ædificasse, tum etiam magis ex eo ipso, quod is uicinior multis seculis esset temporum Constantini, quam recentes monachi, qui incertis libellis, quos ipsi inscripserunt *De patria Constantinopolitana*, Constantinopolim ita designant, *Constantinum [...] posuisse murum [...] a [...] turre Eugenii*, quæ finis erat antiqui Byzantii, *usque ad [...] Diuum Antonium, a Topis nuncupatis ad [...] Sanctam Deiparam nuncupatam Rhabdon [...], et [...] ascendisse usque ad Exacionion, a Millario [...] penetrasse ad portas antiquas Ioannis præcursoris [...], et transisse usque ad cisternam nuncupatam ab homine Bono [...], inde transisse ad Harmation atque [...] usque ad Diuum Antonium.* Hanc descriptionem excuterem, nisi eorum auctores mendaces in permultis expertus essem, ut prætereundos putem. Hoc ferre non possum, quod ponunt Ioannis præcursoris templum intra muros Constantinianos fuisse, cum etiam multis annis post Constantinum extra Vrbem fuisse, atque alia sim infra demonstraturus.

*De forma, ambitu, latitudine et longitudine qua nunc est Constantinopolis*

CAPVT IV

COntinopolis ex tribus partibus alluitur mari, ex aquilone sinu Cornu nuncupato, quem in Europam insinuat Bosphorus. Ab oriente cin-[22] gitur Bosphori extremis faucibus, a meridie Propontide, ab occidente terra Thracia. Forma illius est triangula, cuius basis est pars uergens ad occasum, uertex autem pars pertinens ad ortum, id est ad initium peninsulæ, sed lateribus disparibus. Latus enim spectans ad occasum ab angulo sinus lunatam curuaturam admittit, deinde postquam longo spatio processit, ex aquilone flectitur ad meridiem. Latus uero uergens ad meridiem, admittit flexum ea latitudine, ut si ab angulo ad angulum linea recta extenderetur, sinum maris interciperet in medio, largum plus minus duobus stadiis. Latus uero pertinens ad septentriones et sinum Cornu nuncupatum, si ab angulo uno ad alterum angulum linea duceretur, totum sinum Cornu et partem urbis Galatæ interciperet. Sic enim curuatur latus, ut eius duo extrema cornua arcum efficiant, duos arculos in medio flexu habentem, sed sic introrsus recedentes, ut duo extrema cornua arcus se includentes<sup>176</sup> non impedian, quominus quis ex alterutro cornu cernens uideat utrumque cornu. Magis igitur proprie Constantinopolis tricornis quam triangula, nam recti anguli non prominent extra latus, neque recedunt, cornua uero prominent et recedunt, et incuruantur. Itaque si hæc tria cornua, quatenus eminent extra truncum Vrbis, abscinderentur, Vrbs remaneret quadrata, oblonga, aliquanto plus milliari lata, ter tanto fere longior quam latior. Ac si cornu, quo scinditur Bosphorus, non flecteretur ad ortum solstitiale, sed ad æquinoctiale dirigeretur, Vrbs trianguli formam tenere posset, nam Vrbis latus uergens ad sinum fere esset rectum, et

175 Sigeum : Troadem *edd.*

176 includentes : includentis *edd.*

Proponticum latus magis dirigere-[23] tur, et pari prope anguli essent latitudine, sed tamen anguli absoluti figuram nondum obtinerent<sup>177</sup>. Nempe alii hebetiores, alii acutiores, et latera nondum rectis lineis dirigerentur. Nos tamen, ut omnes existimant, triquetram dicere possumus, tribus grandibus lateribus<sup>178</sup> constantem, quorum unum spectans Propontidem, alterum pertinens ad continentem Thraciam, eadem sunt longitudine, tertium sinui adiacens breuius est uno circiter millario.

Ambitus Vrbis non adtingit tredecim milliaria, quamuis Laonicus Chalcondylus in *Historia*, quam scripsit *De Othomanis*, tradit Constantinopolim *circuitu [...] complecti centum et undecim [...] stadia*. Eius longitudo discurrens per dorsum Promunturii sex colles efficientis, non longior est triginta stadiis. At si Vrbs esset trianguli recti, non longe excederet nouem milliaria. Sed si eius situs collinus in planitiem explicaretur, in ampliorem dilataretur latitudinem, attamen nondum ad magnitudinem, quam uulgo Byzantini ei attribuunt, uidelicet duodeuiginti milliariorum. Neque tamen plura ædificia contineret, quod sita in collibus, quam si esset posita in librata planicie, propterea quod ædificia non in solo inclinato, sed ad libellam plano ædificantur. Non enim eadem ratio domorum et hominum, nam plures homines ambitus Constantinopoleos continere posset in collibus sitæ<sup>179</sup>, quam si esset plana, non item plures domos. Sedes enim hominum in cliuo consistere potest, non item domorum, quarum solum explanatum esse oportet.

Eius latitudo uaria, ab oriente ad medium fere Vrbem nusquam strictior milliario, neque latior duodecim stadiis. Deinde sensim dilatatur in duo cornua, [24] ubi tam larga est, quam tota fere Vrbs longa. Nec admodum dissimilis est aquilæ pandenti alas, oblique intuenti sinistrorum. In cuius rostro positus est collis primus, ubi Regis palatium, in oculo templum Sophiæ. In capitib[us] uertice posteriori fere est Hippodromus, in collo sunt duo colles, secundus et tertius. Reliqua Vrbis pars alas et ceterum corpus occupat.

#### *Constantinopolis generalis descriptio*

CAPVT V

COntantinopolis occupat peninsulam septem colles complectentem, quorum unum efficit Vrbis angulus orientalis, inchoans promunturium, quod Plinius appellat Chrysoceras, Dionysius Byzantius Bosporum. Hic collis primus est diuisus a secundo colle ualle lata. Reliquos sex<sup>180</sup> colles efficit idem promunturium Bosporum, ita ab exordio peninsulæ orientali ad occidentem pergens perpetuo dorso leniterque conuexo, ut sex colles ex suo latere dextro in sinum eminentes porrigat, et ualles quinque emittat, sed nullas penetrantes dorsum excepta tertia et quinta, sed ita, ut suis iugis paululum depresso dorsum Promunturii fere æquum continent, sinistro autem latere feratur perpetuo cliuo, ut colles non habeat, sed tumulos et ualliculos exigue depresso, procliuiores tumulis ipsis. Et ita dorsum Promunturii tendit aliquantum dispari planicie et altitudine, ac curuatur duos flexus recipiens, primum prodiens ex iugo primi collis, unde leniter adsurgit usque fere ad alterum flexum. Qui fit in iugo tertii collis, ubi exiliter deprimitur, dum uallis iugum inter-[25] cedentis inter tertium et quartum collem admittit. Inde mediocri interuallo cliuoso adsurgit, deinde æquale fertur ad occasum usque, fere ad murum terrestrem, ubi paululum eminet.

177 obtinerent : obtineret *edd.*

178 lateribus : angulis *edd.*

179 sitæ :sita *edd.*

180 sex : quinque *leg.*

Promunturii huius, quod dico efficere sex colles, planities uaria, nam alia in dorso, alia in radicibus, utraque inæqualis. In primi collis iugo librata, larga ducentos circiter passus, longa septingentos. Deinde prodiens ex huius collis fastigio, leuiter peruenit ad iugum secundi collis, ubi larga quingentos passus, sed tota fere leniter deuexa. In iugo unde nascitur secunda uallis, angusta et exigue prona. In tertio colle latior sexcentis passibus, sed æqualior eo loco, unde oritur tertia uallis ampla sexcentos passus. Ex qua ascenditur breui cliuo in quarti collis iugalem planitem non ampliorem ducentis passibus. In quinto dilatatur in passus circiter septingentos. In iugo, ex quo nascitur quinta uallis, restrictior, in sexto molliter adtollitur. Iam uero ima planities inter mare et radices Promunturii procurrens, etsi totum Promunturium perpetua fere cingit, tamen uaria est, nam minor est ad radices collum, dimidio latior ad ualles. Ita enim ab initio Promunturium ambit, ut in ualles tres insinuata pateat in latitudinem mille passuum, iuxta colles nusquam angustior iugero<sup>181</sup>. Excipio tertii collis radices et quinti, ubi est angustissima. In quartam uallem longe lateque spatiatur. Ad radices sexti collis contrahitur. Exceptis radicibus duorum tumulorum positorum a tergo primi et secundi collis, quorum alter eminet usque ad litus, alter prope accedit.

Sed Vrbis ut situs facilius explicetur, per partes describam ualles et colles, quorum iucundus prospectus est. [26] Ex eodem enim Promunturii dorso sex colles nascentes eminentes in sinum, ut fratres dicere possis, ita per ordinem locati sunt, ut alteri alterorum aspectum non auferant, ut per sinum nauigans omnes uideat, ita eminentes in sinum ex tribus lateribus, ut singuli duo ostendant latera. Primus eminet in ortum solsticialem ad claudendum sinum. Secundus tertiusque interius recedunt uersus meridiem. Reliqui eminent in septentriones tam sensim, ut uno aspectu uidere eorum omnium possis duo latera, neque unius altitudo alterius altitudinem priuat aspectu nauigantium per sinum. Primus est secundo humilior, secundus tertio. Quartus, quintus, sextus aut paulo editiores tertio, aut paululum cedunt, id quod aquæductus libella deprehendere licet. Primus enim collis inferior tertio et quarto deprehenditur ex turre librante aquæductum, per quam amplius quinquaginta pedes aqua in altum exprimitur.

Atque clarius ut res intellegatur, diuisione utar non quidem in longitudinem Vrbis a Bospori extremis fauibus ad moenia circuitu maris parentia pergente, sed in latitudinem tendentem a Propontide ad sinum Ceras nuncupatum. Quod autem latitudinem in sex partes diuidam, naturalis situs Promunturii me informat. Qui diuisionem in sex colles uallibus distinctos, in sinum eminentes, informauit, uerum non absoluit, non enim dorsum Promunturii transeunt. Romanos colles facile est secernere, quos Natura secreuit uallibus. At Byzantini adeo dorso inter se cohærent, et Promunturii eos procreantis pars, sita a tergo collum, non similiter ut a fronte intumescat, ut aliter eos describere non possim, quam hos sex colles esse [27] unius Promunturii dorsum perpetuum, prominentes<sup>182</sup> inter ualles alternas. Itaque non aliter definiam, quam primo describam partem Promunturii dextram, hoc est collem aut uallem, postea partem sinistram, positam a tergo collum aut uallum.

### *Singularum partium situs*

#### CAPVT VI

PRIMA latitudinis pars est frons peninsulani Promunturii amplius mille passibus patens, uergens ad orientem, adiacens extremi Bospori fauibus. Is enim ita secundum frontem Promunturii discurrit, litore curuato leniter in arcum, ut ab angulo, quo Bosporus scinditur in

181 iugero : iugere *edd.*

182 prominentes : prominens *edd.*

sinum Ceras et fretum extremarum faucium Bosporanarum, interuallo circiter quattuor stadiorum pertineat a septentrione ad meridiem. Deinde spatio quattuor stadiorum ab ortu solstitiali se conuertat ad occasum brumalem, usque ad initium Propontidis, cuius cum Bospo coniunctio finit Promunturii frontem, et flexum Vrbis incuruat ad occidentem æstium interuallo duorum milliiorum. Ipsa autem frons planitem maritimam habet patentem in latitudinem ducentorum passuum, tam longam quam ipsa longa est, supra planitem eminentes cliui omnes fere molles, non excedentes altitudinem quadringentorum passuum. Cliorum pars sinistra exposita orienti brumali habet in iugo Hippodromum. Pars dextra, respiciens ad orientem æstium, efficit latus primi collis, in cuius summo est Regis palatum. Possem frontem totam, cum planicie et cliuo æqualiter procurrentibus continuata sit, et cohærens cum colle primo, dicere par-[28] tem primi collis. Verum ut distinctius intellegatur, tractabo separatim.

*De primo colle, et Regis palatio, æde Sophiæ, et de Hippodromo*

CAPVT VII

PRIMVS collis ab ortu solstitiali ad occasum brumalem proferens suam longitudinem, primo patet in latitudinem triginta passuum, sed subito fit latior. Deinde paulo minus in latitudinem porrigitur, quam in longitudinem. Nascitur ex peninsulani isthmi angulo efficiente uerticem triangulæ Vrbis. Proiicit uelut mucronem, seu linguam molliter in planum deuexam, seu rostrum, quo Bosporus in fretum sui canalis et sinum Ceras nuncupatum scinditur. Eminet ultra ceteros colles totus fere in sinus ostium aditumque projectus, et tamquam brachium immissum claudit sinum, ut lineam ab eius mucrone si duceret ad angulum Vrbis occiduum, intra lineam totum sinum, maritimamque Galatæ oppidi planitem includeres, id quod magno naturæ munere, sinum protegens a uentis tutiorem et portuosiorem efficit. Vndique procliuis prominet, excepta ceruice, qua plana adnectitur reliquo dorso Promunturii similiter plano. Illius cliui, spectantes ad ortum solstitialem et septentrionem, mediocriter supini et molles, reliqui proniores, ut alicubi gradibus descendantur. Sed omnes, ubi elatiores, nusquam quadringentos passus excedunt. Planities maritima, imos collis cliuos ambiens, uaria est. Eam quæ ad orientem pertinet, latiorem facit litus intumescens incuruaturam lunatam. Illius uero, quæ ad septentriones et solis occasum [29] contuetur, latitudinem auget uallis diuidens primum collem a secundo colle. Iugi planities librata est in passuum longitudinem circiter septingentorum.

Collem totum non solum natura muniuit, quæ ab oriente ipsum Bosporo, a septentrione sinu Cornu nuncupato, ab occasu solstitiali ualle circumclusit, uerum etiam Regii claustrum muris undique clausus est. Quibus frequentia pinnarum et turrium distinctis nihilque a murorum urbanorum forma differentibus, a reliqua Vrbe separatur. Maritimam planitem et cliuos imos occupant Regii horti. Ex collis supercilio longe lateque maria camposque despicit Regis palatum, in summis cliuis partim situm, partim in iugi planicie, in qua duæ palatinæ areae undique clausæ. Prima patet in passuum longitudinem circiter septingentorum, in latitudinem uero ducentorum, quam subsequitur altera interior, a prima muris et foribus diuisa. Quadrata, longitudinis ducentos passus habens, undique ambitur porticu multis et uariis columnis marmoreis sustentata. In media area aliquot platani et cupressi litigantium turbam adumbrant. In angulo septentriones consipienti forum iudiciale est, quod Turci Diuanum appellant. In areae latere uergente ad solis ortum æstium collucet Regia domus. In latere brumali consistunt thermæ et culinæ Regiæ, octo hemisphæriis caminatis constantes. Earum enim unumquodque hemisphærium concameratum, paruæ ædicolæ similitudinem gerens, nihil aliud est, quam luculentus caminus in summo uertice fastigatus in figuram laternæ. Fores primæ areae sitæ in media ceruice, in qua collis iugum iungitur ad libellam piano dorso Promunturii, ferreæ du-[30] pllices et biualues inter se distant uiginti passus, inter

quas stant ianitores. Ex utroque uestibuli latere fulgent arma suspensa. Portarum limina et parastades marmoribus nitent. Supra fores exsistit ædificium quadratum, tegulis plumbeis tectum, ut cetera omnia palatii ædificia. Ex prima area patet aditus ad secundam interiorem aream per portas binas et duplices, inter quas mediastinorum ianitorum statio, et arma appensa lucent. Harum portarum pars exterior præ se uestibulum non habet, sed interior habet uelut quoddam uestibulum egredientes excipiens. Decem columnis uarii marmoris sustinetur, cuius lacunaria auro et ditissimis coloribus opere Persico elaboratis elate superbunt. Ad tertiam portam, qua patet intimus aditus ad ædes Regias, stant intimi ianitores et præfectus ianitoribus et Regio cubiculo. Hac nulli libere ingrediuntur, nisi serui ministri Regiæ domus. Ceteri ingredi non possunt, nisi Regio permissu, nisi Rege sedente intus prope fores, ut Regii satrapæ, cum Regem salutare habent necesse, aut legati osculo Regis manum uenerantur sedentis in lectica quidem humili, sed superbe strata intra ædiculam marmoream, auro argentoque et gemmis fulgentem, circumdatam porticu sustentata columnis egregii marmoris, spiras et capitula inaurata habentibus. Præter quas commemorauit portas, Regium claustrum multas alias habet, soli Regi Regiisque intimis ministris patentes. Evidem memini me duodecim numerasse, ferreas omnes, ex parte Vrbis septem, quarum duæ mari propinquiores uehem fœni transmitterent, ex parte maritima quinque. Prima ad septentrionem et sinum uergit. Secunda [31] in collis mucrone sita, ampla, præ se uestibulum habens laqueatum, auro et pictura Persica illustratum, sustentatum columnis marmoris Ophitici, intuetur medium Bosporum uenientem. Ab hac non procul tertia conspicit Chalcedonem et solis ortum. Ante quam nauiculæ in clausa statione manent, quibus Rex ad uenationes hortosque nauigare solet. Quarta solis exortum spectat hibernum, non longe a ruderibus ædis Christo sacræ, cuius uestigia in muro inclusa apparentia Græci frequenti aditu uenerari solent. Ulta hanc quinta uidetur, apud quam tigna recta stant, ad speculandum pisces retia subeuntes. Ex hac Regii piscatores prodire soliti sunt.

Amœnissimum (ut id obiter interponam) prospectum cum omnes Byzantii colles habent, tum longe amœniorem<sup>183</sup> collis primus, in quo laxissime habitat Rex. Is siue in hortis ambulet, siue domi iaceat, a fronte prospicit Bosporum, eiusque utraque litora uarentia siluis suburbanorum prædiorum. A dextera campum Chalcedonensem suis hortis consitum, Propontidem, insulas frequentes, nemorosos montes Asiæ, et longe retro respicit Olympum Asiæ perenni niue tectum, et prope nobilem Vrbis partem, ædem Sophiae et Hippodromum. A sinistra intuetur sex Vrbis colles, et Thraciæ campos longe lateque patentes circumspicit undique, et quoquo uersus nauigantes, hos a Ponto uel ab Hellesponto, alios eosque diuersos ab omnibus Propontidis oris uenientes, alios sinum Ceras sursum deorsum nauigantes. Prospicit omni temporis momento infinitam multitudinem scapharum ultro citroque traiicientium. Despicit sub oculos subiecta tria collis latera, uestita omni genere [32] florum, arborum, herbarum. Neque enim modo hic amœnissimus prospectus est Regiis ædibus, sed etiam omnibus hortorum clivis, in quibus permultæ speculæ. Ac potius collis triplex latus totum specula exsistit. Ac si proprius mare contueri uult, in medio litore fastigato in mucronem, quo Bosporum in duas partes diuidi diximus, porticus Regia fulget marmoribus et columnis, habens aspectum pulcherrimum amœnissimumque, cui omni æstatis tempore adflant molles auræ. In qua undique uirgeis cancellis minutis et uelut reticulatis clausa Regem sedentem nemo introspicere potest. Itaque ille a nemine uisus, alter Gyges uidet omnes circumnauigantes adeo prope, ut qua quisque facie sit, internoscere queat. Et, si forte seruorum domesticorum frequentem usum fastidit, externorum liberorum excitari potest ridicula dicacitate, non solum remis, sed etiam contis ad crepidines litoris firmatis contendentium superare rapiditatem Bospori, Rhodano longe celeriorem.

---

<sup>183</sup> ameniorem : ameniores *edd.*

Extra Regium claustrum excellit ædes Diuinæ Sophiæ, a ualuis claustris Regii distans passus circiter septuaginta, sita in primi collis ceruice, atque adeo in supercilio cliui eminentis supra hortum primæ uallis. Ex qua gradibus lapideis ascenditur ad portam claustrorum Regii, in ædemque Sophiæ. Quæ ab ortu solis hiberno habet cliuos adeo molles, ut sensim et latenter desinant in supernam et infernam planitiem. Denique omnes cliui a sæpto Regio ad Hippodromum leniter proni sunt.

Ab æde Sophiana pergit planities inter meridiem et occasum, ad finem Hippodromi patens in passuum longitudinem amplius septingentorum. Hippodromi longitudine duo sta-[33] dia excedit, latitudo stadium æquat. Eius planities ad libellam æquata est, sed hominum opere potius quam natura. Eius media pars pertinens ad Propontidem ex triplici latere cliuis cingitur, lenibus quidem ab oriente, ab occidente uero pronis et in magnam altitudinem depressis, a Propontide uero non modo procliibus et præcipitibus, sed etiam ad perpendiculum directis, altis plus minus quinquaginta pedes. Tota enim Hippodromi frons substructis forniciis constructa Hippodromum planum præstat, et pulcherrimum prospectum exhibit Propontidis, ut ex Hippodromo non modo nauigantes, sed etiam delphini saltantes uideantur. Eius gradus paucis ante annis ex latere uergente ad septentrionem exstantes, ab Abramo bassa, dum suas ædes ædificaret, sublati sunt. Inter Hippodromum et Propontidem procurrit planities in passuum latitudinem quadringentorum explicata, in qua postea describemus templum Bacchi et Sergii. Sub Hippodromo uersus meridiem est porta leonis marmorei, extra Vrbem siti in ruderibus palatii Leonis Macelli, cuius fenestræ antiquo opere laboratae exstant in muro inclusæ. Palatum positum erat in tumulo mare adtingenti, in altitudinem circiter centum passuum edito.

*De prima ualle*

CAPVT VIII

EX PRIMA Promunturii planicie, in qua dixi Sophiæ templum et Hippodromum esse, molle dorsum secundi collis mille passibus leniter ascenditur usque ad Columnam Purpuream, positam in summo uertice secundi collis. Quem ab oriente [34] claudit prima uallis, quæ primum collem diuidit a secundo colle. Nascitur a planicie Sophiæ, procedens a meridie ad septentriones. Similitudinem gerit circini diducti in crura rigentia, alterum quidem crus ad ortum solstitiale, alterum ad septentriones porrigit. Per hanc medianam incedit murus claustrorum Regii, a reliqua Vrbe segregans claustrum Turicum. Promunturii ima planities longe lateque ita in hanc uallem insinuatur, ut a sinu ad ædem Sophianam mille passus ambules plano fere pede. Primo maritima librata patens in quingentos passus, deinde in uallem insinuata trecentos passus molliter adsurgit ut, etsi leniter deuexa est, tamen lubrico lapsu aquæ declivitatem sentis, potius quam pedibus. Primum laxa et paululum prona, deinde pressior, post in duas ualliculas stringitur. Quarum uicina Sophiæ, etsi longa est quadringentos passus, tamen molliter accluvis est, et perangusta, ut eius imam planitem uia publica occupet.

*De secundo colle*

CAPVT IX

PROMVNTVRII dorsum leniter intumescens et duæ ualles secundum collem efficiunt. Prima a solis ortu primum collem diuidit a secundo, altera ab occasu secundum seiungit a tertio. A septentrionibus maritima planicie clauditur. A meridie dorsum ad septentriones porrigit leniter deuexum in longitudinem mille passuum, in latitudinem uero quadringentorum. Totius autem collis latitudinem uariam efficit uaria uallium latitudo. Valles enim, quibus intercluditur, a summo perangustæ ipsum ampliant, ab imo [35] late patentes astringunt. Eius longitudinem producunt sui tumuli, quibus duobus prominet in sinum. Triplici

cliuo deprimitur in uariam altitudinem. Nam cliuus spectans ad ortum solis hibernum, ab ima<sup>184</sup> ualle ad summum collis uerticem, ascensu circiter mille passuum æquabiliter et leniter prono effertur. Deinde minuitur, ut uallis augetur et laxatur, procliuiorque fit duabus ualliculis, quas emittit ipsa uallis, pronis quidem, sed centum passus non excedentibus. Cliuorum ad sinum uergentium altitudo quam uaria sit, quinque uiae demonstrant, ab imis radicibus ad summum iugum pertinentes. Prima in passuum altitudinem quingentorum adsurgit, quorum ducenti exorientes a primis radicibus ualde proni, trecenti supini. Secunda uia sexcentos passus alta, e quibus centeni per imam ualliculam leniter surgunt, deinde centum maxime propendent, ut gradibus descendantur. Post quadringenti paulatim collis dorsum fastigant, usque ad uerticem latum sexaginta passus. A uertice dorsum prominet ad meridiem centum quinquaginta passus, ad uiam usque procedentem ab æde<sup>185</sup> Sophiæ ad Columnam Porphyreticam. Reliquarum trium uiarum existunt a radicibus collis centum passus exigue proni, ducenti multum proclives, ut anfractibus moliantur, quingenti leniter iugum collis ad culmen perducunt. Præterea ex cliuorum latere, quos dixi uergere ad sinum, duo tumuli eminent, unus in septentrionem, alter ad orientem. Vterque in alterum inclinatus, ualliculam efficit ab oriente cinctam cliuo prono, alto octoginta passus placide deuexos. Vnde fit, ut maxima pars cliuorum huius collis contueatur orientem, latus [36] collis spectans ad solis occasum uariam acclivitatem habeat. Nam eius cliui adtingentes imam uallis planitiem in longitudinem trecentorum passuum ab imo ad medium præcipites et pene directi sunt, a medio ad summum leniter deuexi. Qui uero eminent in summam uallem, non excedunt ducentos passus, sed uarie declives, ut enim uallis assurgit, ita cliui molliuntur. Duplici acclivitate deprimuntur cliui omnes collis, una in longitudinem, altera in latitudinem, qui enim desidunt<sup>186</sup> in orientem et occasum, ita desident, ut etiam desidunt<sup>187</sup> in septentrionem. Denique uniuersa eius latera quantumlibet alta sint, tamen eorum pars ualde procliuis stadium non superat, reliquæ partes molli cliuo subsident, radices sensim deducuntur in planitiem. Summi cliui dorsum efficiunt semiplanum. Planities maritima inter sinum et collem intercedens, ad radicem tumuli uergentis ad aquilonem ubi strictissima est, patet in latitudinem trecentorum passuum. Sed subito dilatatur ex utroque tumuli latere in quadringentos passus, eoque magis quo longius insinuatur in ualles.

Venio nunc ad Promunturii latus sinistrum. A tergo secundi et tertii collis duo colliculi eminent in Propontidem, inter quos decurrit uallis ex tribus procliuis imbrici similis, non supino quidem, ut esse solet in tectis, sed ualde prono. A qua media uterque colliculus intumescit, orientalis quidem in passus amplius ducentos, occiduus uero in tantumdem. Vallicula inter hos colliculos depressa, exigue concava sub se habet portum manu factum intra murum clausum, positum in maritima planicie, quæ excurrit usque ad frontem Hippodromi, patens trecentos pas-[37] sus in latitudinem. A sinu Cornu nuncupato ad Propontidem latitudo secans collem laxatur in duo circiter milliaria passuum.

*De secunda ualle diuidente secundum collem a tertio*  
 CAPVT X

---

184 ima : summa *edd.*

185 æde : ædibus 1561.

186 desidunt : desident *edd.*

187 desident : desideant *edd.*

VALLIS, quæ secundum collem diuidit a tertio, nascitur a dorso Promunturii, desinitque in maritimam planitem, excipientem Piscatorium forum et traiectum Sycenum. A quo ad uallis primas fauces planities in passuum latitudinem panditur quadringentorum, ita æquatam, ut aquæ delabi possint in sinum. A primis faucibus, ubi laxatur in passuum latitudinem ducentorum, sensim incipit astringi usque ad medium uallem, ubi premitur in quinquaginta passus, deinde coartatur, ut dumtaxat admittat uiam. Vallis est similis imbrici molliter resupino et ita inclinato, ut solet inclinari in ædium tectis. Eius longitudo sexcentos passus excedit, quorum trecenti ferme plano pede subeuntur, reliqui proniores, sed tamen paulatim adsurgentes in iugum, quo secundi collis dorsum iungitur dorso tertii collis.

Per imam uallis planitem, uia lata contra oppidum Galatam posita, utrumque cincta tabernis mercatoriis, tecta scandalis, sed interlucentibus, exiguae fenestellas admittentibus, Galatini mercatores ascendunt ad forum, quod Turci uocant Bezesten. Id partim situm est in iugo uallis, partim in cliuo tertii collis. Quod anno Natalis Christi millesimo quingentesimo quadragesimo sexto totum fortuito incendio deflagravit, exceptis duabus basilicis concameratis lateritio opere, [38] quæ nocte claudi solent ferreis portis et fenestrīs. Post incendium mihi licuit intueri aream fori uiis distinctam rectis et transuersis. Aduerti sic esse planam, ut tamen exigue deuexa sit ab occasu ad ortum, a meridie in septentriones. Vidi fori circuitum combusti amplius quinque stadia complecti. In quo summo ad occasum pertinente nymphæum inspexi quadraginta quinque columnis ornatum, sustinentibus lateritiam cameram. Basilicam ueterem, quam antea non potueram perspicere ob tabernarum officinarumque frequentiam, circumspexi spoliatam circumuiicinis tabernis. Atque animaduerti circa Basilicam esse appendices uelut alas Basilicæ adnexas, diuisas in sexaginta fornices, tectos plumbeis tegulis, quibus pro tabernis et officinis utuntur, in quibus intimis sunt conclauia, quæ clauduntur porta ferrea. His appendicibus Basilica circumsæpta constat octo pilis, quattuor portis, quindecim hemisphæriis concameratis lateritio opere, tectis plumbo. Noua Basilica duodecim pilis sustinetur, lapide quadrato constructis. Ad pilas singulas adnituntur quattuor arcus sustinentes hemisphæria uiginti tecta plumbo. Hanc ambiunt appendices alariæ sexaginta fornicatæ et concameratæ, tabernas mercatorum continentæ. Intra Basilicam ducentæ et uiginti tabernæ includuntur, in hunc modum adfabre factæ. Circum parietes et pilas fornicum discurrunt suggestus lati, ubi sedentes mercatores exponunt merces. Quas producunt ex loculatis armariis ligneis, quæ a tergo mercatorum sedentium disposita sunt iuxta parietes per se exstantia, neque muris adfixa, sed exemptilia, ualuulis clausa.

### [39] *De tertio colle*

CAPVT XI

TERTIVM collem duæ ualles efficiunt. Vna ad solis ortum pertinens illum diuidit a secundo colle, altera, quæ ad occasum adtinet, seiungit a quarto. Dorsum illius porrigitur in longitudinem mille amplius passuum. Procedit a Promunturii iugo ex meridie ad sinum in septentriones æquali fere altitudine, contra quam secundi collis dorsum, quod a summo Promunturii iugo ad imam maritimam planitem demittitur in septentriones. Illius dorsum extra iugum Promunturii planum multum procedit, eiusdemque radices trecentis passibus in septentriones amplius eminent, quam secundi collis intumescentis in dorsum Promunturii. Planities dorsi uariatur. Summa quidem pertinens ad iugum Promunturii patet quoquouersus passus circiter octingentos, quorum partem occupant gynæconitidum claustra, partem uergentem ad solis ortum mercatorium forum et xenodochium sepulcrumque Paiaziti Regis, partem meridianam area uacua, et circum aream tabernæ librariæ. Reliquam dorsi planitem uergentem ad septentriones non modo naturalem, uerum etiam artificiosis substructionibus dilatatam occupant ædificia, quæ Rex Soleimanus præparat ad suum sepulcrum et xenodochium ædemque Mametanæ religionis sumptuosam. Hic collis desidet tribus lateribus

in treis tumulos extumescentibus. Nam ex lateris ad solis ortum spectantis parte, in qua est turris Irenæ, prominet tumulus in secundam uallem. Longa dorsi porrectio, longe proiiciens mucronem ad sinum uersus, efficit tumulum conspicientem septentrio-[40] nes. A latere autem ad solis occasum pertinente, intumescit in tertiam uallem tumulus, in quo ædes est Diui Theodori, a medio collis dorso ad maritimam planitiem. Duo enim latera dupli proclitate deprimuntur, una recta, altera transuersa. Latus solis ortum contuens, cum extendatur in passuum longitudinem circiter mille et trecentorum, accliuitatem transuersam paulatim remittit. A summo quidem latere remissiorem facit, at contentiorem et decliuorem, quo proprius deducitur in planitiem. Cliui autem a summo collis dorso directi ad uallem uarii sunt. Nam eminentes in depressorem uallem efferuntur in altitudinem quingentorum passuum, quorum imi trecenti ualde proclives, summi ducenti dimidio remissiores, nimirum tectis imbricatis haud procliuiores. Cæteri cliui recta uia deiecti ad uallem paulatim pariterque minuuntur, ut uallis adsurgit. Latus quod adtingit ad solis occasum, ferme simile et par exsistit lateri uergenti ad orientem. Illud uero, quod subducitur a septentrionibus, cliorum altitudines uarias habet. Tumulus enim a dorsi mucrone projectus demittitur in passuum altitudinem quingentorum, e quibus imi trecenti aguntur præcipites, ut ædificia subtractionibus nitantur. Summi ducenti acclives quidem, sed leniter et sensim uelut ab equi posteris clunibus ad dorsum consurgunt. Reliqui huius lateris cliui, quo magis contrahuntur a maritima planitiem, hoc longius producuntur a residente, in seipsos transuersa decliuitate emissa a collis latere ad solis ortum pertinente. Planities maritima a collis radicibus et sinu intermissa, qua parte adtingit tumulum quem iam dixi [41] demissum a mucrone collis, ducentos passus non excedit. Qua uero alias collis radices contingit, sensim laxatur in uallum fauces. Claustrum gynæconitidum Regiarum situm in collis dorso, cum primum uenisset Byzantium, paulo minus sex milia passuum circuitu complectebatur. At nunc id coartant Regis Soleimani xenodochia et mausoleum septi muliebris plus quam medium partem occupantia.

Iam uero latus Promunturii sinistrum, a tergo tertii collis situm, respiciens meridiem et Propontidem duobus tumulis turgescit. Ab horum altero, qui solis ortui propior est, latus Promunturii sensim flectitur in occasum, usque ad secundum tumulum paulo supra Promunturii radices editum. A quo tumulo sexicollis Promunturii latus statim admittit posticam depressionem uallis tertiae, incipitque uergere ad septentriones. Duplicem igitur clium habet sinistra pars collis tertii, unum ad meridianum cardinem editum in altitudinem sexcentorum passuum, alterum ad occidentem brumalem altum septingentos passus, tum ad æquinoctialem longe breuiorem. Planities interposita inter posticas tertii collis partes meridianas et litus Proponticum nusquam angustior trecentis passibus, neque longior septingentis. Occiduas uero radices claudit planities uallis, quæ collem septimum separat a Promunturio sexicollis, pertinens a planitiem Propontici litoris ad murum Vrbis circuitu maris uacantem, fere librata, ubique patens quingentos passus in latitudinem.

Tres iam commemorati colles proprie Bosporium promunturium appellari possunt, sic prominentes in mare ut, siue ex Ponto, seu ex Propontide [42] nauiges Byzantium, eos procul uideas projectos in fauces Bospori. Vallis tertia reliquos treis colles a mare in continentem recendentes a primis tribus collibus separare uidetur. Nos tamen, quia dorso et cliuis coniuncti et iuxta sinum ex ordine dispositi, sex colles in promunturio Bosporio posuimus. Planities explicata in tertii collis dorso leniter demittitur in planitiem, quæ eminet in tertiam uallem, ampla ad longitudinem sexcentorum et uiginti passuum, in latitudinem tantumdem.

### *De ualle tertia*

#### CAPVT XII

VALLIS tertia inter tertium et quartum collem interiecta gemina esse uidetur. Nam hæc media in altum editur, ut dubium uideatur num sit uallis pars, an Promunturii. Iugum esse

uallis particulam ostendit altitudo fornicum procurrens ex uno uallis latere ad alterum latus. Vt uero dorsum Promunturii uideatur, præ se ferunt extremæ uallis partes ualde a media ualle demissæ in contraria latera, una ad dextram, altera ad sinistram.

Dextra habet imam planitem latam in faucibus trecentos passus, deinde sensim astrictam in ducentos, ad libellam ferme æquatam in longitudinem quingentorum passuum. Quæ etsi in æqualem altitudinem deprimitur, tamen eius latera non æqualiter in altum efferuntur. Vbi enim ipsa maxime concava est, eius alterum latus in magnam altitudinem adtollitur, alterum ter tanto submittitur. Ex hac depressa planite ascenditur breui cliuo in iugum mediæ uallis, seu dorsum Promunturii, quod planum leniter depresso inter tertium et quartum colles, patet quoquouersus [43] sexcentos passus. Excipio particulam, per quam uallis media penetrare uidetur, ubi latior non est quadringentis passibus. Per hoc uallis seu Promunturii iugum fornices aquæductus a quarto colle recta uia pergunt ad tertium collem. Quorum fastigium æquat libella fornicum, qua deprenditur quantopere deprimitur Promunturii dorsum. Ut enim fornices sint æquali fastigio, tamen inæquali altitudine existunt, nam bene excelsi sunt in plano iugo uallis, at in cliuis collum longe minus alti. Spatio enim octingentorum passuum fere in æqualem altitudinem eriguntur. Reliqui fornices, quo altius cliui extolluntur utriusque collis, eo breuiores sunt.

Ex iugo, siue id uelis esse uallis, siue Promunturii, sinistra uallis pars leniter concava molliter propendet in septingentos passus usque ad planitem, quæ sexicolle Promunturium a septimo colle secernit pergens ad Propontidem. Vrbis latitudo a sinu ad Propontidem secundum<sup>188</sup> tertiam uallem, patet amplius decem stadia.

#### *De quarto colle*

CAPVT XIII

QVARTVS collis, in cuius dorso Mameti Regis, qui Constantinopolim cepit, mausoleum spectatur una cum amplis ædibus Mametanæ religionis et simul cum xenodochiis et thermis, circumdatur duabus uallibus, Promunturii dorso et maritima sinus planicie. Eius ambitus circumplectitur amplius ter mille et sexcentos passus. Longitudo a summo dorso ad sinum aquilonemque porrigitur ultra mille passus. Latitudo ab ortu solis ad occasum explicatur in passus circiter octingentos. A iugo ad sinum [44] collis procedens prope quadratus desinere perspicitur in duo cornua, sed imparia. Quorum alterum uergens ad septentriones perpetuo dorso fertur utrimque declivi, alterum spectans ad solis ortum ita demittitur, ut ex hoc in alterum quasi gradus quidam iactus esse uideatur. Nimirum ex huius superiori parte planities excurrit, ex qua ueluti gradu patet ascensus in alterum ab inferiori parte. In occasum deiicitur, ut ualliculam efficiat. Collis ab oriente clauditur ualle, qua ipse separatur a tertio colle, ab aquilone maritima planicie sinum contingente. Ab occidente partim ualle, qua is seiungitur a quinto colle, partim circuitur Promunturii dorso perpetuo. Quod adeo paulatim et placide ex quarti collis iugo adsurgit ad iugum quinti, ut acribus oculis, potius quam tardis passibus, utriusque collis dorsum inæquale esse percipiatur. Ita enim continent iugo hi duo colles inter se coniuncti sunt, ut nullus sentiatur cliuus, sed perpetua planities, quæ fastigans quarti collis dorsum octingentis passibus longior non est, neque latior ducentis, deinde in quinto in septingentos dilatatur. Quartus collis etsi nulli ex sex collibus perpetuo dorso coniunctis cedit de altitudine, tamen ascensus, tam rectos quam transuersos, moliores habet ob longum tractum deuexum triplici decliuitate depresso. Prima decliuitas per collis longitudinem e regione cæli inter meridiem et occasum, media ad septentriones decurrit amplius mille passus, quorum ducenti surgentes a maritima planicie mediocriter proni, reliqui adeo molliter supini,

188 secundum : secans *edd.*

ut semiplano pede subeantur. E quibus centum ultimi adtingentes iugi planitiem decliuiores [45] ceteris prominent. Decliuitas transuersa collis latitudinem intercipiens duplex est. Vna deiicitur ad solis occasum, altera ad ortum depressa uaria quidem exsistit, sed tamen tota nascitur a ualle, quæ quartum collem diuidit a tertio. Ab huius quidem uallis iugo clius ducentis passibus ascenditur. Paulo infra summam uallem ascensus est quingentorum passuum, quorum centum ab imis radicibus exurgentibus cliuo prono eriguntur. Reliquorum leniter deuexorum altitudinem ostendit libella aquæductus. Ab ima eiusdem uallis planitiæ cliui adleuantur in altitudinem quadringentorum passuum, sed ita ut primum centum octoginta prono cliuo ascendas, deinde ducentos ambules leniter deuexos et fere planos, post transeas lateris medianam partem eminentiorem, centum passus latam, ab imo colle ad summum in octingentos passus erectam. Ex hac descendis ducentos passus in occasum ad imam uallem, quæ quarti collis et quinti diuortium facit. Tota angusta est, sed longa plus minusue mille et quadragintos passus. Primi ducenti adtingentes oram sinus plani quidem, sed dubii sint ne uallis an planæ oræ maritimæ. Sic enim hæc uallis cingitur duobus collibus, quarto quidem habente sub se planitiem maritimam ducentos passus patentem in latitudinem, quinto uero ferme adtingente litus. Consequentes octingenti similiter plani, sed leniter deuexi, reliqui quadringenti adtingentes iugum Promunturii proclives. Maritima planities ad libellam fere æquata, inter sinum et quartum collem intercedens uariam latitudinem habet. Nam quæ pertingit collis cornu spectans ad ortum solstitialem, est quadringentorum [46] passuum, illa uero, quæ adtingit cornu uergens ad septentriones, in passus ducentos panditur. In summa situs quarti collis talis est, ut in sinu nauigantibus hic esse uideatur pars erectior tertiae uallis. Nam huius collis iugum longe recedit in meridiem, eiusdemque cliui in longam submissionem abiecti ualde supini iacent. At iugum quinti collis æquali excelsitate longe ultra quartum procedit ad septentriones.

A tergo quarti collis uergentes cliui ad horam primam postmeridianam placidi lenesque usque ad planitiem uallis, quæ sexicolle Promunturium diuidit a septimo colle, itaque postica collis pars intumescit in meridiem. Atque ex utroque latere separatur a ualle tertia, ut latus a tergo positum eius partem meridianam dicere possimus. Quæ post tumulum eminentem in latus uallis tertiae aliquantum contrahitur sub xenodochio Regis Mameti, at enim a tergo quinti collis sub columna uirginea magis subducitur.

#### *De quinto colle*

#### CAPVT XIV

QVINTI collis, in cuius fastigio exstat Selini Regis mausoleum, imæ radices contingentes partim sinum, partim duas ualles ipsum claudentes, alteram ab ortu solis, alteram<sup>189</sup> ab occasu, passuum milia complectuntur circiter quattuor. Eius dorsum ita in sinum ad septentriones prominet et quarti collis latus ad aquilonem submittitur, ut collis quartus uideatur esse uallis quædam inter tertium collem et quintum interiecta. Non enim ut aliorum collium quinti collis iugum urget et premit summum Promunturii dorsum, [47] sed totum extra Promunturii fastigium æquali altitudine<sup>190</sup> longe procedit, ac non minus ferme in septentriones promouetur, quam radices quarti collis. Triplici latere deprimitur, uno ad septentriones quod, quam ualde præceps et directum sit, colligitur ex eo quod, etsi tam alte effertur ferme, quam summum quarti collis iugum descensum habentis longum plus mille passus, tamen illius summus cliuus minime omnium collium recedens a perpendiculo eiusdem

189 alteram ... alteram : altera ... altera *edd.*

190 altitudine : altitudini 1561.

infimi cliui. Non amplius trecentis passibus ascenditur per ualliculam, quam efficiunt duo tumuli adtingentes sinus oram. Quam ut trecentis passibus subieris, offendis gradus lapideos astructos ad subtractiones aream æquantes, quibus ascendis ad xenodochium Selini. Hoc quidem latus quod septentriones intuetur, quattuor tumulis turget, tres ualliculas deprimentibus, a collis iugo exorientibus, adeo exiguum litoris planitem intermittentibus, ut eorum duo murum Vrbis situm in litore contingant. Reliqui duo planitem centenum passuum relinquant. Nusquam enim litorea planities angustior est, quam ad radices huius collis, nam in longitudinem mille passuum eius latitudo centum passus non excedit, alicubi non adtingit quinquaginta. Ex his quattuor tumulis duo sunt prærupti et præcipites, ut ædificia casuris similia subtractionibus nitantur, ut iam uidere liceat rupes præcisæ fuisse ad molliendos uiarum anfractus. Reliqui duo minus abrupti minusque præcipites deiiciuntur, eorumque ualliculæ minus etiam proclives. Collis uero latus conspiciens solis ortum, patet in mille et quadringtonitorum passuum longitudinem, in altitudinem directam ducentorum. [48] Lateris ad occasum uergentis accluitas in uariam altitudinem abiicitur, ut uallis deprimitur. Quæ ubi in planitem librata depressissima est, erigit latus in passuum altitudinem aliam quingentorum proclivium, aliam trecentorum placide acclivium, ut non differant a semiplanis.

Latus Promunturii contuens meridiem, a tergo quinti collis positum, desinit in planitem uallis sexicolle Promunturium diuidentis a septimo colle. Propendet alias contractius, alias remissius, extumescens in tumulum crassum eminentem in uallem quintam, atque in uallem, quæ sexicolle Promunturium seiungit a septimo colle. Hæc postica pars quinti collis etiam incuruatur in ualliculam exorientem a Promunturii supercilio, ubi paulo ante exstabat columna uirginea, a qua Promunturii fastigium leniter eminens in summam quinti collis planitem molliter deuexam, ad septentriones nusquam angustiorem sexcentis, alicubi septingentis latiorem passibus. Sed extra huius collis dorsum longe lateque laxatur. Hac continuatur cum planite quarti collis et reliqua Promunturii planite, usque ad murum Vrbis uacantem circuitu maris procedens, interiecto dumtaxat breui submissionne iugi in quintam uallem eminentis, producitur duo milia passuum in longitudinem.

*De quinta ualle*  
 CAPVT XV

VALLIS quinta, quæ quintum collem diuidit a sexto, profiscitur a sinu et septentrionibus ad primam aut alteram horam postmeridianam, longa quantum Promunturium latum est, nempe circiter mille et ducentos passus, quorum primi octin-[49] genti procedentes a litore sinus nihil expressionis, nihil eminentiæ habent. Primæ uallis fauces in passuum latitudinem laxantur quadringtonitorum, deinde sensim in ducentos astringuntur, sed ita ut per longitudinem sexcentorum passuum nusquam ducentis passibus minus lata sit. Post in quingentorum passuum altitudinem erigitur. Inde insequitur iugum uallis, seu dorsum Promunturii patens in planam latitudinem ducentos passus.

Ex hoc dorso latus sinistrum Promunturii, seu uallis, quingentos passus leniter deprimitur in uallem, quæ sexicolle Promunturium secernit a septimo colle. Vallis enim quinta penetrare uidetur dorsum Promunturii, id quod percipitur ex inclinatione dextra et sinistra amborum laterum utriusque collis circumscriptus. Nam ex uallis iugo ascensus exiguis patet in iugum utriusque collis.

*De sexto colle*  
 CAPVT XVI

SEXTVS collis, cuius per et dorsum, et latus uergens ad aquilonem, muri Vrbis usque ad litus discurrent, tam longus est, quam Promunturium latum. Quod in hoc colle dilatatur in

passus circiter bis mille et quadringentos, cuius iugum intra Vrbem in cliuos exprimitur. Extra plano pede continuatur cum continente suburbano campo. Latitudo eius, ubi maxima, octingentos passus non superat, ubi minima, quadringentos. Triplici decliuitate deprimitur, una ad sinistram Promunturii partem inter meridiem atque occidentem molliter prona. Ad dexteram altera uersus sinum et aquilonem in longitudinem mille et [50] quingentorum passuum submittitur, quoad ex se duos exprimit tumulos uallicula intermedia disiunctos, ubi existit aquæductus in radice tumuli proprius accendentis ad Vrbis murum circuitu maris uacantem. Inter hunc tumulum et sinum olim fuit ædes illa sacra, nobilitata multorum scriptis, Blachernea nuncupata, cuius fundamenta etiam tunc exstabant, cum primum uenisse Byzantium. Ex imo cliuo tumuli eminenti supra ædem Blacherneam subterraneis cuniculis concameratis prodit aqua extrinsecus in Vrbem ducta, quæ iugi fluxu fallit in labrum marmoreum. Collis latus orienti expositum tam longum est, quam collis ipse longus, sed decliuitate eadem non est. Eam enim uariat uallis uaria deiectio, ubi depressa in librata planitiem effertur in sexcentos passus, ubi minus demissa in quingentos, ubi minime deiecta in quadringentos ad tollitur. Neque modo hoc latus inclinatur ad solis ortum, sed etiam, interea dum deiicitur ad orientem, sensim demittitur a parte dextra ad septentriones, sinistra ad cæli regionem medium inter meridiem et occasum. Maritima planities interueniens inter imas radices collis et sinum, strictissima explicatur in passuum latitudinem plus minus octoginta, nempe ubi fuit templum illud nobile et triclinium Blacherneum. Deinde dilatatur in uallem quintam sensim insinuata.

*De ualle quæ diuidit sexicolle Promunturium a septimo colle*  
CAPVT XVII

VALLIS, qua septimus collis diuiditur ab aliis sex collibus, leniter caua exsistit. Producitur in milia passuum circiter quattuor, si planitiem [51] maritimam simul adnumeres, sin uero ipsam excludas et numerare incipias a flexu septimi collis, extenditur in longitudinem trium milium et trecentorum passuum. Eius planities alicubi laxatur in longitudinem sexcentorum, alibi astringitur in amplitudinem quingentorum passuum. Nihil illa quidem ima expressum, nihil emens habere sentitur pedibus, sed oculis acribus paulatim et sensim, tam in longitudinem quam latitudinem, pandi deprehenditur. Sic enim leniter adsurgit, ut nisi ab eo qui diligenter aduertit, uallis imbrici ualde supino similis adsurrectio non percipiatur. In eam desinunt latera tertiae et quintæ uallis, tum imi cliui quinti et sexti collis. In ea continentur horti et prata, ubi milites ludicas pugnas exercere solent. Per hanc medium fluit riuulus, qui aestiuo tempore exarescere solet.

*De septimo colle*  
CAPVT XVIII

COLLIS septimus nuncupatus Xerolophos, in cuius dorso est columna Arcadii, plus minusue duodecim milia passuum circuitu complectitur, ac plus quam tertiam partem Vrbis continet. Reliquas duas partes sustinet Promunturium sexicolle, quod ambitu circumpleteatur amplius uiginti milia passuum. Intellege eos, quos conficere soleo in ambulando, ut intelligere oportet in omnibus ante scriptis passibus. Quos in passus Romanos redigere ausus non sum ob flexiones uiarum et uarietatem passuum, qui inter se differunt, in ascensu et descensu infatigato atque integro. Adde interpellatos insolentis nationis occursu proteruiori taurorum incursu. Septimus collis efficiens [52] tertium Vrbis angulum, quo Constantinopolis existimatur triangula, dupli decliuitate pendet utraque mollissima. Vna ad uallem septimum collem diuidentem a Promunturio sexicolli pertinet, tam longa quam uallis ipsa, cuius cliuus lenis, sed altus circiter quingentos passus. Altera decliuitas deiicitur ad Propontidem,

respiciens partim ortum brumalem, partim meridiem molli cliuo et uario, primo lato<sup>191</sup> quingentos passus, deinde stricto nunc in quadringtonos, nunc trecentos, nunc centum, nunc quinquaginta, quoad peruenit ad angulum Vrbis tertium, ubi planities excurrit usque ad mare. Inter quod et antedictos cliuos perpetua procurrerit litoralis planities, sed uariæ latitudinis. Quæ incipiens ab angulo Vrbis strictissima est, deinde dilatatur in lateris curuitatem uelut uallem planam, ubi a mari ad cliuum excurrit, lata quadringtonos passus. Rursus stringitur in quinquaginta, postea dilatatur in centum, postrema per longitudinem mille passuum latior est quadringtonis passibus. Collis dorsum in longam et latam planitem porrigitur et ab occasu clauditur muro terrestri. In cuius iugo patet cisterna nuncupata Mocisia, spoliata columnis et cameris, cuius muri e lapide quadrato ædificati adhuc exstant cisternam ambientes, quorum circuitus complectitur noningentos et septuaginta passus. Eius solum cultum est hortis in eo consitis.

Hucusque de topographia Constantinopoleos. Quasi tamquam hypotyposi illam sub oculos subiicere conatus sum, ut in quo loco sint quattuordecim regiones Vrbis facilius percipiatur. Longior quam necesse est censeri non debet, præsertim cum nullius urbis descriptio bre-[53] uior esse possit, quam ea quæ informatur oculorum sensu, quo nihil acrius, nihil uolucrarius. Nam etsi Constantinopolis in altum sublata ueluti specula undique circumspicitur, tamen hanc singularum Vrbis partium descriptionem multo celerius perlegeris, quam uolucribus oculis totam Vrbem perlustraueris, aut pedibus eam concursaueris.

### *De muris Vrbis*

#### CAPVT XIX

MÆNIORVM Constantinopolitanorum partes, aliæ lapidibus quadratis, aliæ cæmentitiis, nonnullæ interpositorum laterum ordinibus constructæ sunt. Muri circuitu maris uacantes duplices sunt, fossa cincti larga uigintquinque passus, cum ex utroque latere parietibus munita, tum interiori ex latere alter paries effertur aliquanto supra fossam, pinnis crebris distinctus<sup>192</sup>. Spatium intercurrens inter duplicem murum latum est duodeuiginti pedes. Interior murus excelsus quidem, et latus plus uiginti pedes, in quo ex continenti sunt plus ducentæ quinquaginta turres, in quas gradibus lapideis ascenditur usque ad sumnum. Exterior murus dimidio minor, sed totidem turribus creber. Quod autem ad munitionem adinet, spatium inter fossam et murum exteriorem altius est altero fossæ latere. Item spatium inter duplices muros altius est iam dicto spatio. Regio uero exterior muris uicina, nuda a tectis, partim plana, partim collina, sed ita plana, ut campi longe pateant, ex summisque muris longe quoquouersum panditur prospectus. Neque dubium est, quin munitissima Constantinopolis fieri queat.

Muri maritimi humilio-[54] res sunt terrestribus, simplices quidem, sed bene crassi et turriti. Ex parte sinus absunt a litore plus minus quinquaginta passus ambulatorios, ut ante scripsi in tractatu *Bospori*. Ex parte faucium Bosporicarum et Propontidis, muri quidem non absunt a litore, sed siti sunt supra litoris crepidines, nisi ubi scalæ portuosæ sunt, ubi admittunt spatium inter scalas et murum. Zonaras tradit Theophilum regem [...] maritimos muros Vrbis [...] uetustate et fluctibus maris *aliisque casibus labefactos renouasse [...] et altiores erexisse, quam prius fuissent*. Quos hodie exstantes maritimos ab hoc Theophilo renouatos fuisse indicat in multis murorum partibus nomen Theophili regis incisum atque

191 lato : alto *edd.*

192 distinctus : distincta 1561.

inscriptum magnis literis. *Nicephorus [...] rex grauis Byzantiis, quod onus imposuit ex muris consenescientibus, ut exigeretur tributum appellatum dicerat.*

Nouos muros et antiquos tempore Iustiniani fuisse colligere possumus ex eius *Nouis Constitutionibus*, cum maiorem mercedem statuit feretri baiulis et funeri operam dantibus, qui efferunt funus extra nouos Vrbis muros, aut traiectum Iustinianarum, siue alias traiectus. Ex quo colligere possumus Iustiniani temporibus adhuc exstisset muros antiquos, quos Constantinus Magnus posuerat, et nouos, quos Theodosius Minor construxerat.

Quales muri fuerint, cum antiqui Byzantii respublica floreret, in principio demonstrauit, et ex Herodiano intellegere possumus, qui tradit Byzantium præualido et maximo muro circumdatum fuisse, facto ex ingentibus saxis *in quadrum redactis tanta commissura [...], ut nemo existimasset opus compositum, sed unius lapidis totum esse.* Atque ex Pausa-[55] nia colligere licet, qui libro quarto inquit : muros *Babylonios aut Memnonios [...] non uidi, neque [...] quemquam audiui, qui ipsos uidisset [...]. Muri Byzantii et Rhodi [...] existimantur [...] munitissimi, at his [...] munitiores*, qui Messenem Peloponnesiacam claudunt. *In Thracico Byzantio historiæ proditum est diuitias seruasse [...] Athenienses, ex eo quod urbs munitissima esset.*

Qui autem sint muri, quos Constantinopolis duplices tradit antiqua *Descriptio* regionum, hinc qui hodie exstant, an uero qui a Theodosio fuerunt conditi, relinquo considerandum. Hoc dumtaxat dicam, mihi interim non uideri totos esse, quos describit antiqua *Descriptio*. Nam templum Apostolorum ponit in regione Vrbis uicina muris Vrbis. Atque extra muros ponit decimamquartam regionem, quæ hodie intra muros, aut tota est, aut maxima pars. Adde, quod Theodosius Minor, qui ante Iustinianum fuit, ne Blachernas quidem intra muros ponit, quas extra Vrbem tempore Iustiniani fuisse ex Procopio adsequor, nunc uero intra Vrbem sunt, neque Septem Turres, neque turribus longe interius situm templum, quod Studius ille illustris construxit.

*De Constantinopolis portis et septem turribus antiqui Byzantii*  
CAPVT XX

MARIS circuitu uacantes muri sex portas habent, unam infra palatum Constantini nuncupatum, alteram Adrianopolitanam, tertiam supra supercilium septimi collis ; præter eas habet portam Auream, et Selymbriæ siue Reginæ, et portam Septem Turrium. Ex parte sinus prima est porta Blacher-[56] nea, quam hodie appellant Xyloportam, sitam prope tertium Vrbis angulum, deinde subsequitur Cynegos siue Palatina, inde Phanaria, Hagia, porta Iubalica, Farinaria, Lignaria, Seminaria, Piscaria, Neorii porta, inde Demetrii porta in mucrone primi collis sita. Ex parte Propontidis sunt circiter quinque singulæ habentes scalam projectam in mare, qua portus pateat nauigiis, præter portas sæpti Regii. Prima est Stercoraria, secunda Leonina, tertia Condescala ; duæ sunt sub septimo colle. Apud scriptores celebrantur hæ portæ : Cynegos, tum Reginæ et Eugenii portæ, et Xylocerci, et porta Aurea, Myriandros, Condescala, Charisiana.

In antiquo Byzantio fuit porta Thracia. Apud Dionem scriptum est, ut *septem [...] turres a portis Thracicis nuncupatis pertinerent ad mare.* Georgius Cedrenus declarat *ad mare* pertinuisse *septentrionale*, hoc est ad sinu Cornu appellatum. *Harum si [...] quis [...] in primam uocem immisisset, aut lapidem proiecisset, ipsa similem uocem resonabat [...] quadam machinatione, et secundæ dabat repetendam, itaque per omnes [...] uox procedebat.* *Neque alia aliam turbabat, sed singulæ [...] uocem explicatam excipiebant.* Plinius hoc ipsum attribuit Cyzico. *Eadem, inquit, in urbe iuxta portam, quæ Thracia uocatur, turres septem*

*acceptas uoces numeroso<sup>193</sup> repercussu multiplicant, nomenque huic miraculo Echo est a Græcis datum.* Apud neminem, præter Plinium, legi Cyzici portas Thracias, quamquam fuisse Cyzici existimo ex portu Cyzici nuncupato Thracio. Cuius meminit Apollonius libro primo *Argonauticorum*, cum ait :

λυσάμενοι ἱερῆς ἐκ πείσματα πέτρης·

[57] ἥρεσαν ἐξ λιμένα Θρήκειον.

Fuisse etiam prope Cyzicum *uicum nuncupatum Θρᾳκίαν*<sup>194</sup> liquet ex Plutarcho in *Vita Luculli*. At Byzantii non modo recentiores, sed etiam Dion et Xenophon : hic quidem scribit *Alcibiadem Byzantios intromisisse [...] apertis portis*, quæ Thraciæ appellantur.

*De muris longis*

CAPVT XXI

SVBVRBANA prædia Constantinopoleos muris longis claudebantur. Iter duorum dierum quos, a ponto Euxino ad Selymbriam sitam in litore Propontidis, distantes ab Vrbe quadraginta milia passuum, *latos uiginti pedes Romanos, Anastasius [...] imperator condidit* contra impetum Bulgarorum et Scytharum. Eos muros a barbaris sæpe captos et multis locis euersos Iustinianus restituit et, ut facilius milites præsidiarii muros tueri possent, *exitus turrium patentes in alias turres obstruxit [...], singulisque ascensum a solo [...] reliquit* patentem *unicum, quem solum [...] singularum turrium milites contra hostes [...] etiam intra muros uersantes tueri possent.* Euagrius *Sacræ Historiæ conscriptor Murum Longum nuncupatum tradit excitasse Anastasium, [...] qui distaret a Constantinopoli ducenta et octoginta [...] stadia, utrumque mare [...] adtingens, longus quadringenta et uiginti stadia, uelut fretum quoddam efficiens, et Constantinopolim parum<sup>195</sup> insulam pro peninsula reddens, uolentes [...] transire ex [...] Ponto in Propontidem [...] tutos præstans, et prohibens excurrentes barbaros ex [...] Euxino ponto, et Colchis, et Mæotide, et [...] Caucaso, effusos in Europam.*

---

193 numeroso : numerosiore *edd.*

194 Θρᾳκίαν : Θρᾳκειον *edd.*

195 parum : paruam *edd.*



## [58] LIBER SECUNDVS

*De aedificiis et monumentis antiqui Byzantii et Nouæ Romæ Constantinopolitanæ*  
CAPVT I

FORMA Vrbis expressa et magnitudine explicata, naturalique situ septem collium patefacto, relinquitur ut declarem, quæ aedificia quæve alia monumenta olim habuerit et nunc habeat Constantinopolis, et in quot regiones, cum appellaretur Noua Roma, diuideretur, in totidem enim quot antiqua Roma diuidebatur. Evidem cum in huius diuisionem regionum ante mille annos a nobili, magis quam noto, auctore scriptam incisissem, sperabam me facile adsecuturum antiquam Vrbem. Sed barbari homines antiqua illa et plane heroïca Vrbis ornamenta, quibus uiles casas exornarent, sic labefactarunt et barbaricis oppressere aedificiis, ut ueterum fundamentorum paucis in locis restent uestigia. Adde incendia et ruinas, quas cum alii barbari, tum postremam Turci ediderunt, qui iam centum annos non cessant funditus antiquæ Vrbis uestigia delere. Ita enim ab imis fundamentis aedificia prisca demoliuntur atque in aliam formam immutant, ut ne illi quidem, qui ea uiderint, agnoscere queant. Adde Græcorum inertem inscitiam, qui uidentur totum Oblivionis flumen ebibisse. Illorum enim nemo iam reperitur, qui ubinam essent uestigia antiquorum monumentorum sciat aut scire curet, ut ne sacerdotes quidem ulli recognoscant loca, ubi paucis ante annis ædes sacræ deletæ sunt, et ualde mirentur si quis talia inquirat. [59] Ipse tamen, ne otio conficerer, dum a rege constitutos nummos in ueterum codicum conquisitionem exspectabam, quibus potui indicis deprehendere, conatus sum per multa antiquitatis monumenta, quod ille cognoscet, qui similia inuenire nitetur. In describendis monumentis eo ordine partim<sup>196</sup> utar collium, quo usus sum in eorum situ explicando, partim regionum, quibus quattuordecim olim diuidebatur.

*De monumentis primi collis et de prima regione Vrbis*  
CAPVT II

PRIMVM collem, quem Plinius appellat modo Chrysoceras, modo Auri Cornu, sed haud recte, ut declarauit in libris, quos scripsi *de Bosporo Thracio*, Dionysius Byzantius nominat promunturium Bosporium. *De [...] promunturio*, inquit, *quod Bosporium nominamus, duplex uulgatur sermo. Alii [...] dicunt bouem æstro stimulatam, ad ipsum illatam transisse meatum medium ; alii fabulosius commemorant Io Inachi [...] filiam illinc in Asiam traiecerisse*. Idem cum loquitur de Semystra loco ita nuncupato, ait *Semystram [...] locum parum abfuisse, quin [...] Byzantium ibi conderetur a coloniae deductoribus [...] , nisi coruus rapuisset ex media flamma partem uictimæ, eamque [...] in promunturium Bosporium tulisset [...], quod signum illi secuti Byzantium condiderunt in promunturio Bosporio*. Idem alio loco loquens de promunturio Metopo nuncupato, opposito primo colli Constantinopoleos, *excipit Ostreodem locum appellatum Metopum. Hoc enim, inquit, iacet contra Vrbis faciem. Spectat enim ipsum promunturium [60] Bosporium*. Deinde idem Dionysius addit *paulo supra [...] promunturium Bosporium fuisse aram Mineruæ Ecbasiæ*, id est Egressoriæ, appellatae ex eo quod *illinc egressi coloniae deductores statim tamquam pro patria terra pugnassent*. Quam hic appellat Ecbasiæ, possemus etiam Ecbateriam appellare, ut Dianam in Siphno appellatam fuisse et cultam tradit Hesychius. Deinde adiungit Dionysius supra promunturium Bosporium fuisse *templum Neptuni antiquum [...], atque sub templo<sup>197</sup> Neptuni [...] fuisse stadia, gymnasia*,

<sup>196</sup> partim : partium *edd.*

<sup>197</sup> sub templo : supra templum *leg. Mango.*

*curricula iuuenum in planicie*, post mucronem promunturii Bosporii sinum Ceras appellatum immisso tres portus turribus et molibus munitos.

In quo fuit etiam Acropolis Byzantii. Cuius Xenophon meminit, cum scribit Byzantium *ui ingressis militibus [...]*, quorum dux ipse erat, ciues *quasi capta urbe [...]* extrema omnia metuentes [...], alios *in promunturium [...]* proximum, alios *ad mare confugisse*, ac *piscatorio nauigio* nonnullos *circumiectos in arcem* ascendisse *atque [...]* inde *ex Chalcedone* auxiliarios *arcessisse*<sup>198</sup>. Neque modo antiquorum Byzantiorum Acropolis fuit in primo colle, sed etiam regum Constantinopolitanorum, quos scriptores tradunt ad hostes ab ingressu portus arcenos catenam ab Acropoli ad castellum Galaticum obtendisse. Etiam hac ætate Reges Turcorum in hoc promunturio arcem habent circumdatam magnis muris longos latosque, Regis hortos claudentibus.

In ueteri Byzantio fuit campus Thracius appellatus, ad aciem instruendam totius urbis maxime idoneus, ut qui planus et domibus uacuus esset. In quo exercitum Græcorum Xenophon redegit in ordinem militarem. Hunc locum [61] fuisse prope portam Thraciam ex Xenophonte percipitur, cum ait lib. 1. *Hellenicorum, ἀνοίξαντες τὰς πύλας τὰς ἐπὶ τὸ Θράκιον καλούμενον*. Idem lib. 7. *De expeditione Cyri*, loquens de loco intra Byzantium sito, ubi milites redegit in aciem : *τὸ δὲ χωρίον οὗν καλλιστὸν ἐκταξάσθαι ἐστὶ τὸ Θράκιον καλούμενον, ἔρημον οἰκιῶν, καὶ πέδιον*. Antea diximus apud Dionem scriptum esse ut Byzantii *septem turre a portis Thraciis pertinerent ad mare*. Georgius Cedrenus declarat *ad mare pertinuisse septentrionale*, hoc est ad sinum nuncupatum Cornu.

Aram Dianæ Orthosiæ et templum Bacchi fuisse in antiquo Byzantio, Herodotus scribit. *Darius*, inquit, *ubi contemplatus fuit Pontum [...], ad pontem [...]* redit et super Bosporum duos cippos erexit [...] e candido lapide, in uno quidem incidunt literas Assyrias, in altero Græcas [...]. *Byzantii postea in urbem suam transtulerunt ad aram Dianæ Orthosiæ, quibus usi sunt excepto uno lapide [...]*, qui iuxta Bacchi delubrum Byzantii relictus est, literis Assyriis plenus. Orthosiam Laurentius uertit Erectam, rectius uertisset Erectoriam, uel Erectricem dictam, παρὰ τοῦ ἐπορθοῦν τὰς τικτουρίας μαιεύτρια γὰρ ἡ θεός, ab erigendo et subleuando, quod non modo parientibus opem fert, sed etiam profugis, id quod cum ex aliis, tum ex Plutarcho *de Fluminibus* adsequor. *Teuthras [...]*, inquit, rex Mysorum persequebatur aprum [...] cum suis stipatoribus hastatis [...]. Aper ut supplex fugit in templum Dianæ Orthosiæ. Vi irruptibus omnibus in templum, aper humanam uocem [...] exaudibilem uociferatus est : « *Parce rex alumno deae !* » Elatus Teuthras interfecit animal. *Diana ægre ferens factum aprum in uitam restituit [...]*. Regem, qui eum occiderat, impetigine et [62] insania adfecit. Is non ferens morbum in montibus uersabatur. *Lysippa [...]* eius mater cum factum resciuisset, ad siluam accurrit comite uate [...] Polyido, a quo omnem ueritatem edocta, sacrificiis boum deam placauit, et [...] cum filium ad sanam mentem rediisse uidisset, aram excitauit Dianæ Orthosiæ, atque aprum fabricata est aureum [...] habentem humanum caput.

Hæc quidem, antequam Byzantium Seuerus euertisset, erant in primo colle et ualle prima. Postquam Constantinus reædificauit et Nouam Roman Constantinopolitanam uocauit, diuisaque est in quattuordecim regiones, primus collis obtinuit primam regionem continentem *domum Placiæ Augustæ, domum nobilissimæ Marincæ, thermas Arcadianas*. Antiqua quidem diuisio tradit hæc, sed non docet a qua Vrbis parte incipiat prima regio. Neque nunc ex uestigiis ædificiorum in ea comprehensis, quæ nulla restant, cognosci potest. Sed ex Procopio colligere possumus tradente *nauigantibus ex Propontide ad partem Vrbis uergentem ad solis ortum [...]* *thermas [...]* esse publicas, quæ Arcadianæ nominarentur [...], ubi ait Iustinianum aulam [...] construxisse Vrbi prætensam, [...] marique quieto circumfusam [...], ut [...] in hac

---

198 arcessisse : accersisse *edd.*

*inambulantes cum nauigantibus colloqui [...] possent ; ob maris propinquitatem, aulam [...] aspectum pulcherrimum habuisse amoenissimumque, cui adflarent molles [...] auræ, ornamentoque essent columnæ et marmora [...] elegantissima, quibus omne solum [...] aulæ tegeretur, quorum splendor candidissimus æque ut [...] sol fulgeret ; præterea eam [...] ornasse permultis statuis [...] aeneis [...] atque marmoreis polite elaboratis, spectaculum [...] præbentibus plenum maximæ dignitatis. Existimasses [63] esse opus Phidiæ Atheniensis, aut Lysippi Sicyonii, aut Praxitelis ; ibidem etiam Theodoram reginam in columna excelsa [...] et purpurea fuisse positam ab Vrbe, ut pro beneficio aulæ gratiam illi referret [...] ; formosam quidem columnam, sed formosiorem reginam, cuius uenustatem oratione declarare aut imagine exprimere in nullius mortalis facultate positum fuisse. Ex quibus Procopii uerbis, cum adsequor columnam, quæ etiam nunc exstat in cliuo Regii septi uergente ad ortum æstium non esse illam quæ Theodoræ<sup>199</sup> excitabatur, ut quidam putant, nam hæc neque purpurea, et ab aula remotior est, tum ex antedictis Procopii intellege primam regionem Vrbis complexam fuisse mucronem primi collis, quem mare circumfluit ex tribus partibus. Apud plerosque non modo historicos, sed etiam apud grammaticum Suidam inuenio Arcadiæ secundæ uxoris Zenonis statuam fuisse in thermis Arcadianis [...] prope [...] loca nominata Bathra a gradibus ; item Verinæ uxoris Magni Leonis duas statuas, unam in Vrbis parte maxime<sup>200</sup> boreali ad Diuum Agathonicum post ascensum graduum thermis Arcadianis uicinorum, alteram ex parte Diuæ Barbaræ [...], illam quidem [...] positam fuisse uiuente Leone, hanc uero eodem defuncto Leone, quando Basiliscum fratrem suum coronauit fugiente Zenone genero suo.*

Secundæ regionis partem inclusam claustro Regio colligo cum ex ordine regionum, tum ex eius situ, quam antiqua *Descriptio* tradit post æqualitatem sui latenter molli subleuatam cliuo, mox ad mare præcipitiis [...] descendisse. Præcipitia fuisse arbitror, ubi nunc Regis culinæ et thermæ Regiæ aut, si alibi fuerunt, præcipitia illa hominum manu [64] mollita fuerunt. Intra Regium sæptum hodie templum antiquum, quod uulgo appellant Paruam Sophiam, senes quidam affirmant esse ædem<sup>201</sup> Irenem, quam Constantinum Magnum condidisse scribit Socrates. Hanc existimo, quam secunda regio appellat Ecclesiam Antiquam. Partem alteram secundæ regionis extra sæptum Regium adsequor ex ædibus sacris et thermis Zeuxippi, quas secunda regio complectitur. Et Zonaras aliique historici declarant Magnam Ecclesiam appellatam, postea nominatam fuisse Sophiam ædem, quam extra Regium sæptum esse nemo nescit. In sæpto item Regio olim fuisse domum Maximini nobilitatam poetarum uersibus, coniicio ex epigrammate Cyri uiri consularis et patricii :

δείματο Μαξιμῖνος νεοπήγεος ἔνδοθι Ῥώμης,  
 αὐταῖς ἡγόνεσσι θεμείλια<sup>202</sup> καρτερὰ πήξας·  
 ἀγλαίη δέ μοι ἀμφὶς<sup>203</sup> ἀπειρεσίη τετάνυσται.  
 τῇ καὶ τῇ καὶ δόπισθεν ἔχω πτόλιν· ἀλλὰ καὶ αὐτὴν  
 πάνθ' ὄροω<sup>204</sup> γαιῆς Βιθυνηίδος ἀγλαὰ ἔργα.

<sup>199</sup> quæ Theodoræ : qua Theodora *edd.*

<sup>200</sup> maxime : maximæ 1561.

<sup>201</sup> ædem : aedes *edd.*

<sup>202</sup> ἡγόνεσσι θεμείλια : ἡγιόεσσι θεμέλια 1561.

<sup>203</sup> ἀμφὶς : ὀμφοῖς 1561.

<sup>204</sup> ὄροω : ὄρῳ 1561.

ἡμετέροις δ' ὑπένερθεν ἐρισθενέεσσι θεμέθλοις πόντος ἀλὸς προχοήσι κυλίνδεται εἰς ἄλα δῖαν, τόσσον ἐπιψαύων, ὅπόσον χθωνὸς ἄκρα διῆναι. πολλάκι δ' ἔξεμέθεν τὶς ἐὸν μέγα θυμὸν ἰάνθη βαιὸν ὑπερκύψας, ἐπεὶ εἰσίδεν ἄλλοθεν ἄλλα, δένδρεα, δώματα, νῆας, ἄλα, πτόλιν, ἡέρα, γαῖαν.

*De templo Sophiæ*

CAPVT III

RECENTES scriptores Græcorum templum Diuæ Sophiæ primo conditum ab imperatore Constantio filio Constantini Magni tradunt, [65] non quidem lateritio opere, sed ligneo concameratum, *tempore Magni Theodosii*, cum *secunda synodus* [...] haberetur, *ab Arianis exustum ad seditiōnē excitatis* [...], *quod Magnus Theodosius* [...] postea *texit cameris cylindricis*. Deinde iidem scriptores addunt iterum conflagrasse tempore Iustiniani. At Sozomenus certus et antiquus scriptor tradit tempore Theodosii Minoris, cum orta esset seditio in Magno Templo de expellendo Chrysostomo, *repente templum undique deflagrasse igne* injecto ab iis, qui Chrysostomi fautores in templo inclusos comburere una cum templo cupiebant.

Procopius tradit etiam deflagrasse cum Iustinianus imperaret, qui in eam formam, quam nunc uidemus, ipsum reædificauit, sed eo ne loco sit, in quo erat ante Iustinianum, non explicat Procopius. Itaque dubium uidetur ex incerto scriptore commemorante nomina eorum, a quibus domos emerit Iustinianus ad solum eius constituendum. Antiqua Vrbis *Descriptio* ante Iustiniani imperium facta alio loco ponere uidetur, nam Ecclesiam Magnam et Ecclesiam Antiquam ponit in secunda regione, in quarta Augsteum forum, quod infra monstrabo fuisse iuxta ædem Sophiæ. Zonaras tradit *Iustinianum* [...] *multo maiorem* [...] a fundamentis *innouasse*, sed Iustinianum suspicari possumus domos proximas emisse ad augendum templum. Quod autem in diuersis regionibus ponantur Magnum Templum et forum Augsteum, id non impedire quin uicina esse potuerint.

Cum igitur Iustinianus ædem Sophiæ pristinam<sup>205</sup> magnitudine præstantiore effecisset, *et formæ decore, et metallorum uarietate ornasset* [...], parietesque et cameras *cocco latere et calce construxisset*, [66] *atque plerisque in locis ferro colligasset*, nullaque *tigna* [...] interposuisset, *ne* [...] in posterum incendiis pateret, tamen ut in hunc diem euaserit incolmis ab igne, sæpe experta est uarietatem casuum, idque statim a principio. Cum arcus *ad orientem* [...] spectans *nondum* [...] *esset perfectus* [...], sua magnitudine onerabat *pilas* [...], quæ non *sustinentes* [...] arcus *magnitudinem* [...] *subitas ruinas egerunt*, et *quam mox casuræ uidebantur* [...], nisi architecti accelerassent absoluere *arcum* [...]. Qui *in suam curuaturam perfectam incumbens* minus grauis *pilis* [...] fuit seipsum sustinentibus. Arcus uero duo, quorum alter *ad meridiem* [...], alter *ad boream* [...] spectat, pilas suas et structuram inferiorem sic premebant, ut *columnæ* [...] structura contingentes<sup>206</sup> imam arcuum curuaturam *lapillos* quosdam *exiguos ueluti ramenta* quædam *iacularentur* [...], et ruinas ædituræ uiderentur, nisi architectorum ingenio *summas partes* mole laborantes, *quæ adtingebant arcus*, pro tempore *demoliri* [...] studuissent et [...] paulo post restituissent, *cum structuræ humor exsiccatus* esset.

Denique templum hoc Iustinianus cum ingenti sumptu et labore perfecisset, aliquotque annos incolume permansisset, terræ motu concussum est etiam tunc uiuente Iustiniano. Quo

205 pristinam : pristina *edd.*

206 structura contingentes : structuram contingentes 1561, structuram contingentem Banduri.

quidem terræ motu scribit Agathias labefactatam *partem tecti medium* [...] *eminentem* [...] supra omne fastigium *rursus regem instaurasse firmoremque effecisse, et in maiorem altitudinem erexisse*; *quamquam Anthemius*, qui ædem Sophiae architectatus erat, *iampridem mortuus esset, tamen Isidorum iuuenum aliosque architectos, ubi considerassent priorem* [...] *formam* [...], ubi uitium *deprehendissent, orientalem quidem et occidentalem arcum* [67] *in suo loco consistere siuisse, septentrionalis uero et meridionalis* [...] *arcus structuram, quæ efficeret arcus curuaturam, ad interiora subduxisse sensimque ita amplificasse, ut* [...] *reliquo ædificio plurimum congrueret, ut faterentur spectatores æquabilem habere dimensionem latera* [...] *in hemisphærium desinentia; uacuique uastitatem illam architectos in angustum contraxisse, pusillamque oblongi portionem subduxisse* [...] *eatenus, quoad undique congrueret forma. Supra* [...] *arcus sic dispositos rursus collocarunt in medio supereminente circulum, siue hemisphærium* [...] *undique congruens, sed angustius et in acutum porrectius, et tutius contra omnes impetus. Zonaras Magna*, inquit, *Æde*<sup>207</sup> *sacra perfecta et dedicata, euenit ut terræ motu caderet magna sphæra pertinens ad orientem* [...], *frangeretque sacram mensam et pulpitum* [...]. Quam Iustinianus *uigintiquinque pedibus excelsiorem*, quam prius esset, excitauit. Georgius Cedrenus tradit Iustiniani tempore, laborante *hemisphærio Magni Templi* [...] *et rimas agente ex* [...] *crebris terræ motibus, cecidisse partem orientalem* [...] *et contriuisse ciborum, et sacram mensam, et pulpitum* [...]. Iustinianus *excitauit alias pilas, quæ exciperent hemisphærium* [...] *sublimius uiginti pedibus* [...] *quam antea fuisset, extraque templum* [...] *contrapilas quattuor interiores erexit, cochlias* [...], seu muros uelut alas, per quas anfractibus multis graduum ascenditur in supernam partem templi. *Quæ ab imo solo* [...] *surgentes usque ad hemisphærium fulciunt arcus et pilas. Alii auctores, sed obscuriores, tradunt superiori terræ motu cecidisse hemisphærium Sophiæ, quattuor arcus non cecidisse, sed incolumes permanisse, hemisphærium re-*[68] *gem restituisse, sed humilius, quam prius fuisset, triginta*<sup>208</sup> *pedibus. Quos ferrem, si aliis*<sup>209</sup> *terræ motibus traderent rursus concussum fuisse et ita humilius restitutum fuisse. Nam cum Euagrius tradat Iustinianum in tantam altitudinem* [...] *excitasse, ut* [...] *interne ex solo suspicientes adsequi uix possent summum hemisphærii tholum, et ex eius culmine nemo auderet despicere, solum uerisimile uidetur in pristinam altitudinem restituisse.*

Basilus rex eiusdem Sophiæ arcum magnum uergentem ad occasum, ex terræ motu multas ruinas agentem et casum minitantem, peritia architectorum constringens firmum et stabilem reddidit, teste Georgio Cedreno. Nicephorus in reginam Annam, quæ tempore tyranni Cantacuzeni<sup>210</sup> thesauros Sophiæ expilabat, acerbe inuehitur, atque exclamat propter tyrannides et uarias religionis sectas ædem Sophiæ ruinam edidisse *sine ullo terræ motu* [...]. *Nam, ut ipse adiungit, cum ad uesperam* [...] *cælum serenum esset, circiter median noctem* [...] *unum ex* [...] *quattuor arcubus ad ortum solis spectantem cecidisse, secumque traxisse* [...] *hemisphærium quod sustineret, et contriuisse* [...] *tribunal templi, et imaginum ornatum* [...] *et sacras* [...] *columnas, et medias aulas. Post hæc Nicephorus adiungit a multis tum dictum fuisse, quod nisi crepidines et fulcimenta ad orientem pertinentia diligenter prius constructa exsistissent ab Andronico rege* [...], *multo maior fuisset casus, et quidem unus ex insanabilibus.*

207 *Æde* : *Ædes* 1561.

208 *triginta* : *uiginti quinque* *edd.*

209 *aliis* : *aliis* *edd.*

210 *Cantacuzeni* : *Catacosmi* *edd.*

Euagrius scribit ædis Sophianæ *longitudinem* hanc esse, nempe *a concha, ubi incruentum sacrificium litatur, ad [...] portam conchæ aduersam esse centum nonaginta pedes, latitudinem uero a borea ad notum centum et [69] quindecim [...]*, altitudinem a paumento ad centrum hemisphærii *pedum centum octoginta*. Longitudinem uero ab oriente ad occasum eam ipse metiri ausus non sum, sed metiendam curaui per hominem Turcum, qui mihi retulit latitudinem templi esse ducentorum et tredecim pedum, longitudinem uero ducentorum et quadraginta pedum, altitudinem a summa curuatura arcum usque ad paumentum centum quadraginta duorum pedum. Hemisphærium non mensus est qui, si recte mensus est altitudinem, parum discreparet ab altitudine, quam tradit Euagrius.

Qualis olim fuerit ædes Sophiæ ? uide Procopium, Agathiam, Paulum Florum, Euagrium. Qualis autem hodie fit ? adiungam huc, quatenus cognoscere mihi licuit.

*Descriptio templi Sophiae quale hodie uisitur*  
 CAPVT IV

EIVS parietes et cameræ coctis lateribus constructi sunt. Parietum interior pars, crustis marmoreis uestita excellentibus et uariis, fulgurat et permiscet cum summas naturæ uires, tum mentes spectantium. Cameræ calculis et tessellis uitreis inauratis fulgent, etiam ad oculos barbarorum summa arte elaboratis. Concameratio octo pilis sustinetur, quarum quattuor maiores et excelsiores, in ordinem quadrum dispositæ, sustinent ingentes quattuor arcus fulcientes hemisphærium. Quorum quidem duo, septentrionalis et meridianus, curuaturam suam imam substructam habent tenui pariete fenestellis uitreis pleno, sustentato columnarum dupli ordine inferiore et superiore. Infe-[70] rior habet quattuor<sup>211</sup> columnas ad solum nitentes, superior sex sustinentes parietem subtilem et subiectam imæ arcus curuaturæ. Reliqui duo arcus orientalis et occidentalis intra curuaturam suam nihil substructum habent, sed apertum et uacuum a parietibus et columnis, ut horum uacuitate templum efficiatur capacious. Nam ad eorum imam curuaturam committuntur extremæ partes ultra pilas projectæ, in sphæræ quartam partem recedentes. Quæ nituntur tribus arcubus, qui sustentantur duabus pilis minoribus et duabus maioribus. Quattuor enim pilæ maiores non solum sustinent quattuor arcus maiores, sed etiam earum singulæ duos arcus minores, unum pergentem in longitudinem, alterum in latitudinem, quibus templum longe porrigitur et late dilatatur. Sic enim ab oriente et occidente quarta pars spheræ applicatur hemisphærio, ut intus una et eadem concameratio esse uideatur. Foris uero separata apparet, ornatius efficiens hemisphærium alte eminens supra duas quartas spheræ partes.

Latitudo uero dilatatur ultra pilas arcubus et columnis et parietibus, ex utroque latere, septentrionali scilicet et meridionali, sex uelut aulas capiens, tres inferiores, et totidem superiores, uario marmore uestitas, concameratas, calculis inauratis et figuratis ornatas. Ita enim ex singulis pilis duplices arcus nascuntur in templi latitudinem porrecti, ut eorum alterum cornu conquiescat in muro extrinsecus obnitente maioribus pilis. A quibus quattuor arcus in utriusque<sup>212</sup> parietis latus emittuntur, duo quidem inferiorum trium aularum concamerationem sustinentes, reliqui duo superiorum totidem aularum testudines. Quarum latera [71] singularum partim admituntur ad arcus, partim ad parietes, partim ad columnas. Vnde fit, ut pars ædis interior, et media illa ingens uacula si sola consideretur comprehensa intra pilas et columnas, sit forma ouata, si uero tota tam intra quam extra pilas perspiciatur, sit quadrata. Ita enim ex utroque latere, uelut alæ appensæ, sunt tres aulæ inferiores, et totidem

211 quattuor : octo *edd.*

212 utriusque : utrumque *edd.*

superiores, ut ab imo paumento procedat quadrata usque ad curuaturam superiorum aularum, deinde intra octo pilas in ouatam formam contrahatur usque ad curuaturam quattuor arcum sustinentium hemisphærium.

Forma aularum, seu cellarum, quas dixi cingere utrumque latus talis est. Ex tribus lateribus aulæ quadratæ sunt. Ex quarto latere, quod intuetur interiore ædis partem, figuram templi sequuntur<sup>213</sup>, quam obrotundam efficit pilarum et columnarum dispositio. Sustinetur arcubus et columnis concameratio aularum, quarum describam dumtaxat treis : quibus cognitis ceteræ omnes simili forma esse cognoscentur. Incipiam a tribus superioribus, sitis in latere templi septentrionali, quarum prima est in angulo intuenti septentrionem et orientem. Eius duo latera exteriora surgunt a muro et desinunt in arcum. In laterum medio columnæ tres sunt quadratæ loco parietis, nempe fenestrarum parastades, quarum scapus habet perimetrum quinque pedum et unius dodrantis. Supra easdem eminent aliæ tres quadratæ. Hæ omnes sunt marmoris albi in colorem glaucum uergentis. Latus pertinens ad interiore ædis partem, habet sex columnas uirides, subiectas arcui sustinenti quartam partem spheræ orientalis, quarum imus scapus ambitum habet septem pedum et [72] octo digitorum. Earum intercolumnia, diastyli dispositione distincta, lata septem pedes et undecim digitos, pluteis muniuntur marmoreis, altis quattuor pedes, quibus incumbentes uident interiore ædis partem tam infernam, quam supernam. Latus interiectum inter primam aulam et secundam, a pariete exteriori uergente ad septentrionem usque ad pilam magnam sustinentem arcum hemisphærii, largum est quadraginta quattuor pedes. Quorum partem possident pilæ, partem arcus surgens a tergo pilæ sustinens hemisphærium. Quo toto patente lato iuxta paumenti uiginti pedes transitur a prima aula ad secundam aulam. Reliquam lateris inter primam et secundam aulam intermedii partem, latam uiginti quattuor pedes, occupant pila<sup>214</sup> arcus, et murus surgens uelut ala usque ad concamerationem hemisphærii. Secundæ aulæ concameratio extrema sustinetur arcubus et parietibus, media uero nititur quattuor columnis albis ad glaucum colorem accendentibus, quarum scapus in ambitu circumlectitur septem pedes. Secunda siue media aula quadrata est. Cuius duo latera sustinentur partim muris, partim arcubus, quorum alterum cornu nascitur a tergo duarum magnarum pilarum sustinentium magnum hemisphærium, alterum sustinetur pilis orientibus ex interiori parte murorum alariorum fulcientium pilas maiores. Huius secundæ siue mediae aulæ latus exterius loco parietis habet octo columnas quadratas, quarum perimeter est sex pedum. In earum medio est magna pila. Inter columnas eas parastadum uicem præstantes sunt fenestrae. Præterea supra easdem columnas exsistunt pilæ parastadum uicem præ-[73] bentes superioribus fenestris. Quæ tam superiores, quam inferiores numero sexdecim aulam hanc medium illustrant, cuius latus uergens in templum interius sex uiridibus columnis ornatur. Harum intercolumnia habent pluteos similes pluteis primæ aulæ. Camera media sustinetur columnis colorem medium inter album et glaucum præ se ferentibus, in quadratum ordinem dispositis, quarum duæ stant non longe a latere exteriori, reliquæ duæ parum absunt ab interiori latere ornato sex columnis. Ex hac media aula exitus patet in tertiam per arcum tam late patentem, quam alterum, per quem aditus est a prima aula in secundam. Tertia aula similis est primæ aulæ longitudine, fenestris, parastadibus, columnis, quibus quattuor sustinetur eius camera, et latus interius sex uiridibus. Iam uero inter pilas duas, quibus sustinetur quarta pars spheræ occidentalis, exstant quattuor columnæ uirides, eademque binæ inter se coniunctæ. Inter has intercedunt quattuor columellæ uirides, Ionicæ.

Templi uero ualuæ occidentales loco uestibuli duas porticus habent, inferiorem qua aditum templum plano pede, superiorem qua gynæconitides aulæ adeuntur, ambas tam longas, quam

213 sequuntur : sequitur *edd.*

214 pila : pilæ *edd.*

templum latum, largas uiginti octo pedes. Porticus superior supra porticum inferiorem sita est inter pilas sustinentes quartam partem sphaeræ occidentalem et fenestras. Nam a parte interiori octo pilis, ab exteriori totidem sustinetur, inter quas fenestræ tam inferiores, quam superiores illuent cinctæ columnis quadratis. Inter hanc porticum et aulas feminarum, nihil interest, nisi pilæ sustinentes porticus cameram interiorem. Pauimentum enim porticus æquale est aula-[74] rum pauimento. Porticus inferior est duplex. Interior clauditur utrimque muris marmororum iucundissima uarietate uestitis. Tegitur cameris figuratis ornamento tessellato calculorum inauratorum. Ex huius porticus latere orientali nouem portis patet aditus in templum. Ex latere occidentali quinque portis aeneis, duplicibus patet exitus ex interiori porticu in exteriorem porticum. Ex qua proditur in aream, ubi perennes saliunt aquæ, ad quas ex area descendit multis gradibus. Per capita harum porticuum aditus patet, unus a septentrione, alter a meridie, sex ualuis olim aeneis omnibus, iam dumtaxat tribus aeneis egregio opere elaboratis. Ædes Sophiana ex parte orientis habet duas portas, easque duplices. In lateribus sunt aliquot clausæ, quæ nunc non aperiuntur.

Ædis interiora fulgent clarissima luce ob multitudinem lumen. Summus murus, qui in orbem fertur inter quattuor summos arcus et hemisphærium, quadraginta fenestræ lucem intromittit. Muruli arcibus subiecti illuminantur uiginti quattuor fenestræ, aulæ intermediæ triginta duabus. In singulis extremis aulis orientalibus lucent plus uiginti. Prætero duas occidentales et quattuor inferiores aulas, tum duas quartas partes sphaeræ, tum sacram ædis partem solis sacerdotibus olim patentem. Sileo superiorem porticum etiam in medium templum clarum lumen emittentem, quorum omnium lumina ob multitudinem numerare omisi.

Maximus Sophiani templi aditus est ab occasu plano pede, non enim ut Pantheon Romanum, gradibus ut olim ascendebat, ita<sup>215</sup> nunc descendit, nisi ab ortu, unde quinque gradibus descensus patet in ædem. Sed in superam ædis par-[75] tem ascensus exsistit quattuor cochleis, quas ante dixi oppositas ad fulciendas quattuor maiores pilas. Georgius Cedrenus *cochleas* appellat, sed non satis proprie, cum magis in anfractuum normalium, quam cochlearum modum gradus surgant. Quinque enim anfractibus ab imo ascendit, non exasperatis in gradus, sed in mollem cliuum substructis ex amplis mensis marmoreis, horum quinque anfractuum singuli alti undeuiginti pedes et sesquipedem, lati quinque pedes. His anfractibus succedunt alii anfractus usque ad templi tectum, non cliuis molliti, sed in gradus fracti, quibus adeuntur aulæ, et porticus superiores, et summæ templi partes.

Si quis ea, quæ ante dixi de templo Sophiæ, conferet<sup>216</sup> cum descriptione Procopii et Agathiæ, cognoscet de illo, quod Iustinianus condidit, non tantam diminutionem factam esse, quantam ciues Constantinopolitani prædicant, iactantantes longe maius exstisset, multaque illius membra a barbaris diruta esse, decimamque partem uix hodie exstare. Quorum opinionem ferendam putarem, si intellegarent<sup>217</sup> domos regum, sacerdotum, senatorum circum ædes constructas a barbaris et incendiis deletas esse. Sin membra ædis Sophianæ a Iustiniano conditæ, longe errant, omniaque eius fere constare video tradita a Procopio, præter porticum alteram. Nam cum, teste Procopio, utrimque porticus haberet, nunc dumtaxat ex una parte, eaque occidentali habet. Orientalis non exstat, sed cecidisse aliquo terræ motu uerisimile est, ipsiusque in locum excitatam fuisse molem illam, quæ hodie exstat lapide quadrato constructa, uelut crepido cliuosa obiecta ad fulciendam partem ædis orientalem. Verum iam [76] tam excelsam ob terræ motus non arbitror, quam primo fuit. Sed tamen tanta altitudine

<sup>215</sup> ascendeatur, ita : ascendit, aut ut *edd.*

<sup>216</sup> conferet : conferat *edd.*

<sup>217</sup> intellegarent : intellegant *edd.*

nunc adtollitur, quanta fere traditur ab Euagrio. Atque adeo post terræ motus ad fulciendas pilas laborantes, uel terræ motu, uel pondere hemisphærii, aucta est quattuor muris longis plus uiginti pedes, latis plus octo, in altitudinem maiorum pilarum adsurgentibus. Quos alares appellare possumus a similitudine alarum architectonicarum, uel potius ἐρείσματα, id est obnitentia firmamenta, quibus latus ædis pertinens ad septentrionem et latus austrinum præfulciuntur atque præmuniuntur. Exstant templi extremitates ultra octo pilas projectæ, in spheræ quartam partem recedentes, ex supra parte quiddam Lunæ curuatæ in cornua simile præ se gerentes. Exstant cellæ, siue aulae, inferiores quidem andronitides, superiores gynæconitides. Exstant infinita uarietate marmorum præstantissimorum uestiti parietes et pilæ, et tota concameratio tecta tessellis inauratis, et non modo Moseaci operis ratione iam perulgata, sed antiqua illa recondita amussi dimensis, egregie in hunc diem eminentibus, nisi qua offensiones intercedunt, quas intulerunt imaginum oppugnatores. Denique ut corpus et membra Sophiæ ædis fere omnia exstant, sic nihil exemptile, nisi exiguum quiddam ex infinite metallorum. Exstat templi pars pura olim et sacra, solis sacerdotibus attributa, sed nihil gemmarum hodie appetet. Omnium nationum bellica direptione spoliata, non modo mensa illa, quam nemo imitari poterat, a Iustiniano refecta ex auro, argento, omnique genere lignorum, gemmarum, quæ producit mare et cunctus orbis, sed etiam donis aliis infinitis [77] denudata, quibus reges Constantinopolitani, et pontifices, et principes eam ornarant, atque etiam mulieres cum aliæ permultæ, tum Pulcheriam Arcadii filiam, Theodosii Minoris sororem scribit Sozomenus *ex auro et lapidibus pretiosis pulcherrimum et mirabile quoddam [...] spectaculum, mensam [...] deditse sacræ ædi Constantinopoleos.* Nequedum uectigalibus, quibus erat immensis locupletata, priuantur Maumetani sacerdotes, neque mille et centum tabernis siue officinis, quas uectigales et liberas possident, sitas in pulcherrimis foris Constantinopoleos.

*De statuis inuentis in latere ædis Sophianæ*

CAPVT V

*EX LATERE templi Sophiae* Suidas (quem cito uelut receptum in primam classem grammaticorum) refert, *statuas [...] repertas fuisse deorum Graecorum plusquam septuaginta, et duodecim signorum Zodiaci, et regum Christianorum [...] octoginta, quas Iustinianus Vrbi distribuisset, cum Magnum Templum ædificauit.* Possem huc adiungere nomina harum statuarum ex incerto scriptore, qui scripsit de *Patria Constantinopolitana*, nisi in aliis permultis mendacem deprehendissem.

*De Pharo promunturii et Mangani<sup>218</sup>*

CAPVT VI

AMMIANVS Marcellinus scribit *promunturium Ceras prælucentem nauibus uehere constructam celsius turrim, quæ Pharus appellaretur.* [78] Hæc alibi rectius esse non potuit, quam prope templum Sophiæ. Vnde nam commodius et latius illucescere potuisset nauigantibus ex Bosporo et Propontide ? Promunturium Ceras Dionysius Bosporium appellat et dicit *ex eo Inachi filiam ira Iunonis stimulatam traiecissem in Asiam.*

Mangana locus ita appellatus, ubi machinæ bellicæ seruabantur, erat in claustro Regio aut prope claustrum iuxta Bospori fauces extremas. Rex Constantinus Monomachus splendidum et amplum a fundamentis *monasterium condidit [...] in nomen [...] martyris Georgii*, quod Mangana appellant. Alexius Comnenus cum podagra laboraret, *in Magnum Palatium, quod ad*

---

218 Mangana : Mangana *edd.*

*solis ortum est, gestatur [...]. Ac cum palatii huius aer medicis non satis commodus [...] uideretur, in palatum Manganorum transfertur.*

*De thermis Zeuxippi et de eius statuis*  
 CAPVT VII

THERMAS Zeuxippum nuncupatas a Ioue Zeuxippo, ait Cedrenus in eius templo ædificatas, quod Eusebius confirmare uidetur : *Ex [...] Zeuxis, inquit, pictoris imaginibus, quas plurimas [...] fecit lauacrum Byzantiorum quidam appellatum arbitrantur.* Fuisse uicinas Sophiæ ædibus, adsequor non modo ex antiqua *Descriptione*, quæ ponit in eadem regione templum Sophiæ et thermas Zeuxippi, sed etiam ex incendio facto tempore Iustiniani, quo deflagrasse templum Sophiæ et uicina ædificia, ut balneum Zeuxippum appellatum et regiæ uestibulum, quod Chalca appellatur, testatur Procopius, et Zonaras qui *Seuerum [...] Imperatorem* scribit id Hippodromo coniunxisse [...] et ædificasse in templo Iouis. Leontius antiquior et grauior testis non coniungit Hippodromo, sed uicinum facit uersibus inscriptis in domum sitam inter Zeuxippum et Hippodromum :

Λεοντίου εἰς οἴκον κείμενον μέσον τοῦ Ζευξίππου καὶ τοῦ Ἰππικοῦ.  
 ἐν μὲν τῇ, Ζεύξιππον ἔχω πέλας ἥδὺ λοεθρόν.  
 ἐκ δ', ἐτέρης, ἵππων χῶρον ἀεθλοφόρων.  
 τοὺς ρά θεησάμενοι, καὶ τῷ δ' ἐνι χρώτα λοέσσαι,  
 δεῦρο καὶ ἄμπνευσὸν δαιτὶ παρ', ἡμετέρῃ·  
 καὶ κε πάλιν σταδίους ποτὲ δείελον ὕριος ἐλθοις,  
 ἐγγύθεν ἐγγὺς ἴων γείτονος ἐκ θανάτου.

Cedrenus inquit, *uariam in hoc balneo contemplationem et splendorem fuisse artium, marmorum [...], calculorum, statuarum ex ære factarum [...], hominum antiquorum, quibus nihil deerat præter animas, ad uere repræsentandum eos, quos imitantur. Inter quos erat Homerus [...] mentem contrahens et contendens, et manus sub imum pectus coniugens. Barba eius simpliciter demissa erat, capillus [...] similis, ex utraque parte caluariae rarus [...], facies tætrica ob senectutem et [...] commentationem, nasus [...] per omnia mediocris. Oculi conciliati palpebris, uelut de ipso fama est, cæcum præ se ferunt. Supra tunicam gestabat pallium [...]. Lorum quoddam æreum pedibus subiiciebatur. Erant præterea statuae ex ære factæ omnium sapientium sublimium, et poetarum, et rhetorum, et [...] heroum fortitudine [...] celebrium.* Tum ex marmore permultæ adeo antiquo opere elaboratæ, ut spirare uiderentur, quas omnes consumpsit incendium. Inter quas fuerunt statuae Deiphobi, Æschinoris, Demosthenis, Aristotelis, Euripidis, Hesiodi, Theocriti, Simonidis, Anaximenis, [80] Chalcantis, Pyrrhi, Amymones<sup>219</sup>, Saphous, Apollinis, Veneris, Chrysæ, Iulii Cæsaris, Platonis, Hermaphroditæ, Erinnæ, Terpandri, Periclis, Pythagoræ, Stesichori, Democriti, Herculis, Auroræ, Æneæ, Creusæ, Heleni, Andromachæ<sup>220</sup>, Menelai, Helenæ, Vlyxis, Hecubæ, Cassandrae, Polyxenæ, Aiakis, Paridis, Ēnonæ<sup>221</sup>, Daretis, Entelli, Charidemi, Melampi, Panthoi, demogerontis <Thymœtæ>, Isocratis, Amphiaraï, Sarpedonis, Achillis, Mercurii, Apuleii, Dianæ, Pherecydis, Heracliti, Cratini, Menandri, Amphitryonis, Thucydidis, Herodoti, Pindari, Xenophontis, Alcmeonis, Pompeii, Vergilii, aliæque plures statuae uersibus descriptæ a Christodoro poeta Thebæo, siue, ut alii tradunt, nato ex urbe

219 Amymones : Amynones 1561.

220 Andromachæ : Andromachi 1561.

221 Ēnonæ : Ēnoæ edd.

Copto Ἀgyptiaca. Cuius uersus explicarem, nisi id longum esset, et satis sit digitos intendere ad fontes.

Fuit prope thermas Zeuxippi balneum paruum celebratum uersibus Leontii :

μὴ νεμέσα Ζεύξιππε παραντέλλοντι<sup>222</sup> λοετρῷ<sup>223</sup>.  
 καὶ μεγάλην παρ' Ἄμαξαν Ἐρωτύλος<sup>224</sup> ἥδὺ φαείνει<sup>225</sup>.

Nunc nulla Zeuxippi uestigia restant, neque aliorum permultorum balneorum, etsi de illis scripta epigrammata exstant, ut illud celebratum ab Agathia, in quo Venus erat, item alterum didymum, in quo mulieres et uiri lauabantur, decantatum uersibus Pauli Silentarii, et aliud illustratum epigrammate Leontii Scholastici, atque illud nuncupatum Cupido descriptum a Mariano Scholastico. Quæ uel perierunt, uel a Mametanis ita immutata sunt, ut non agnoscantur.

[81]

*De xenodochiis Sampsonis et Eubuli*

CAPVT VIII

*ERAT quoddam [...], ut Procopius inquit, xenodochium hominibus attributum inopibus et ægrotantibus [...]. Hoc quidam uir pius nomine Sampson superioribus temporibus ædificauerat. Sed non mansit [...] intactum ab incendio, quod excitauit seditiosa plebs, quo illud una cum Templo deflagravit. Hoc reædificauit Iustinianus<sup>226</sup> [...], pulchritudine quidem structuræ dignius et multitudine domuncularum [...] amplius reddidit, uectigalique annuorum nummorum magno dotauit, ut pluribus [...] subueniret adfectibus [...]. Ac nondum hac erga Deum obseruantia [...] satiatus, duo præterea xenodochia e regione illius [...] adiunxit, ea excitans in domibus, quæ Isidori et Arcadii nominantur, adiutus [...] a regina Theodora. Hæc quidem Procopius, ex quo colligitur xenodochium Sampsonis, quod perierit eodem incendio quo Magnum Templum, non longe a Sophia fuisse. Hoc Historia incerti auctoris docet fuisse e regione ædis Sophianæ, cui ut credam me adducit Zonaras, similiter tradens a seditiosa plebe immissum fuisse incendium, quo Magnum Templum [...], et Sancta Irene, et Eubuli xenodochium, et [...] Chalca [...], et Seueri balneum appellatum Zeuxippus, aliaque permulta deflagrarunt. Cui consentit Georgius Cedrenus loquens de eodem incendio : Magna, inquit, pars Vrbis, Magnumque Templum [...], et Sancta Irene, et xenodochia Sampsonis et Eubuli, una cum ægrotis exusta sunt, atque etiam uestibulum Basilicæ, Augsteum, [...] Chalca [...], duæ porticus usque ad forum [...] et Octogonium, et balneum [...] appellatum Zeuxippus. Post-*

[82] quam superiora ex Procopio edito scripsisse, incidi in Procopii manuscriptum codicem declarantem xenodochium Sampsonis fuisse medium inter [...] ædes Sophianæ et Irenæ.

*De statua Eudoxiæ Augustæ, ob quam Chrysostomus ejectus in exilium*

CAPVT IX

SOCRATES et Sozomenus sacræ historiæ scriptores tradunt Eudoxiæ Augustæ statuam [...] argenteam supra columnam purpuream, secundum latus meridianum ædis Sophianæ, uia

222 παραντέλλοντι : παρ' ἀνατέλλοντι 1561.

223 λοετρῷ : λοεθρῷ 1561.

224 ἐρωτύλος : ἐρεύτιλος 1561.

225 φαείνει : φαίνει 1561.

226 Iustinianus : Julianus *edd.*

dumtaxat *lata* intercedente, excitatam fuisse *ante domum magnæ curiae* [...]. Cui a populo *plausus* dari, et *ludi publici saltatorum et mimorum* [...] *edi* solebant *de more* [...], qui iamdudum inualuerat colendi *regias imagines* [...]. *Quod Ioannes Chrysostomus contra religionem Christianam fieri* [...] existimans *pro contione* reprehendit eos, qui tale quidpiam factitarent, quibus Eudoxia se *præstrictam* putans, in exilium proiecit Chrysostomum. Huc adderem Milliarium et Basilicam, ut uicina templo Sophiæ, nisi nunc mallem regionum sequi, quam ædificiorum uicinitatem.

*Quam Vrbis partem complexa fuerit tertia regio*

CAPVT X

VBI Hippodromus est, et domus Abrami bassæ, et porta Leonis, et portus, quem uulgo Byzantii appellant Caterga limena, quasi triremium portum, dorsumque secundi collis usque ad forum Constantini, olim tertia regio fuisse deprehenditur, [83] non modo ex ordine suo, sed etiam ex sua *Descriptione*, quæ declarat hanc planam *in superiori parte* [...], *in ea Circi spatio largius explicato*, sed *ab eius extrema parte nimis prono cliuo mare usque descendere* [...], complectentem tribunal fori Constantini, *Circum Maximum, domum Pulcheriæ Augustæ, Portum Nouum, porticum semirotondam, quæ ex similitudine fabricæ Sigma Graeco uocabulo nuncupatur.*

*De Hippodromo et de eius Obelisco {et columnis et statuis}*

CAPVT XI

SEVERVM reconciliatum Byzantiis recentes historici, ut Zonaras et alii plerique, tradunt Hippodromum ædificasse. Zosimus antiquus historicus scribit Constantimum Magnum *Hippodromum* elaborasse, *omnique cultu pulcherrimo adornasse* [...], *partemque eius fecisse templum Castoris et Pollucis, quorum simulacra usque in* [...] suam ætatem, hoc est Theodosii Minoris, *in Hippodromi porticibus exstantes uidere licet.*

In medio circo, quem Graeci Hippodromum appellant, Obeliscus ex Thebaico lapide factus exstat. Cuius cum non meminerit antiqua regionum *Descriptio*, et meminerit *obelisci Thebæi* quadrati, quem ponit in quinta regione, arbitrarer hunc terræ motu euersum translatum fuisse in Hippodromum a Theodosio post editam *Descriptionem* regionum, nisi hæc Theodosiacorum multorum meminisset operum, nisi præteriret nonnulla in commemoratione regionum, quorum postea meminit in generali descriptione Vrbis. Habere igitur plures obeliscos Constantinopolis potuit, ex qui-[84] bus non superest ille Thebæus, quem in quinta regione ponit antiqua regionum *Descriptio*. Duos adhuc exstantes uidi cum primum uenisse Byzantium, unum in Circo Maximo, alterum intra claustrum Regium, in latere primi collis uergente ad septentriones, quadratum, ex lapide Thebaico factum, erectum iuxta domum uitreiarum officinarum Regiarum. Sed paulo post euersum et extra claustrum elatum uidi iacentem, longum triginta quinque pedes, cuius singula latera, si bene memini, senos pedes lata, perimetrum illius efficiebat uiginti quattuor pedum. Hunc Antonius Priolus nobilis Venetus emit, Venetas exportatus, in foro Diui Stephani locatus.

Alter uero in medio Hippodromo pro meta in hunc diem exstat, supra quattuor tesseras aeneas, latas quoquo uersus sesquipedem, altas tantumdem, sustentatas basi et stylobate. A solo duos gradus habet stylobates. Quorum inferior a terra altus est pedem unum, cuius latitudo pedalis, superior gradus altus duos pedes, projectus extra stylobatem quattuor pedes et totidem digitos. Gradus subiecti non sunt stylobatæ<sup>227</sup>, sed adiecti et adstructi uelut suggestus,

---

227 stylobatæ : stylobate 1561.

ut appareat ex commissura. Supra quos latus quoquo uersus duodecim pedes stylobates eminent in altitudinem quattuor pedum et octo digitorum, et extra basim proiicitur sesquipedem. Praeter hos quattuor pedes et octo<sup>228</sup> digitos, stylobates pedalem altitudinem excedit, non extra basim eminentem. Nam ex summo stylabatae eminent striatura alta pedem et tredecim digitos, quadrilatera, nempe ex perpetuo uno eodemque lapide constans, quo stylabates. Nam stylabates emittit suam supremam partem, non solum ses-[85] quipede strictiorem quam infimam, sed etiam angulis mutilatam, locoque quattuor angularum diminutorum existunt quattuor lapides quadrati marmoris Thebæi rubentis, singuli alti sesquipedem, nempe quantum striatura stylabatae his quattuor angularibus lapidibus interclusa. Qui cum intermedia parte suprema stylabatae sustinent basim altam pedes septem et tredecim digitos, projectam extra imum scapum Obelisci sesquipedem, quoquo uersus patentem nouem pedes totidemque digitos. Quæ tota insculpta est, ut stylabates, qui statuis emitentibus omnia latera incisa habet.

Ex septentrionali quidem latere expressæ sunt statuæ, duobus ordinibus sculptæ. Quorum inferior continet duodeuiginti statuas et duas ergatas. Earum singulas quaterni homines uersant uectibus, quibus funes ductarii circum ergatas uoluuntur, Obeliscum iacentem trahentes. Tum in eodem ordine sculptus est Obeliscus rectus, ut nunc est, tum statuæ tres, quarum Constantinopolitani prædicant unam esse magistri, alteram discipuli, quem magister, nisi interposita tertia persona retentus fuisset, castigare conatur, quod se absente Obeliscum erexisset. In superiori ordine binæ ergatæ conituntur cum ergatis inferioribus Obeliscum iacentem trahere, uersatæ singulæ a quaternis hominibus circumuoluentibus ualidos funes bene eminentibus toris expressos. Quod si stylabatae amplitudo capere rationem potuisset, qua erectus est, non dubito, quin talem sculpsisset, qualem describit Marcellinus. *Sola, [...] inquit, restabat Obelisci erectio, quæ uix aut ne uix quidem sperabatur posse compleri.* Id est, usque ad periculum altis trabibus, ut machi-[86] narum cerneret nemus, innectuntur uasti funes et longi, ad speciem multiplicium liciorum, cælum densitate nimia [...] subtegentes. *Quibus colligatus [...] Obeliscus, paulatimque [...] per arduum inane protensus, diuque pensilis, hominum<sup>229</sup> millibus multis tamquam molendarias rotantibus metas<sup>230</sup>, cauea locatur<sup>231</sup> in media.* Hunc Obeliscum posse etiam Byzantios machinatores in alium locum transferre incolu[m]em, aduerti ex columna sita in dorso quinti collis Constantinopolitani, quæ parum cedebat Obelisco. Hanc a suis sedibus deiici in terram uidi in hunc fere modum. Circum columnam, aliquo tamen interposito spatio, trabes ingentes, crebras, in quadrum dispositas, in solo defixas, columna ipsa excelsiores erexerunt, paribus interuallis inter se distantes. Supra trabes imposuerunt transuersa tigna, omnia inter se firmissime reuincta. Ex quibus trochleas creberrimas appenderunt, per quas traiecerunt ualidos funes, ab imo columnæ scapo ad summum surgentes, ad columnam strictissime alligatos densis funibus, ut se contigerent, et transuersis rectos uelut tramis stamina secantibus, formam textilis operis repræsentantibus. Extra quadraturam trabium similitudinem turris quadratae gerentium, ergatæ utrimque multæ in terram defixa[re] erant, uersatæ a multitudine robustissimorum iuuenum. Funes illos ualidos, quibus columna cingebatur, trahentes tamdiu, quoad columnam a sedibus subtraxerunt, deinde sensim detrahentes in terram deiecerunt. Et curribus impositam firmissimis, quos rotæ

<sup>228</sup> octo : sex *edd.*

<sup>229</sup> hominum *om. edd.*

<sup>230</sup> molendarias rotantibus metas : molendinarias metas rotantibus *edd.*

<sup>231</sup> locatur : locatus *edd.*

crassissimis ferris cinctæ sustinebant, traduxerunt in columem in collem tertium ad Soleimani Regis ædem ornandam.

Iam uero in latere stylobatae [87] occidentali Obelisci incisum est hoc epigramma :

κίονα τετράπλευρον ἀεὶ χθονὶ κείμενον ἄχθος  
 μοῦνος ἀναστῆσαι Θευδόσιος<sup>232</sup> βασιλεὺς  
 τολμήσας, Πρόκλος ἐπεκέκλετο καὶ τόσος ἔστη  
 κίων ἡελίοις<sup>233</sup> ἐν τριάκοντα δύο<sup>234</sup>.

In latere orientali inscriptum est hoc epigramma incisione literarum Latinarum, sed paululum excæsa. Sed ut legere potui, sic habet :

DIFFICILIS QVONDAM DOMINIS PARERE SERENIS  
 IVSSVS ET EXTINCTIS PALMAM PORTARE TYRANNIS  
 OMNIA THEODOSIO CEDVNT SVBOLIQVE PERENNIS  
 TER DENIS SIC VICTVS EGO<sup>235</sup> DVOBVSQVE<sup>236</sup> DIEBVS  
 IVDICE SVB<sup>237</sup> PROCLO SVBLIMES<sup>238</sup> ELATVS AD AVRAS.

In meridiano latere duplex ordo statuarum exprimitur. Inferior quattuor currus partim biiuges, partim quadriuges habet, quorum unumquemque unus regit auriga. Superior ordo continet duos equites, tres pedites, togatos tres, obeliscos duos, quattuor columnas in quadrum dispositas, epistylia sustinentes.

Iam uero ex boreali basis latere scalpti sunt quattuor ordines continentes triginta quinque statuas togatas. Ex latere occidentali eminent duo ordines, quorum inferior habet decem<sup>239</sup> statuas supplices, offerentes munera regi, qui stat in superiori ordine cum statuis decem et quinque<sup>240</sup>. Latus meridianum duobus ordinibus distinguitur, inferiore decem <et octo> statuas togatas exprimente, superiore uiginti, togatas omnes, exceptis quattuor clipeatis. Latus orientale habet in parte inferiori tres ordines. Infimus continet decem et sex personas, alias uiriles, alias muliebres saltantes, alias organa pulsantes, supra quas eminent duo ordines capite [88] tenuis, puto spectatores. Superior ordo reddit uiginti <quinque> statuas, harum septem<sup>241</sup> ab aliis distinguuntur columnis, media coronam tenet manu. Supra basim exstant quattuor tesseræ aeneæ, quibus in quadrum dispositis totus Obeliscus sustinetur. Cuius quidem quadrati singula latera ima lata sunt circiter sex pedes, ab imo ad summum scalpta notis Ægyptiacis.

232 ἀναστῆσαι Θευδόσιος : ἀναστῆσας Θεοδόσιος 1561.

233 ἡελίοις : ἡλέοις 1561.

234 δύο : δύω *lap.*

235 ego *om. edd.*

236 duobusque : domitusque *lap.*

237 iudice sub : sub iudice 1561.

238 sublimes : sublime *edd.*, su[pera]s *lap.*

239 decem : nouem *edd.*

240 sex: quinque : sex *edd.*

241 sex : septem : sex *edd.*

*De Colosso structili*  
CAPVT XII

IN MEDIO Hippodromo etiamnum exstat structilis Colossus, ex lapidibus quadratis factus, olim ut quidam imperitus in lucem prodidit marmoreis crustis, ut uero epigramma in eius basi incisum testatur, æreis tabulis uestitus ferro colligatis, ut appareat ex foraminibus non modo in scapo, sed etiam in basi remanentibus. In quæ quidem foramina regulæ ferreæ insitæ erant, plumbo confirmatæ. Nunc spoliatus<sup>242</sup> restat, structuram interiorem lapideam prodens, barbarorum auaritiam expertus. Qualem prius periclitatus est Rhodius, quem regnante Constante nepote Heraclii Agareni distraxerunt *post mille et trecentos et sexaginta<sup>243</sup> annos ex eo tempore, quo erectus fuerat, quem Iudeus quidam [...] Emesenus emit et eius æs distractum noningentis camelis exportauit.* In illius Constantinopolitani basi incisi sunt uersus subsequentes :

τὸ τετράπλευρον θαῦμα τῶν<sup>244</sup> μεταρσίων  
χρόνῳ φθαρὲν νῦν Κωνσταντῖνος δεσπότης,  
οὐν Ῥωμανὸς παιᾶς, δόξα τῆς σκηπτουχίας<sup>245</sup>  
κρείττον νεουργεῖ τῆς<sup>246</sup> παλαὶ θεωρίας.  
ο γὰρ κόλοσσος θάμβος ἦν ἐν τῇ [89] Ῥόδῳ,  
καὶ χαλκὸς οὗτος θάμβος ἐστὶν ἐνθάδε.

Tres gradus imæ huius basi adjuncti sunt. Primus a terra altus est duos pedes, secundus pedem et duos digitos, tertius tantumdem. Basis est marmor quadratum, altum septem pedes et tres digitos, cuius latera singula lata decem pedes et dodrantem.

His Colossus excelsior est Obelisco. In cuius cacumen, {cum} festo quodam die qui celebrabatur ob circumcisionem Principis Boldaniæ<sup>247</sup>, ascendere uidi circulatorem quemdam bene peritum, et descendere in columem. Quem subsecutus alter imperitior ascendit quidem similiter in cacumen. Sed excelsitas ita præstrinxit eius oculos ut, desperans descensum se quantum contendere potuit, longe a Colosso proiecerit, ne decideret in Colossi crepidines. Itaque rectus cadens, pedibus alte defixis in terram, statim mortuus spectatus est.

*De columnis <et statuis> Hippodromi*  
CAPVT XIII

IN ORDINE obeliscorum directo in medium longitudinem Hippodromi septem columnæ exstant, quarum una ex marmore Arabico facta perimetrum habet decem et septem pedum et octo digitorum. In qua Abramus bassa Herculem ex ære facto de Vngaricis manubiis statuerat. Sed illo extinto Hercules, qui non modo uiuus in domandis monstros orbem peragrauerat, sed etiam mortuus huc illuc gestatus fuerat, tot clades euaserat. Tandem euersus et distractus est a Turcis, acerrimis hostibus statuarum et totius artis Vitruianæ, Hercule præstantioribus.

242 spoliatus : spoliatis 1561.

243 et sexaginta *om. edd.*

244 τὸ τετράπλευρον θαῦμα τῶν : τετράπλευρον θαυμάτων 1561.

245 σκηπτουχίας : σκηπτουχέας 1561.

246 κρείττον νεουργεῖ τῆς : κρείττων νεουργείτης 1561.

247 Boldaniæ : Bogdaniæ *leg. ?*

Qui tertio decimo proposito certamine Herculem [90] uicerunt, fortius quam qui primi uicerunt longis ante temporibus, ex eo quod Herculem ligneum summa arte factum combussissent, ut *Diagoras [...] impius. In publicum deuersorium [...] profectus. Cum lignis [...] egeret ad lentem coquendam, inuenisset qui Herculem ligneum pulcherrime et summa arte laboratum, eum in frusta dissectum in ignem congegit, addens hæc uerba : « O Hercule, qui duodecim certamina subiisti, age [...] et tertiumdecimum [...] certamen subeas, et lentem nunc coquas ! »*

Exstat etiam in eodem ordine altera columna aenea, striata non quidem canaliculis rugas matronalium stolarum referentibus, sed spiris trium serpentum inter se circumPLICATARUM non sursum uersus directis, sed tortis in modum tororum, quos ualde eminentes exprimunt magni funes, et desinentibus in caput triceps trium serpentum. Quarum capita in triquetram formam disposita longe eminent supra columnæ torosum scapum. Quamobrem fuerit hæc columna posita, Constantinopolitani multa fingunt, sed nugatoria omnia, ignorantes maiorum suorum historias. Inter quos Zosimus scribit ConstantiNum Magnum in [...] Hippodromo statuisse, Apollinis Delphici tripodem in seipso habentem [...] ipsius Apollinis statuam. Sozomenus Salaminus adiungit ConstantiNum non modo tripodes Delphicos in Hippodromo posuisse, sed etiam celebratissimum tripodem, quem Pausanias Lacedæmonius atque urbes Græcæ post bellum Medicum Apollini Delphico consecrarunt. Eusebius clarius tradit ConstantiNum in quadam Constantinopolis parte Sminthium Apollinem statuisse, in [...] Hippodromo autem constituisse Pythium tripodem, circa [91] quem serpens in spiras uolueretur. Ex quibus uerisimile uidetur tripodem illum statutum fuisse supra hanc columnam æream tricipitem, ut erat apud Delphos ex Herodoto, qui tradit ex decimis manubiarum Persicarum tripodem aureum factum in Delphis [...] collocatum fuisse supra serpentem tricipitem æream. Atque idem adfert Persis ad Platæas uictis tripodem aureum ibi repertum redditum fuisse deo Delphico, insistentem supra triplicem ex ære colubrum proxime aram. Similiter errant, qui putant hanc columnam nunc æream, olim inauratam, spoliatam auro fuisse a Turcis, cum multis seculis ante Turcos aurum detractum fuerit, ut liquet ex Pausania. Commune [...], inquit, fuit Græcorum de Platæensi prælio donum aureus tripous sustentatus aeneo dracone [...], æsque Pausaniæ ætate mansit ex eo donario integrum [...], auri quod fuit, duces Phocensem amouerunt.

Deinceps quinque columnæ insequuntur tenentes eundem ordinem, quem tenent Obeliscus, Colossus et aenea columna procedentem recta uia per medium Hippodromi longitudinem.

In fronte Hippodromi spectante ad Propontidem decem et septem columnæ marmoris albi etiam tum exstabant, cum ueni Byzantium, cum spiris, et capitulis, et epistyliis digestæ in ordinem ambientem Hippodromi partem sitam inter meridiem et occasum. Quarum stylobatæ alti duos pedes et decem digitos, sustentati subtractionibus fornicatis æquatisque ex interiori parte cum Hippodromi planicie, ex parte exteriori plus minus altis quinquaginta pedes, positi singuli sunt supra murulum proiicientem duos gradus, uel plinthos, quadratos, inferiorem quidem non ex uno la-[92] pide factum, altum pedem et digitum, superiorem uero altum pedem et digitos sex, projectum extra stylobatem octo digitos, quorum singula latera lata pedes octo et dodrantem. Stylobatæ lati <sunt> quinque pedes et septem digitos quoquo uersus. Eorum eminentiæ imæ, positæ pro toris reliquisque modulis, sunt altæ<sup>248</sup> sex digitos et semidigitum, superiores eminentiæ positæ pro coronidibus tantumdem, spiræ plinthus crassus undecim digitos, torus inferior septem digitos et dimidium digitum, scotia quattuor digitos, torus superior sex digitos, calcaneum scapi altum quinque digitos. Diameter scaporum est trium pedum et quinque digitorum, eorum altitudo uiginti octo pedum. Nunc scapi prostrati

---

248 altæ : alti edd.

iacent cum capitulis et basibus, nuper euersi ad ædificandum xenodochium Regis Soleimani. Dolui eorum casum, non tam ex eo quod proiecti humi iacerent, quam quod eorum nonnulli searentur in tabulas solum constraturas balneorum, quodque capita ex antiqua artis ratione commutarentur in barbaricos modulos aut in pilas excauarentur pistrinarias, epistyliaque et spiræ exscinderentur in murorum ædificationem. Intercolumnia inter scapos lata erant undecim pedes diastyli compositione lubrica, ex qua aduerti propter interuallum magnum epistylia fracta esse. Capitula omnes modulos habebant operis Corinthii, et trabeatio egregie expressa, præter echinos qui scalpti non erant. Annuli ferrei ex epistylis pendebant, unde uela suspendebantur. Supra harum ordinem columnarum exstabat alter ordo columnarum etiam aliquanto post, quam Othomani ceperunt Vrbem.

Antequam Galli et Veneti ce-[93] pisset Constantinopolim, exstabant in Hippodromo cum alii permulti equi lapidei et ærei, tum quattuor inaurati mira arte elaborati, quales hodie exstant supra uestibulum ædis Marcianæ Veneticæ, quos deportatos aiunt ex Constantinopoli. Prætero non modo permultorum regum, principum statuas in circo statutas, inter quas Iustiniani regis statua celebratur peruulgatis uersibus, sed etiam eunuchorum maxime ualere solitorum apud imperatores Constantinopolitanos. Inter quas<sup>249</sup> fuit statua Platonis eunuchi cubicularii regii, qui imperante Basilisco exustus est [...]. In cuius quidem statuæ pectore etsi inscriptum Suidas testatur fuisse, qui hanc statuam in alium locum transtulerit [...], laqueo suffocetur, tamen ex templo Procopii in quo prius erat, cum id reficeretur [...], traducta est in Hippodromum. Iam uero quid commemorem infinitas statuas pugilum, luctatorum, aurigarum in Hippodromo sitas ? Quæ etsi dudum perierunt, tamen recens eorum memoria non perit, retenta plusquam trecentis uersibus etiamnum exstantibus, quibus nonnulli aurigæ decantantur. Sed permultorum memoria extincta est, ut Thomæ aurigæ præstantissimi. Quæ ne funditus pereat me admonet lapidis fragmentum, quod uidi Byzantii cum hac inscriptione, Θωμᾶ ἡνιόχου. Qui fortasse ille est, de quo ad Faustum Romæ præpositum Theodericus<sup>250</sup> rex scribit : *Dudum [...] Thomati aurigæ ex Orientis partibus aduenienti annonas rationabiles consideratio nostra largita est, donec eius artem probaremus, et animum. Sed quoniam in hoc agone primatum [...] dicitur obtainere, eiusque uoluntas patria derelicta nostri sedes fouere delegit imperii, menstrua eum [94] duximus largitate solidandum, ne adhuc ambiguum<sup>251</sup> redderemus, quem Italiae dominatum elegisse cognouimus. Is enim frequenter uictor per diuersorum ora uolitauit, plus uectus fauore quam curribus. Suscepit partem populi protinus inclinatam, et quos ipse fecerat tristes, laborauit iterum reddere<sup>252</sup> lætiores, modo agitatores arte superans, modo equorum uelocitate<sup>253</sup> transcendens. Frequentia palmarum eum dici faciebat<sup>254</sup> maleficum, inter quos magnum præconium uidetur esse ad talia crimina peruenire. Necesse est enim ad peruersitatem magicam referri, quando uictoria equorum<sup>255</sup> meritis non potest applicari. Spectaculum expellens grauissimos mores, inuitans leuissimas contentiones,*

<sup>249</sup> quas : quos *edd.*

<sup>250</sup> Theodericus : Theodoricus *edd.*

<sup>251</sup> ambiguum *om. edd.*

<sup>252</sup> reddere : facere *edd.*

<sup>253</sup> uelocitate : uelocitatem *edd.*

<sup>254</sup> faciebat : faciebant *edd.*

<sup>255</sup> quando uictoria equorum : quorum *edd.*

*euacuator<sup>256</sup> honestatis, fons irriguus iurgiorum, quod uetustas [...] habuit sacrum, sed contentiosa posteritas fecit esse ludibrium<sup>257</sup>.* Ex quibus Theoderici<sup>258</sup> uerbis adsequi possumus hunc Thomatem, qui forte Byzantium reliquerat ob factiones partium, periclitatum fuisse Romæ, ob partes diuersis coloribus in diuersa studia distractas. Quæ non modo Romam, sed etiam Constantinopolim grauissime adflixerunt, quibus non modo ciues, sed etiam imperatores magni in grauissimum discrimen imperii inciderunt.

Nunc uero circus Constantinopolitanus friget omnibus ornamenti spoliatus, nuperque exædificari cœptus est, quod me spectantem dolore adfecit. Quem augebat Belisarii primum de rege Vandalorum in Hippodromo triumphantis, deinde ob uirtutem summam maxime periclitantis recordatio, quam mihi dabat numisma, quod tum forte habebam in manibus. In cuius uno latere scalptus erat Iustinianus Belisarium exciens triumphantem, in altero Belisarii [95] imago cum hoc elogio : GLORIA ROMANORVM BELISARIVS. Procopius scribit in Hippodromo fuisse portam *appellatam Cochliam ob descensum in orbem procedentem*, itemque *aditum* fuisse quemdam *qui appellaretur Mortuus*. Idem etiam dicit in Hippodromo fuisse *porticum* appellatam *Venetiam* a Veneta parte ibi sedere solita, ex qua colligere licet fuisse etiam porticum Prasinam, aliasque porticus aliorum colorum, partesque non promiscue, sed porticibus distinctas spectauisse.

*De templo Bacchi, et de aula Hormisdæ et de Iustiniani domo*  
CAPVT XIV

REGIS aulam et domum Iustiniani, antequam imperaret, fuisse inter Hippodromum et Propontidem percipitur ex templo Bacchi et Sergii, quod etiam nunc exstat in planicie inter Propontidem et Hippodromum explicata, de quo Procopius hæc scribit : *Petro et Paulo Iustinianus ædificauit templum [...] iuxta regis aulam, quæ Hormisdæ olim nominabatur. Hanc enim domum suam propriam effecerat, ut palatium structuræ decore sumptuosum uideretur [...]. Post uero quam imperator factus est [...], eam aliis regiis adiunxit, ubi sane etiam templum aliud construxit illustribus Diuis Sergio et Baccho [...]. Horum templorum neutrum alteri cedit de pulchritudine, neque de magnitudine, neque ulla alia de re [...]. Similiter [...] utrumque splendore lapidum fulgorem solis superat, similiter auri copia undique satiatur et donis [...] ornatur. Vna dumtaxat re differunt, nam uni longitudo [...] in rectum [...] procedit, alteri columnæ in semicirculum ex maxima parte dispositæ stant. Ita enim [96] ambo admirabilia [...] uidentur, cum ut [...] toti Vrbi, tum maxime regiis ædibus præclara sint ornamenta.* Procopius paulo infra adiungit Iustinianum *domum appellatam Hormisdæ, quæ sita erat proxime regias [...], in illustriorem formam commutasse [...], Palatioque adiunxisse.* Hormisdam hunc, quem uocat regalem, arbitror Persarum Regis filium, quem Marcellinus scribit Constantio filio Constantini *per giganteos contextus*, cum Romam uenisset, *circumferenti mentem, omni [...] spe [...] talia conficiendi ablata, Traiani equum solum locatum [...] in foro Traiani imitari se uelle [...] profitenti, respondisse [...] : « stabulum prius tale condas oportet ».* Georgius Cedrenus explicatus ostendit, quam prope templum Bacchi fuerit domus Iustiniani. *Ædem, inquit, Sergii et Bacchi [...] uicinam palatio ex parte maris [...], et propinquum huic templum [...] ædificauit Iustinianus, quod ante fuerat propria [...] domus Iustiniani, omnemque suam priorem facultatem his duobus templis largitus est et monasterium addidit, quod illustribus uiris impleuit.*

256 euacuator : euacuatio *edd.*

257 ludibrium : lubricum *edd.*

258 Theoderici : Theodorici *edd.*

Templum Petri et Pauli non exstat, sed Sergii et Bacchi adhuc superest, cuius nomen dumtaxat Graeci etiam nunc retinent, usum uero et fructum Turci habent. Eius figura rotunda hemisphaerio lateritio tecta, octo pilis nitens. Inter pilas columnæ Ionicæ dispositæ sunt dupli ordine. Inferior ordo decem et sex columnas habet pauimenti solo sustentatas, quarum sex uirides, decem albæ maculis rubris distinctæ. Superior duodeuiginti complectitur, quarum octo uirides, decem albæ maculis rubris uariæ. Capitula inferiorum echinos habent circumdantes imam partem, reliqua pars est tota uestita foliis. Superiorum uolutæ ex quattuor an-[97] gulis capitulorum eminent, echini uero ex latere prominent ; reliqua pars folia egregie expressa continet. Supra inferiorum capitula exsistunt epistylia adfabre scalpta, et zoophorus grandibus literis uersuum Græcorum sculptus ambientium totius ædis circulum. Pilarum summæ partes adumbrantur foliis uitium interpositis racemis designantibus ædem Baccho sacram esse !

*De portu Iuliani et Sophiæ, <et de regiis Sophiis>, et de porticu nominata Sigma<sup>259</sup>*

CAPVT XV

PORVM Iuliani fuisse prope ædem Bacchi, incendium declarat excitatum regnante Magno Leone. Quod Euagrius *in latere Vrbis uergente ad aquilonem [...] scribit grassatum esse a portu nuncupato [...] Bosporio usque ad antiquum Apollinis templum, in latere autem meridiano a portu Iuliani usque ad domos uicinas [...] templo [...] Concordiæ*. Zonaras explicat portum Iuliani fuisse prope templum Sergii et Bacchi, describens idem incendium, quod tradit ex aquilone exstissee *a Bosporio usque ad ædem Diui Ioannis Calybitæ, ex austro ab æde Diui [...] Thomæ usque ad ædem magnorum martyrum Sergii et Bacchi*. Templum Thomæ fuit prope templum Concordiæ. Zonaras latus incendii australe incipit narrare ab occidente ad orientem, contra Euagrius ab ortu ad occasum. Cedrenus dicit idem incendium *a mari [...] pertinente ad septentriones ad templum [...] Sergii et Bacchi uicinum mari austriño Vrbem cinxisse*. Portum Iuliani Anastasius rex munitione et mole lapidum tutiorem effecit. Hunc postea appellatum Sophiæ demonstrat Georgius Cedrenus. *In Iu-[98] liani, inquit, portu Iustinus Iustiniani nepos ædificauit palatum, portumque purgauit, in quo medio duas statuas excitauit, suam et uxoris suæ Sophiæ nominatæ, et commutato nomine appellauit portum Sophiæ*. Epigramma in statuam Iustini positam in portu :

τοῦτο παρ' αἰγιαλοῖσιν<sup>260</sup> ἐγὼ Θεόδωρος ὑπαρχος  
στῆσα φαεινὸν ἄγαλμα Ἰουστίνῳ βασιλῆι<sup>261</sup>,  
ὅφρα τὲ ἐν λιμένεσσιν ἐὴν πετασεῖ γαλήνην<sup>262</sup>.

Procopius tradit *Theclæ martyris ædem [...] fuisse apud Vrbis portum [...] nominatum Iuliani*. Quidam recentes scriptores tradunt ex hoc portu Belisarium soluisse ad bellum Vandalicum. Quod nescio unde adsequantur, nisi fortasse ex uerbis Procopii scribentis Iustinianum nauem *prætoriam ad litus [...] iuxta ædes imperatorias [...] deduci iussisse*, tum *Epiphanium [...] Vrbis episcopum classi de more bene precatum fuisse [...], sicque [...] Belisarium cum uxore Antonina soluisse*. Fuerunt quidem ædes regiæ uicinæ huic portui, sed et aliæ regiæ fuerunt iuxta sinum portuosum, a quo longe non fuit domus Belisarii. Suidas dicit Anastasium regem *Iuliani portui molem apposuisse*, eumque muniuisse.

259 et de regiis Sophianis add. edd.

260 αἰγιαλοῖσιν : αἰαλοῖσιν 1561.

261 βασιλῆι : βασιλεῖ 1561.

262 λιμένεσσιν ἐὴν πετασεῖ γαλήνην : λίμεσσι ἐκτὴν πετασεῖν μεγαλήνην 1561.

Zonaras huc adiungit Iustinum *regias construxisse [...], Sophianasque [...] nominasse* a nomine uxoris Sophiæ, quam uehementer amabat. Plerique putant has regias fuisse iuxta portum Sophiæ, quibus ne adsentiar non modo ratio dissuadet, sed etiam eruditorum hominum auctoritas, inter quos Zonaras tradens illum *regias contra Vrbem ædificasse Sophianas*. Eoque longe antiquior Agathias Scholasticus, qui uixit ea ætate, qua regiæ Sophianæ conditæ sunt, in hisque inscripsit epigramma, quo percipitur illas non fuisse secun-[99] dum Propontidem, iuxta quam erat portus Sophiæ, sed contra Vrbem apud Bosporum, ubi terra diuiditur in duas partes :

εἰς παλάτια Σοφιανῶν, Ἀγαθίου σχολαστικοῦ.  
 ὁππόθι<sup>263</sup> τεμνομένης χθονὸς ἀνδιχα πόντον ἀνοίγει  
 πλαγκτὸς ἀλικλύστων πορθμὸς επ' ἡϊόνων,  
 χρυσέα<sup>264</sup> συλλέκτρῳ τάδ' ἀνακτόρᾳ θῆκεν ἀνάσσῃ  
 τῇ πολυκυδίστῃ<sup>265</sup> θεῖος ἄναξ Σοφίη.  
 ἄξιον ω̄ Ῥώμη μεγαλοκρατὲς ἀντία<sup>266</sup> σεῖο  
 καλλος ἀπ' Εὐρώπης δέρκεαι εἰς Ασίην.

Codex Zonaræ habet δέρκεται. Ex his uersibus palatum Sophianum intellegitur non modo iuxta Bosporum, sed etiam extra Vrbem fuisse, quod *Historiæ* confirmant non modo Cedreni, sed aliorum describentium acerrimam frigoris uim sub Constantino<sup>267</sup> Copronymo factam, qua conglaciauit tam uehementer Bosporus, ut *quicunque uellet a regiis Sophianis ad Vrbem et a Chrysopoli ad Diuum Mamantem et Galatam in Bosporo tamquam in sicco ambularet sine ulla offensa*. Cum ex his tum ex aliis colligo Sophianas regias fuisse trans Bosporum contra Vrbem.

Iam uero portus Sophiæ priusquam appellaretur Iuliani, uidetur esse ille, quem Nouum Portum antiqua regionum *Descriptio* ponit in regione Hippodromi. Sed siue ille Nouus, siue Iuliani, siue postremo Sophiæ appellaretur, hodie exaggeratus est. Seu sit ille, quem ædes Bacchi habet ab occidente, iam magna ex parte obrutum, intra muros clausum, cuius pars dumtaxat restat uelut lacus, quo mulieres pannos lauare solent. Dicuntur uideri triremes in illum demersæ. Byzantii huius ætatis uulgo appellant Caterga limena, quasi por-[100] tum triremium. Siue fuerit ab oriente Bacchianæ ædis iuxta portam Vrbis, quam uocant Leonis, uel a leone lapideo, qui etiam nunc prope exstat, uel a Leone imperatore, quem habuisse ibi palatum aiunt Constantinopolitani. Nicephorus recens historicus ait regem Constantinopolitanum obsessum a Latinis *congregasse [...] multititudinem fabrorum [...] in neorion*<sup>268</sup>, quod erat *circum [...] Hippodromum*.

Vbi fuerit Constantinopoleos locus appellatus Pittacia<sup>269</sup> non nondum intellexi. Hoc tamen addam ex Cedreno atque aliis recentibus historiis tradentibus *in loco*, quem uocant *Pittacia*<sup>270</sup>

263 ὁππόθι : ὁπόθι 1561.

264 χρυσέα : χρυσέα 1561.

265 πολυκυδίστῃ : πολυκιδίστῃ 1561.

266 ἀντία : ἄντια 1561.

267 Constantino : Leone 1561.

268 neorion : Morion *edd.*

269 Pittacia : Pyctacia *edd.*

270 Pittacia : Pyctacia *edd.*

*columnam fuisse sustinentem Leonis statuam regis Verinæ mariti. Quam quidam scribunt eius sororem Euphemiam excitasse [...] prope domum suam. Quo Leo [...] omnibus hebdomadibus proficiscebatur ad sororem sapientem et castam. Omnes iniuria affecti [...] illic in gradibus columnæ sua supplicatoria pittacia<sup>271</sup> ponebant, quæ apparitores [...] custodiebant, regique illuc profecto dabant [...], qui statim [...] responsum singulis dabat. Budæus pytacia (siue ut ipse ait pyrtacia<sup>272</sup>) dicit esse brevia, a Gallis borderellos uulgo appellatos. Sed etiam supplices libellos appellare possumus, nam pyctium liber, pytacion libellus, pittacium<sup>273</sup>. Hodie uulgo Græci epistolas appellant pittacia<sup>274</sup>. Historia ignoti auctoris ait Eudoxiam suam statuam totam argenteam [...] posuisse supra excelsam columnam in loco appellato Pittacio<sup>275</sup>. Qui si recte scribit, fuit hæc statua prope templum Sophiæ, iuxta quod fuisse Eudoxiæ statuam ante montrauimus.*

*Ædem Diuæ Euphemiae [...] tradit libellus de patria Constantinopolitana Constantinum Magnum excitasse apud Hippodromum [...], eamque postea Constan-[101] tinum Copronymum iconomachum fecisse armamentarium [...], reliquiasque Diuæ [...] Euphemiae in profundum mare proiecisse. Suidas scribit Euphemiae, quæ uxor Iustini Thracis erat, statuam fuisse statutam in æde Diuæ Euphemiae ab ipsa condita.*

Scriptores recentes patriæ Constantinopolitanæ tradunt tempore Basilii [...] imperatoris terræ motum magnum fuisse, quo <die> [...] Diui Polyeucti<sup>276</sup> cecidit [...] templum et oppressit omnes qui intus essent [...], ex eoque tempore appellatum fuisse [...] Sigma. Ego potius ita appellatum fuisse existimarem a portico, quam ante hunc terræ motum multis seculis Sigma a similitudine literæ appellatam antiqua Descriptio ponit in regione Hippodromi. Georgius Cedrenus meminit loci, quem appellat Sigma. Michaelis, inquit, imperatorem monachi uestitu indutum [...], ex monasterio appellato Studio correptum [...] per forum pedibus traxerunt, et supra monasterium Periblepton nuncupatum ipsum ducentes in loco appellato Sigma excæcarunt. Idem Cedrenus ait Basilium Macedonium ædem Virginis Mariæ restituisse a fundamentis nominatam Sigma. Eunuchus Chrysaphius Zomas excitauit [...] statuam Theodosii Minoris [...] in loco nominato Sigma. Ædem Diui Stephani positam prope locum nuncupatum Sigma Constantinum Magnum excitasse scribunt nonnulli. Itaque hoc Sigma alio loco fuisse in Vrbe, quam illud, quod dixi in tertia regione fuisse, et scribendum esse per e literam, Sema<sup>277</sup>, ex eo quod dicunt ideo sic appellatum fuisse, quod ædes <die> [...] Polyeucti<sup>278</sup> in eo situ terræ motu concussa oppresserit omnes qui in eo essent.

[102]

271 pittacia : pytacia *edd.*

272 pyrtacia : pytacia 1561.

273 pittacium : pytacium *edd.*

274 pittacia : pytacia *edd.*

275 Pittacio : Pytacio *edd.* ; Pittaciis *leg.* ?

276 Polyeucti : Polycleti *edd.*

277 Sema : Segma *edd.*

278 Polyeucti : Polycteti 1561.

*De quarta regione*  
CAPVT XVI

EX ANTIQVA regionum *Descriptione*, quæ declarat quartam regionem Vrbis *a milliario Aureo, collibus dextra læuaque*<sup>279</sup> *surgentibus, ad planitem usque ualle ducente perductam fuisse*, facile ipsa perciperetur fuisse in ualle prima et dorsi iugo eminente supra uallem, si milliarium Aureum maneret, aut eius memoriam Constantinopolitani retinerent, ex quibus edoceri possemus, ubi fuisset, aut si ulla exstant uestigia Augustæi, Basilicæ, Nymphæi et reliquorum ædificiorum, quæ traduntur fuisse in hac regione. Sed cum nulla hodie appareant<sup>280</sup>, primum dubitabam, an uallis, quam continet quarta regio, esset illa prima a me ante descripta, non quin hæc *collibus dextra læuaque*<sup>281</sup> *surgentibus ad planitem usque ducatur*, sed quod et aliis uallibus hæc conueniant. Deinde postquam ex aliorum scriptis percepissem loca ubi fuerunt monumenta, quæ traduntur fuisse in hac regione, facile cognoui regionem quartam fuisse in prima ualle, eiusque lateribus et iugo uicino ædi Sophianæ, ut cognosces legens quæ subiiciam.

*De foro Augustæo, et columna Theodosii et Iustiniani, et de Senatu*  
CAPVT XVII

PROCOPIVS *forum*, quod *Constantinopolitani Augustæum nominant*, declarat *ante regias* situm fuisse *columnis circumdatum*. Nunc nomen non modo amisit, sed ne forum quidem exstat, totum fere exædificatum. Regiæ dudum deletæ sunt. Fuisse tamen Augustæum, ubi nunc cernitur aqua saliens [103] non longe a Sophiæ angulo ad occasum uergente, adsequor ex stylobata paulo ante exstante columnæ Iustiniani a Turcis sublatæ. Quam Procopius tradit Iustinianum in Augustæo foro, Zonaras *in aula ante ædem Sophiæ excitasse*. Suidas addit Iustinianum, *cum Sophiæ templum condidisset, purgasse aulam et marmore strauisse, appellatam prius [...] Augustæum [...] forum, ibique columnam suam statuisse*.

Procopius tradit *forum quoddam ante Senatum [...] fuisse, a Byzantiis appellatum [...] Augustæum, ubi commissi lapides non minus quam septem, in quadrangulum [...] dispositi, in basi siti omnes, quorum quisque eousque contrahitur et subducitur extra inferiorem, ut lapidum unusquisque [...] proiectus, uel contractus, efficiatur gradus et sedes hominibus [...]*. Hanc Procopii descriptionem stylobatæ eo libentius adiunxi, quod ea in editis codicibus non habetur. Deinde addit Procopius, *supra septem iam dictorum lapidum [...] supremam partem exstare, inquit, ingentem columnam [...], non ex uno lapide, sed ex lapidibus [...] permultis ingentibus compositam [...]. Quos undique aeneæ tabulæ et coronæ [...] circumuestiebant [...], ipsosque firmitate colligabant et ornatu contegebant [...], eius quidem æris color debilior auro puro, sed æstimatio non multum cedebat argento. In summa columna exstebat ingens equus aeneus, orientem intuens, dignum spectaculum [...] præbebat. Similis enim erat gradienti et ultra [...] procedere cupienti. Pedum anteriorum [...] sinistrum erigebat, ut terram ante iacentem calcaturus. Alterum ad lapidem adnitezatur [...], ut iter ingressurus. Posterores ita contrahebat, ut [...] prompti essent ad gressum. Equo insistebat aenea regis statua colosso similis, uesti-[104] ta more Achillis [...], calceata arbylis [...], thorace heroico induita. Galea illius caput tegebat [...] fulgore coruscans. Spectabat orientem iter, arbitror, contra Persas [...] suscipiens. Ferebat manu sinistra globum, quo designabat fector [...]*

279 dextra læuaque : læua dextraque *edd.*

280 appareant : appareat 1561.

281 dextra læuaque : læua dextraque 1561.

uniuersum orbem *illi obedire [...]. Ensem non habebat, neque hastam [...], sed crux [...] ex uertice eius eminebat, qua [...] imperium adeptus est, et bellorum secundas pugnas. Prætendebat manum dextram ad orientem, digitisque porrectis iubebat orientis barbaros domi se continere et non ultra progredi.* Qualis autem fuerit Iustiniani galea declarat Tzetzes in *Varia Historia*. Tiara, inquit, *apud Persas tegmen capitinis fuit, postea ex uictoriis coronam adeptorum capitibus [...] Romæ imposuerunt tiaras, siue tiphas, cuiusmodi fert equestris statua [...] Iustiniani supra columnam statuta*. Procopio addit Cedrenus argentea<sup>282</sup> manu globum continuisse Iustinianum. Zonaras *decimoseptimo anno sui imperii eam columnam [...] excitasse [...], eo loco, ubi [...] antea stabat altera columna Theodosii Magni, gestans statuam ex argento factam ab eius filio Arcadio, ponderans septies mille et quadringentas libras. Quam simul cum columna Iustinianus, ubi demolitus esset, argentumque detraxisset, columnam [...] suam cum statua <sua> erexit. Præterea [...] maximo plumbi [...] pondere quod ex illa detraxit, aquam in Vrbem induxit. Vtinam ut iniuriam, quam intulit Iustinianus Theodosio, barbari ulti sunt, ita humaniter erudit libris iurisconsultorum, quos mutilauit, repertis, euerterent indigesta<sup>283</sup> commentaria male digestarum legum ! Barbari enim omni æreo uestitu, et equo, et statua columnam Iustiniani spoliarunt, aliquotque annos nuda remansit. Tan-[105] dem ante triginta annos euersa est, tota usque ad stylobatem. Quem anno superiore funditus uidi exscindi, ex cuius crepidinibus aqua saliebat fistulis in magnum labrum. Nunc stylobatæ loco castellum aquæ latius constructum est, et fistulæ auctæ. Equestrem Iustiniani statuam, quam modo dixi supra hanc columnam fuisse collocatam, seruatam diu in claustro Regii palatii, deportari nuper uidi in caminos, quibus metalla funduntur in machinas bellicas. Inter quæ erat Iustiniani crus proceritate meam staturam superans, et nasus dodrante longior. Crura equi ad terram proiecta metiri non potui. Pedis ungulam mensus sum occulte, et deprehendi dodrantalis esse altitudinis.*

*Augustæum forum appellatum fuisse recentes historici, atque etiam grammaticus Suidas, docent ex eo quod quinto die Octobris regionum curatores et sebastophori in Augustæo, uelut in foro rerum uenalium, saltarent in honorem Augusti, uel ex eo quod in fornice cameræ huius Fori, [...] statuae Helenæ matris et Magni Constantini<sup>284</sup> statutæ essent. Zosimus antiquior Procopio tradit Constantimum in loco, ad quem erat quondam Byzantii porta terrestris, forum condidisse rotundum, idque porticibus duplicibus, nempe unis supra alias impositis, circumplexum, arcus duos marmoris Proconnesii [...] inter se contrarios fabricatum fuisse, per quos licet ingredi in Seueri porticus et ex antiqua urbe exire. Incertus scriptor designat id esse Augustæum, cum ait Constantimum construxisse Forum ad Oceani similitudinem circulare. Idem Zosimus alio loco dicit, cum esset Byzantii forum maximum quattuor porticibus circumdate, ad quarum [106] unius [...], in quam sursum ducunt non pauci gradus, extremas partes [...] duas statuas Constantimum collocauisse, in altera quidem parte unam matris deorum Rheæ, quam [...] cum Iasone nauigantes collocarunt in monte Dindymo, eminenti supra urbem Cyzicum. Aiunt autem, ut [...] hæc ob neglegentiam circa cultum diuinum mutilata fuit, sublatis utrimque leonibus, et forma manuum immutata fuerit. Nam olim leones continere uisa, nunc in formam precantis translata est, Vrbem intuens et [...] ornans. In altera porticus parte Fortunam Romæ collocauit Constantinus. Suidas dicit Fortunam Vrbis fuisse in fornice Milliarii. Quæ si uere a Constantino posita fuit, utrumque forum a Zosimo descriptum, unum et idem est. Sed mihi diuersum uidetur, ex eo quod primum Zosimus dicit Constantimum condidisse duabus porticibus circumpositis, alterum post*

282 argentea : sinistra leg.

283 indigesta : in digesta 1561.

284 Helenæ matris et Magni Constantini : Magni Constantini et Helenæ matris *edd.*

paulo infra dicit fuisse quattuor porticuum, nisi fortasse ibi adnumeret porticus Seueri et Constantini, ex quarum utrisque licebat exire in alteras.

*Ad Augustæ fori plagam orientalem Procopius Iustinianum ait condidisse curiam [...], in quam conueniens Romæorum Senatus anniuersarium ineuntis anni festum celebrabat [...]. Ante curiam stant columnæ sex, quarum duæ murum curiae, qui ad occasum solis uergit, in medio sustinent, quattuor uero<sup>285</sup> paulo exterius pertinent. Omnes [...] hæ columnæ albæ sunt. Magnitudine eas primas puto [...] totius orbis. Porticum autem faciunt hæ columnæ, quæ quidem porticus tectum in tholo circumuoluit. Partes porticus superioris omnes<sup>286</sup> uenustate marmororum columnis æqualium [...] ornatæ sunt, statuarumque multitudine. Ego arbitror Iustinianum non hanc [107] curiam condidisse, sed refecisse antiquum Senatum, qui deflagravit incendio, quo Sophia et thermæ Zeuxippi deflagrarunt. Nam Sozomenus tradit Consilium [...], quod Senatum uocant [...], Constantinum Magnum ædificasse, quem eundem [...] honorem et ordinem, et festum [...] calendarum habere uoluit, quos [...] antiquæ Romæ Senatus habere solebat. Idem declarat ubi fuerit illa curia, cum ait statuam argenteam Eudoxiæ Augustæ in columna purpurea statutam fuisse [...], ad meridiem templi Sophiani, supra excelsum suggestum, ante domum magnæ curiae. Socrates addit neque prope, neque longe a [...] Sophia statutam fuisse [...], sed [...] ultra latam uiam intermedium inter utramque. Cuius Suidas meminit : In Tribunali, inquit, Palatii [...] columna fuit Eudociæ<sup>287</sup> uxoris Theodosii. Antiqua regionum Descriptio in eadem regione ponit Senatum et Tribunal purpureis gradibus exstructum, et Basilicam. Præterea Sozomenus clarius declarat in qua parte Senatus fuerit, inquiens cum seditio orta esset de expellendo Ioanne Chrysostomo, ignem repente iniectum undique Templum Magnum combussisse, et omnem [...] ambulationem, et huic adiacentem ex parte meridiei maximam domum Senatus. Adhuc exstant muri Senatus ab angulo Sophiæ intuenti meridiem, sed interposita uia, quæ pergit a porta claustræ Regii ad forum Constantini.*

*De regia et Basilica, et palatio Constantini, et de domo nucupata Chalca*  
 CAPVT XVIII

*NON longe ab Augustæ foro Procopius scribit regiam domum esse [...], cuius uim ita, ut aiunt, ex unguibus leonem cognoscimus [...]. Percipient [108] haec lecturi. Hoc uestibulum, inquit, quod uocant Chalcam, tale est. Quattuor directi muri in ordinem quadrangulum dispositi in sublime feruntur [...]. Circum horum angulum cuiusque proiicitur prætenditurque excitatio quædam lapidum exacte elaboratorum, quæ simul cum muro adsurgit a solo ad summum [...], non intersecans loci pulchritudinem, sed addens quiddam [...] harmoniæ. Supra hos efferuntur octo arcus [...] sustinentes tectum medium [...] in globatam excelsitatem incuruatum [...], præclare laqueatum. Totum enim lacunar non picturis cera [...] compactis, sed [...] tenuibus calculis omni genere colorum ornatis fulget, cum aliorum, tum hominum effigies exprimentibus [...]. Quæ depicta essent declarat Procopius, bellum [...] et pugnas, urbes permultas captas Italiæ, Africæ. Vincit Iustinianus rex, duce Belisario. Redit dux ad regem habens exercitum alacrem, qui [...] regi tribuit spolia reges et regna, et cetera, quæ sunt mortalibus [...] pretiosa. In medio stant rex et regina Theodora, ambo similes lætis. Festum agunt uictoriæ de rege Vandolorum et Gothorum, et de captiuis [...] ad se perductis.*

285 uero : uiri 1561.

286 omnes : omnis edd.

287 Eudociæ : Eudoxiæ edd.

*Circumstat ipsos Senatus [...] cunctus festum agens. Hoc enim calculi demonstrant, qui exprimunt facies, ex quibus hilaritas atque lætitia efflorescit. Omnes igitur cum rege gloriantur et rident [...], diuinis honoribus fruentes.*

Vt enim Papinius in *Siluis* basilicam Pauli appellat *regiam Pauli*, sic domum, quam Procopius appellat βασιλεῖον, etiam appellatam fuisse Basilicam et Palatum, colligo ex Cedreno describente incendium excitatum temporibus Iustiniani, quo combustum dicit uestibulum Basilicæ, et Augustæum, et tectum æreum palati Constantini Magni, [109] quod ex eo tempore usque in hunc diem Chalca appellatur, quod tectum esset tegulis æreis inauratis. Quam Cedrenus uocat Basilicam, Procopius *De Ædificiis Iustiniani* appellat τὰ βασιλεῖα, cum eodem incendio scribens ait combusta fuisse uestibula τῶν βασιλείων et appellatam Chalcam. Idem *De Bello Persico* tunc templum Sophiam, et balneum Zeuxippum, καὶ τῆς βασιλέως αὐλῆς τὰ ἐκ τῶν προπυλαίων, usque ad domum [...] Martis. Idem paulo infra, iussit [...] rex, inquit, Belisarium ad nuncupatam Chalcam et ad uestibula illuc sita ire. Ex quibus uidetur Procopius distinguere regiarum uestibulum a Chalca, cum tamen prius appellauerit Chalcam uestibulum regiæ. Evidem arbitror primo regis domum appellatam fuisse Basilicam, postea cum etiam magnæ domus, ubi negotiatores uersabantur, basilicæ uocarentur, βασιλεῖον appellatam fuisse regis domum, deinde Palatum. Quod si Basilica distinguebatur a regia domo, tamen illa, aut pars fuit regiarum, aut uicina regiis, ut percipitur ex antiqua *Descriptione*, quæ in eadem regione Augustæum et Basilicam ponit. Haec cum in commemoratione locorum huius regionis non meminit, neque palatii, neque regiarum, sed dumtaxat Basilicæ, declarare uidetur Basilicam fuisse Palatum ipsum. Sed siue Basilica in Palatio, siue extra Palatum fuit, uicinam fuisse Palatio incendia ostenderunt, cum ambo ob uicinitatem deflagrarent. Et propinquam esse debuisse foro, cui uicinas dixi regias, ratio docet architectonica præcipiens basilicarum loca adiuncta foris quam calidissimis partibus oportere constitui, ut per hiemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negotiatores possint. A [110] qua non dissentit Iulius Pollux *prope theatrum [...] tradens stadium, hippodromum*<sup>288</sup> [...], curiam, forum [...], regiam aulam, regiam porticum, regium tribunal, debere esse.

Georgius Cedrenus tradit *Chalcæ splendidam domum ædificasse Ætherium architectum [...] consilio sapientis Anastasii*, cui consentit epigrammata olim in ea inscriptum, quod Graecum addam, ut clarius intellegatur :

εἰς οἴκον τὸν<sup>289</sup> ἐπιλεγόμενον Χαλκῆ, ἐν τῷ παλατίῳ.  
 οἴκος Ἀναστασίοι τυραννοφόρον βασιλῆος,  
 μοῦνος ὑπερτέλλω πανυπείροχος<sup>290</sup> ὅστεσι γαίης,  
 θαῦμα φέρων πάντεσσιν<sup>291</sup>. ἐπεὶ κοσμήτορες ἔργων  
 ὑψος ὄμου, μῆκος τε, καὶ ἀπλετον εὑρος ἰδόντες,  
 Ἀσκεπὲς ἐφράσσαντο πελώριον ἔργον ἐᾶσαι.  
 "Αλλα πολυκμήτοι λαχῶν πρεσβῆτα τέχνης  
 Αιθέριος πολυϊδρις ἐμὴν τεχνήσατο μορφήν,  
 ἀχράντῳ βασιλῆι φέρων προτάγρια μόχθων·  
 "Ενθεν ἀπειρέσιον μέγεθος περὶ παντὶ τιταίνων  
 Αύσονίων νίκησα βοώμενα θαύματα γαίης.  
 εῖξον ἀρειοτέροισι χάρις Καπετωλίδος αὐλῆς.

288 stadium, hippodromum : hippodromum, stadia *edd.*

289 τὸν : *om.* 1561

290 πανυπείροχος : πανυπείρυχος 1561

291 πάντεσσιν : πάντεσσι 1561

εἰ καὶ χαλκείων ὄρόφων ἀμαρύγματα<sup>292</sup> πέμπεις,  
κρύψον ἀμετρήτων μεγάρων στεινούμενον<sup>293</sup> αὐλαῖς.  
Πέργαμε, φαιδρὸν ἄγαλμα τεὸν Ρουφίνιον ἄλσος.  
μηδὲ τανυπλεύροισιν ἀρηρότα Κύζικε πέτροις,  
Ἄδριανον βασιλῆος ἀμεμφέα νηὸν ἀείσης.  
οὐ μοὶ Πυραμίδων ἱκέλη κρίσις, οὐδὲ Κολοσσοῦ,  
οὐδὲ Φάρου· μεγάλην μοῦνος δ' ὑπέδραμον αἴγλην,  
αὐτὸς ἐμὸς σκηπτοῦχος Ἰσαυροφόνον<sup>294</sup> μετὰ νίκην,  
χρυσοφαὲς μ' ἐτέλεσσεν ἐδέθλιον ἥριγενείης<sup>295</sup>,  
πάντη τετραπόρων ἀνέμων πεπετασμένον αὔραις.

Historici quidam, sed recentes tradunt *Constantinum* [111] *Magnum* primum *aedificasse* palatium *Chalcæ*. Quibus non crederem, nisi mouerer uerisimilitudine illa, qua existimo *Constantinum* ad ornandam suam Nouam Romam conatum fuisse æmulari tegulas illas æreas inauratas Capitolinas antiquæ Romæ, habentis etiam forum tectum ære. Quis uero, nisi incendio perierint, illas palatii Byzantini tegulas abstulerit, nondum legi. *Capitolii* [...] Romani, scribit Procopius, tegularum ærearum, auratarumque *partem dimidiam* Gensericum *diripuisse*, ut *Constantinus tertius*<sup>296</sup> Heraclii nepos, laminas argenteas, quibus Pantheon tegebatur, sustulit.

Prope latus ædis Sophiae uergens ad regionem cæli medium inter meridiem et occidentem, exiguo interuallo distantes a fistulis aquæductus prodeuntis ex castello posito in loco, ubi antea fuisse columnam Iustiniani in foro Augustæo diximus, adhuc exstant septem columnæ Corinthiæ. In quarum unius scapo nomen incisum est Constantini Magni, et eius signum uisum in cælo, cum inscriptione ἐν τούτῳ νίκᾳ. Earum basis et imus scapus terra obruti sunt in altitudinem sex pedum, quod deprehendi, cum fortuito incidisse in fundamenta parietum, quæ tum ponebantur inter has columnas. Basis plinthum uidere non potui terra obrutam<sup>297</sup>, sed tamen uidi torum inferiorem octo digitos crassum, septem altum. Basis præter plinthum alta est duos pedes et dodrantem, imi scapi calcaneum latum dodrantem. Vnaquæque columna est alta triginta pedes et sex digitos. Denique tota columna cum spira et capitulo alta circiter quadraginta sex pedes et semipedem. Imi scapi, quem mensus sum supra calcaneum, perimeter est undique undeuiginti pedum, intercolum-[112] nia uiginti pedes et decem digitos. Constantinopolitani aiunt has columnas fuisse intra palatium Constantini, alii dicunt sustinuisse pontem, quo ex Palatio iretur ad ædem Sophiam. Quod utrumque falsum est, cum ex antedictis liqueat fuisse in foro Augustæo. Itaque mihi potius uidentur sustinuisse fornices porticuum, in quibus statuæ Constantini Magni et eius matris Helenæ, aliorumque statuæ fuerunt statutæ.

Cum ex antedictis ædium regiarum excellentiam cognoscere possumus, tum ex Zosimo, qui tradit *Constantinum regias ædes Byzantii condidisse, non multo inferiores Romanis* palatiis, tum ex Eusebio, qui eum testatur non modo ceteris ornamenti illustrasse Nouam Romam et Palatium, sed etiam *in [...] ædium regiarum locis excellentibus, et in medio lacunarium*

292 ἀμαρύγματα : μαρμάρυγμα 1561

293 στεινούμενον : στειρούμενον 1561

294 Ἰσαυροφόνον : Ἰσαυροφόνου 1561

295 ἥριγενείης : ἥριγενείτης 1561

296 *Constantinus tertius* : Constans secundus *leg.*

297 obrutam : obrutum *edd.*

*inauratorum [...] symbolum Crucis ex uariis et pretiosis compositum lapidibus, et multo auro [...] ornatum, inferendum curasse Constantinum, id existimantem sui regni tutelam esse. Tum etiam ex Diuo Hieronymo cognoscere possumus quantopere ornarit Nouam Romam palatiis, omnes illum, inquit, pæne urbes nudasse, ut suam Nouam Romam exornaret. Addit Eusebius Constantinum *Musas Heliconides* posuisse in Palatio.*

Sozomenus scribit Constantini iussu omnia antiquorum tempa (*vac.*) et statuas, quæ essent [...] sub imperio suo ablatas esse, *ligneas* [...] quidem *crematas fuisse* [...], *aereas egregie elaboratas undique* [...] Constantinopolim *transtulisse ad Vrbis ornamentum*, quas sua ætate etiam [...] exstitisse dicit in *uisis*, in *Hippodromo*, in *Palatio*. Neque solus Magnus Constantinus, sed plerique reges Constantinopolitani orbem spoliarunt ad Nouam Romam or- [113] nandam, ex quibus unus fuit *Constantinus tertius*<sup>298</sup> *Heraclii nepos* [...], qui ex antiqua Roma omnes statuas ex ære et marmore [...] factas, omniaque templorum ornamenta [...] præstantiora sustulit, nauibusque ad id præparatis [...] imposita asportauit. Plusque duodecim<sup>299</sup> dierum spatio unus Vrbi detraxit, quam barbari ducentorum quinquaginta annorum spatio : tot enim anni fuerunt a prima inclinatione imperii ad fœdam illam deprædationem. Iordanes<sup>300</sup> non omnino malus auctor *Historiæ Geticæ* tradit Theodoricum Byzantium profectum<sup>301</sup>, adoptatum consulemque factum fuisse ab imperatore Zenone, atque equestri statua ornatum ante Palatium collocata. Tzetzes *Variae Historiæ* conscriptor tradit etiamnum sua ætate *caput Apollinis*, quem similem soli Phidias fecit, in ipso Palatio exstitisse. Suidas scribit *Pulcheriæ* [...] Arcadii filiæ statuam positam esse in Chalca [...] prope ambulationem ; Ariadnes primæ uxoris [...] Zenonis, simulque ipsius Zenonis statuas positas fuisse in regia porta Chalcae [...], itemque duas [...] pedestres in breui columna exstitisse cum elegiis Secundi philosophi. Historia ignobilis, sed nota Constantinopolitanis, addit in sinistra parte Chalcae [...] Iustinianum [...] cognatorum suorum statuas septem locasse, alias ex marmore, alias ex ære<sup>302</sup>, duos equos excitasse in fornice [...] ante Chalcam [...], et capita [...] inaurata mulierum Gorgonæ speciem gerentium. Aliasque addit, quas prætero propter Historiæ ignobilitatem. Suidas tradit in *Tribunali Palatii* statuas fuisse Eudociæ<sup>303</sup> [...] et Theodosii mariti, et Marciani, et Constantini, ubi saltationes duarum partium exerceri solebant, usque ad tempora Heraclii.

[114]

*De Basilica et regia ambulatione*

CAPVT XIX

BASILICAM, quam ante dixi uicinam fuisse foro Augustæo, quattuor arcus habuisse epigrammata designant in eis olim inscripta :

εἰς τὴν ἀψίδα ἐν τῇ βασιλικῇ ἐν Βυζαντίῳ.  
τετραπόροις ἀψίσι πόλιν Θεόδωρος ἐγείρας  
άξιος ἐστὶ πόλιν καὶ τέτρατον ἡνιοχεύειν.

298 *Constantinus tertius* : Constans secundus *leg.*

299 duodecim : septem *edd.*

300 Iordanes : Iornandes *edd.*

301 profectum : præfectum *edd.*

302 marmore, alias ex ære : ære, alias ex marmore *edd.*

303 Eudociæ : Eudoxiæ *edd.*

εἰς ἔτερον μέρος τῆς αὐτῆς ἀψίδος.  
 ἐπρεπέ σοι Θεόδωρε Τύχης εὐκίονα νηὸν  
 ἔργου κοσμήσαι θαύματι τοσσατίου,  
 δῶρά τε κυδήντα πορεῖν χρυσασπίδι Ρώμῃ,  
 ἥπατον τεῦξεν, καὶ τρισέπαρχον ὄρῳ.

*Calliades Byzantini exercitus imperator [...] statuas Byzantis [...] et Phidaliæ in [...] Basilica posuit, cum hac inscriptione :*

τὸν κρατερὸν Βύζαντα καὶ ιμερτὴν Φιδάλειαν  
 εἰν<sup>304</sup> ἐνὶ κοσμήσας ἄνθετο Καλλιάδης.  
 εἰς Φιδάλειαν.  
 ιμερτὴ Φιδάλεια δάμαρ Βύζαντος ἐτύχθην·  
 εἰμὶ δὲ βουπάλεως δῶρον ἀεθλοσύνης.

Plinius inter artifices imaginum commemorat Archermum<sup>305</sup> Chium, eiusque filios Bupalum<sup>306</sup> et Athenim<sup>307</sup>. Dionysius Byzantius scribit Byzantem, a quo Byzantium nomen habet, fuisse maritum Phidaliæ, a qua portus Bospori appellatur Phidaliæ, de quo plenius scripsi in tractatione *Bospori*. Recentes scriptores et Suidas grammaticus dicunt in *Basilica a tergo milliarii Aurei fuisse statuam inauratam uiro similem, ubi etiam fuit exammon [...] Heraclii regis, {et} gonyclines Iustiniani*<sup>308</sup> *tyranni. Illic Terbelis contionatus est. In his etiam elephan-[115] tus stabat maximus a Seuero factus ob hanc causam, quod ibi [...] cum maneret elephantus cum multis custodibus, atque prope argentarius [...] artem factitaret [...] staterarum, cuius domus cum esset direpta, mortem argentarius minitabatur custodi elephanti, nisi elephantum contineret [...]. Quem minas suas contemnentem interfecit [...], proque pabulo ipsum elephanto obiecit. Quo facinore elephantus exacerbatus [...] interfecit argentarium. Seuerus id factum intellegens, elephanto sacrificauit, ibique [...] elephantum eiusque rectorem ex ære factos locauit, ubi etiam Suidas tradit fuisse *Herculis* statuam, quæ colebatur, eique multa sacrificia fiebant, eamque postea in *Hippodromum* traductam, *Iuliano consulare*<sup>309</sup>, ab antiqua *Roma* [...] *Byzantium* una cum decem statuis deportatam partim uehiculo, partim naui. Qui si ille est, quem ex Vngaria Abramus Bassa *Byzantium* uexerat et collocauerat in Hippodromo, non minus mortuus, quam uiuus orbem peragravit.*

Suidas item tradit in *Peripato regia equestres statuas fuisse positas Gratiani, Valentiniani, Theodosii*<sup>310</sup>, *gibbi Firmiliani ridiculi*. Prætero alias permultas non modo regum, sed etiam eunuchorum, inter quos excellebat statua Eutropii, qui Arcadii cubiculo præfектus fuit. *Cuius [...] potentia [...] ex statuis aureis ubique illi positis, et domibus [...] totius Vrbis splendidioribus ab eodem constructis illustrata incitauit [...] eunuchorum nationem, eosque ut quidam etiam prima lanugine uestiti ultro eunuchi [...] fierent, sperantes se fore similes Eutropio.*

304 εἰν : εἰς edd.

305 Archermum : Anthernum edd.

306 Bupalum : Biopalum edd.

307 Athenim : Anthernum edd.

308 Iustiniani : Iustini edd.

309 consulare : consule edd.

310 Gratiani, Valentiniani, Theodosii : Traiani, Theodosii, Valentiniani edd.

Adeo uicina Basilica fuit Milliario et Augustæo, ut horologium quod Iustinianus<sup>311</sup> fecit, Georgius Cedrenus ponat in Milliario, alii in foro Augustæo, [116] alii in Basilica, id quod declarat epigramma :

εἰς τὴν βάσιν τοῦ ὠρολογίου τοῦ εἰς τὴν ἀψίδα τὴν εἰς βασιλικήν.  
δῶρον Ἰουστίνοιο τυραννοφόνου βασιλῆος,  
καὶ Σοφίης ἀλόχου, φέγγος ἐλευθερίης,  
ώραων σκοπίαζε σοφὸν σημάντορο χαλκόν,  
αὐτῆς ἐκ μονάδος μέχρι δυωδεκάδος.  
οντινα συληθέντα δίκης θρόνον ἡνιοχεύων  
εὗρεν Ἰουλιανὸς χερσὶν ἀδωροδόκοις.

*De Bibliotheca Basilicæ, et de regia porticu, et de Basilica Cisterna*  
CAPVT XX

*DOMVS regia, inquit Zonaras, fuit in nuncupata Basilica prope aerarias officinas, in qua libri externæ sapientiæ et generosioris doctrinæ diuiniorisque multi seruabantur. Fuerat autem hæc domus superioribus temporibus, disciplinis præstantis præceptoris, quem œcumenicum uocabant didascalum<sup>312</sup>. Is duodecim [...] secum habebat habitantes [...], ratiocinationis eruditione summa præditos, quibus uictus ex publico præbebantur. Hos adibant studiosi ratiocinationis et<sup>313</sup> sapientiæ, atque etiam reges in rebus agendis consiliarios adhibebant. Regnante Basilisco Constantinopolim [...] incendium maximum afflixit, ex officinis aerariis incipiens. Quod deuorauit officinas ipsas, earumque [...] uicinitatem, in cineremque redegit [...] platearum [...] ædificia cum alia, tum [...] Basilicam nuncupatam, in qua erat bibliotheca centum uiginti<sup>314</sup> millia uoluminum [...] continens. Inter illa [...] erat draconis intestinum longum centum et uiginti pedes, habens inscripta literis aureis Homeri poemata, Iliadem [117] et Odysseam. Malchus Byzantius sophista scripsit Historiam ab imperio Constantini usque ad Anastasium, in qua [...] incendium Bibliothecæ publicæ et statuarum Augustæi [...] fori uehementer et tragice deplorat. De eadem Bibliotheca Georgius Cedrenus ad nuncupatam, inquit, Basilicam Cisternam, palatium dignitatis plenum fuit, in quo ex instituto antiquo œcumenicus<sup>315</sup> præceptor habitabat habens duodecim discipulos, sermone et uita graues, omnis ratiocinatricis disciplinæ scientes, cum celeritate et magnitudine naturæ [...] præditos, tum maxime [...] participes diuinæ philosophiæ. Quorum sine sententia quidquam agere nefas uidebatur etiam regibus ipsis. Incendium accidit Constantinopoli imperante Basilisco, quod florentissimam Vrbis partem consumpsit. Ex mediis aerariis officinis [...] prodiens, ambas ipsas [...] porticus consumpsit, et omnem uiciniam, appellatam Basilicam, in qua erat bibliotheca habens uoluminum centum uiginti<sup>316</sup> millia, inter quæ [...] erat intestinum draconis pedum centum et uiginti, in quo erant scripta Homeri poemata, Ilias et Odyssea, literis aureis [...]. Inerant etiam in hac bibliotheca Historiæ heroum res gestas continentis. Multis post seculis quam deflagravit hæc bibliotheca*

311 Iustinianus : Iustinus *edd.*

312 œcumenicum uocabant didascalum : œconomicum uocabant. Domicilium *edd.*

313 ratiocinationis et : ratiocinatricis *edd.*

314 centum uiginti : sexies centena *edd.*

315 œcumenicus : œconomicus *edd.*

316 centum uiginti : sexies centena *edd.*

sub Basilisco, cum Leo Conon rex Basilicæ eruditos in sententiam suæ hæresis trahere non potuit, combussit illos una cum Basilicæ palatio et Bibliotheca, quæ pulchris libris post incendium iterum ornata fuerat.

Basilicæ Romæ iudiciis consiliis negotiationibus<sup><que></sup> attributæ erant, Constantinopoli etiam bibliothecis, et literarum gymnasiis, id quod cum ex antedictis, tum ex epigrammate insequentि liquet :

[118] εἰς τὴν βασιλικὴν τῶν παιδευτερίων ἐν Βυζαντίῳ,  
 ἀδεσποτον.

χῶρος ἐγὼ θεσμοῖσιν ἀνείμενος ἐνθάδε πηγὴ  
 ἄφθονος Αὐστονίων ἐκκέχυται νομίμων  
 ἦ πᾶσι τέταται μὲν ἀένναος ἡθέοις δὲ  
 ἐνθάδ’ ἀγειρομένοις πάντα δίδωσι ρόον.

Qualis fuerit locus ubi Bibliotheca continebatur, scriptores recentes tradunt *Octogonum* [...] fuisse, ubi essent porticus [...] concameratae, et locus ubi [...] œcumenicus<sup>317</sup> præceptor [...] cum suis accessoribus uersaretur. Georgius Cedrenus, incendio, quod editum est tempore Iustiniani, adfirmat *Ædem magnam* [...] et xenodochium *Sampsonis* [...], uestibulum Basilicæ, *Augustæum* [...], *Chalcam* [...], porticus utraque usque ad forum Constantini, [...] et *Octogonum*, et *thermas* [...] *Zeuxippi deflagrasse*. Ex quo colligo oportuisse esse duo Octogona inter se propinqua, si enim Octogonum, quod tradit Cedrenus fuisse illud continens Bibliothecam non præteriisset Bibliothecam illam etiam deflagrasse tempore Iustiniani. Ego potius existimo locum illum, ubi Bibliotheca fuit, tetragonum fuisse, aulamque illam esse, quam *columnis in quadrum dispositis circumdatam esse* tradit Procopius. Quæ nam fuerit Basilica continens Bibliothecam Zonaras non explicat, sed dumtaxat proximam dicit esse Chalcopratii, hoc est officinis ærariis. Cedrenus Basilicam uocat Cisternam, quam *a Magno Constantino conditam quosdam falso tradere arbitror ex Prokopio scribente ad regiam porticum* [...], ubi *oratores et qui actiones informare solent* [...] *aulam esse maximam, longitudine et latitudine amplam, columnis in quadrum dispositis circumdatam*, [119] *non in terreno solo* [...], *sed saxeō aedificatam* [...], *eamque* [...] *Iustinianum regem in magnam altitudinem effodisse* [...] *ad conseruandas aquas in aestatis tempus* [...], quæ <cisterna> tubulis subterraneis ex *aqueductibus* [...] hieme impleta copiam aquarum *indigentibus suppeditaret*. Menander cognomine protector ait primum sibi non *placuisse subire certamen iudiciorum, neque in regia porticu uersari, orationisque uehementia conciliare* [...] hominum mentes. Vranium natione Syrum [...] Agathias ridet *artem medicam profitentem* [...], sed Aristotelicæ discipline prorsus ignarum [...], uociferantem tamen et insolentem *permulta se callere iactantem* [...] cum in aliis plerisque locis, tum maxime in *porticu regia*. Idem Agathias semetipsum profitetur *in porticibus regiis libellos multos forensium causarum et negotiorum plenos a matutino tempore ad occasum solis contemplari*. Ex quibus intellegere possumus regiam porticum et Basilicam Cisternam in eodem loco fuisse.

Porticus regia non exstat, cisterna incolumis permanet. Quæ cum neglegentia ciuium ignoraretur, a me peregrino diligenter quæsita uenit in cognitionem multorum. Cisternæ ignorationem auxerant superædificatæ domus. Quarum nonnullos incolas deprehendi ignorare cisternam infra ædes suas positam, cum tamen quotidie aquam huius haustam puteis potarent intra ædes suas sitis, in cisternam penetrantibus. Denique incidi in domum, qua in hanc descensus patebat. Scapham concendi, quam agens dominus domus, funeralibus accensis, huc illuc per medios ordines, uelut per siluam columnarum maxima ex parte demersarum aqua, ubi omnia perlustrauit, ille ad capiendos pisces, quibus cister-[120] na abundat, se conuertit, nonnullosque tridente cepit ad lucem funeralium. Lux enim exigua appetit intromissa per ora

317 œcumenicus : œconomicus *edd.*

puteorum, uelut per spiracula, quo pisces etiam congregantur. Cisternæ longitudo est trecentorum et triginta sex pedum, latitudo centum octoginta duorum pedum, eius ambitus ducentorum et uiginti quattuor passuum Romanorum. Cameræ et fornices lateritio opere similiter paries constant, tectorio Signino nihil uetustate offendit bene uestiti. Concameratio sustinetur trecentis triginta sex columnis marmoreis, inter se distantibus duodecim pedes, singulis altitudinem quadraginta dodrantem superantibus, in longitudinem dispositis per duodecim ordines, in latitudinem uero per uiginti octo ordines. Capitula earum partim opere Corinthio laborata, partim illaborata. Supra singulorum capitulorum abacum lapis magnus, uelut maior alter abacus, positus est, ad quem admittuntur quattuor arcus. Multi in eam penetrant putei, per quos ex cisterna hauritur aqua. Hiberno tempore impletur aqueductu. Vidi, cum media hieme impleretur, riuum ex magno tubo salire in cisternam magno murmure non cessantem eatenus, dum columnas omnes et media capitula obruisset. Hæc a templo Sophiæ uersus occidentem æstium distat circiter octoginta passus Romanos.

*De Chalcopratiis*  
 CAPVT XXI

CHALCOPRATIA, quæ Latine uertere possumus loca, ubi æraria opera exercentur, fuisse prope Basilicam, ex antedictis manifestum est. Georgius quidem Cedrenus ait Theodosium Paruum [121] ædificasse templum *Chalcopratiorum* et dedicasse uirgini Mariæ. Alii adiungunt *Iudæos*, qui a tempore Constantini Magni habuerant domicilium in *Chalcopratiis* [...], illinc expulisse Paruum Theodosium [...], templumque *Deiparæ* uirgini ibi ædificasse, terræ motuque postea labefactatum *Iustinum Curopalaton* reædificasse, a quo dissentire uidetur Zonaras. Theodosio, inquit, Magno peregre profecto [...] in Occidentis regiones, *Iudæos* Honoratum Constantinopoli præfectum sibi conciliasse, sibique ab eo potestatem permissam construendi synagogam sumptuosam in *Chalcopratiis* [...], eoque facto Vrbis populum indignatum [...] synagogam combussisse [...], Theodosium huius incendii certiorem factum multam [...] irrogasse his [...], qui talia patrassent, facultatemque Iudæis dedisse reædificandi [...] synagogam, Ambrosium [...] episcopum Mediolani id intellegentem Theodosio demonstrasse iniquum esse Iudæos in media Vrbe [...] regina urbium synagogam excitasse [...]. Theodosium [...] Ambrosii admonitu *Byzantiis* remisisse multam, synagogamque *Iudeos* intra Reginam urbium habere interdixisse. Nunc ærariae officinæ illic non sunt, translatæ in aliam Vrbis partem. Quas nonnulli mihi dixerunt aliquot ante annis fuisse prope ea loca, in qua diximus fuisse olim Chalcopratia. Ignotus scriptor informans ueteris Byzantii circumscriptiōnē designat non procul a Millario fuisse Chalcopratia. *Muri*, inquit, *Byzantii* ascendebant in *Chalcopratia* usque ad [...] *Millarium*. Alii scribunt prope Sophiam illa fuisse.

Ex antedictis uidimus Hippodromum, curiam, aulam regiam, porticum regiam, Basilicam fuisse uicina, eaque, ut ante dixi ratione archite-[122] ctonica. Strabo *regiae* Alexandrinæ partem, inquit, fuisse *Musæum*, quod porticum haberet, et exedram, et maximam domum, in qua [...] domicilium esset hominum in disciplinis uersantium.

*De porticibus sitis inter Palatium et forum Constantini {et de domo appellata Lampterum}*  
 CAPVT XXII

PRAETER regiam porticum prope quam fuit Bibliotheca, alias porticus fuisse parum remotas a portico regia pertinentes a Palatio usque ad forum Constantini incendia declarant. Primum factum tempore Iustiniani Procopius scribit Palatium et ædem Sophiam combussisse et utraque porticus magnas usque ad forum [...] Constantini. Cedrenus idem incendium tradit consumpsisse Chalcam, Sophiam, Augustæum et porticus duas usque ad forum Constantini.

Deinde Basilisco imperante incendium *exortum a [...] Chalcopratiis [...]* consumpsisse *ambas porticus, et omnia aedificia uicina, et [...] Basilicam, in qua erat Bibliotheca, [...] et utrasque porticus medias inter palatia, tum Lausi pulcherrima ornamenta.* Hæ porticus sæpe combustæ sæpe restitutæ sunt, primum a Iustiniano, deinde ab aliis. Postremo refectas puto a Dominno ex recenti historico tradente, cum Vrbs capta esset a Gallis et Venetis, *Domnini [...] porticus, tectas uias utrimque cingentes*<sup>318</sup>, *a Millario [...] ad forum Constantini pertinentes deflagrasse.*

Quidam tradunt tempore Constantini Magni Eubulum *quattuor porticus* duplices, singulas condidisse *a Palatio ad murum Vrbis terrestrem [...] pertinentes, testudinatas, [123] unas quidem perrexisse [...] usque ad aedem Diui Antonii* sitam in fine Vrbis, *alteras uero a Daphne et portu Sophiae usque ad templum nominatum Rhabdon, alias duas [...] a Chalca et Millario et Foro usque ad Taurum, et Bouem [...] æreum, stratas omnes marmoreis mensis, ornatas infinitis statuis.* Hæc etsi ab ignotis scriptoribus traduntur, quos in permultis rebus aliis mendaces deprehendi, tamen uerisimilia uidetur, cum ex graibus scriptoribus constet omnes urbes spoliasse Constantinum, ut suam Nouam Romam ornaret, cum ex antiqua regionum Vrbis *Descriptione* manifestum sit Constantinopolim habuisse publicas *porticus quinquaginta duas*, quarum quinque ponit in regione quarta, in qua diximus fuisse *Basilicam et porticum regiam*, et nuncupatam *Fanionis [...] præterea porticus magnas quattuor*, in regione sexta *porticum magnam unam.* A parte dextera [...] Constantini usque ad forum Theodosii addit regionem septimam *continuis extensam porticibus*, octauam uero *porticum sinistram* habuisse *Taurum usque*, præter hanc habuisse *porticus maiores quinque*, nonam *porticus maiores duas*, decimam *porticus maiores sex*, undecimam *porticus maiores quattuor.* Ex quibus uerisimile est a palatio Chalce ad murum terrestrem porticus frequentes fuisse, at continuas asserere nequeo, nisi Taurum usque.

*De millario Aureo et eius statuis, de Fortuna Vrbis eiusque statua*

CAPVT XXIII

MILLIARIVM Aureum fuit columna aurea, ex qua principium itineris ad omnes portas erat. Plinius *in capite Romani fori* statutam fuisse [124] ait. An uero Milliarium Constantinopolitanum simile fuerit Millario Romano, nullus Græcorum scriptorum non modo non declarat, sed ne nomen quidem nouit, nisi mutilatum Milion, in cuius testudine statuarum positarum nonnulli meminerunt. Verisimile tamen mihi uidetur <simile> Romano fuisse, in similius loco situm fuisse Nouæ Romæ, quæ, quantum potuit, Romam Antiquam æmulabatur. Et autoritate probare possumus in foro fuisse, aut prope forum. Antiqua enim regionum *Descriptio* id ponit in regione fori Augustæ et Basilicæ. Quibus uicinum fuisse colligitur ex incendio, quod regnante Iustiniano excitasse seditionem plebem Zonaras tradit apud Milliarium. Quo incendio Procopius ostendit *Sophiae aedem, et balneum Zeuxippum [...], et regiae aedis uestibulum [...], et porticus magnas usque ad forum [...] Constantini <deflagrasse>*. Qui scribunt res gestas ab Alexio Comneno, aiunt *ex Magno Palatio illucescente iam die Alexii milites duce [...] Sabbatio profectos ingressos fuisse [...] templum Ioannis Theologi [...] atque, cum ascendissent in partem superam templi effudisse uoces [...] contumeliæ plenas, proelium circa tertiam horam [...] inchoatum fuisse, populumque in foro [...] frequentem [...] læsisse qui pugnabant ex fornice Millarii et ex aede [...] Diui Ioannis Theologi.* Quam Constantinopolitani dicunt eam esse, ubi iam leones Regis stabulantur,

---

318 cingentes : domibus cinctas leg. ?

uicinam Hippodromo et foro Cupedinis<sup>319</sup> sito prope Sophiam, olim Augustæo appellato. Ex quibus apparet Milliarium proxime forum. Sed quid remotiora repeto, cum proprius Suidas explicet ? *In Basilica*, inquit, *a tergo Milliarii statuam [...] uiri similitudinem gerentem auro illitam*, elephantique et eius curatoris sta-[125] tuas fuisse statutas. Alii clarius dicunt has statuas positas a tergo Basilicæ prope Milliarium. Tum Suidas addit *in Millario statuam Theodosii fuisse [...], quam cum erigeret Theodosius multa frumenta [...] largitus est*. In statuam Theodosii equestrem, nunc non exstantem, hi uersus exstant :

"Ἐκθορες ἀντολίηθε<sup>320</sup> φαεσφόρος ἥλιος ἄλλος,  
 Θευδόσιε<sup>321</sup>, θνητοῖσι, πόλου μέσον<sup>322</sup>, ἡπιόθυμε  
 Ὡκεανὸν παρὰ πόσσιν ἔχων μετ' ἀπείρονα<sup>323</sup> γαῖαν,  
 πάντοθεν αἰγλήεις κεκορυθμένος, ἀγλαὸν ἵππον  
 ῥηϊδίως μεγάθυμε, καὶ ἐσσύμενον<sup>324</sup> κατερύκων.

Tum Suidas adiungit *in [...] Millario* fuisse statuas *Sophiæ uxoris Iustini, et Arabiæ filiæ huius, et Helenæ neptis eiusdem, tum Arcadii et Theodosii eius filii* equestres statuas *prope Theodosii* maioris statuam positas. Codinus<sup>325</sup> scribit *supra fornicem Milliarii stetisse duas statuas, unam Magni Constantini, alteram Helenæ [...] matris, habentes Crucem intermedium, pone [...] ipsas fuisse Traianum equestrem, eique propinquum [...] Aelium Adrianum similiter equestrem*. Suidas dicit *in fornice [...] similiter statuas Helenæ et Constantini*<sup>326</sup>, *et Crucem inter eas medium fuisse, hanc inscriptionem habentem : VNVS SANCTVS*<sup>327</sup>, *et duo celeres cursores*. Idem ponit in fornice Fori Augustæi easdem statuas Constantini et Helenæ, et Crucem, eamdem inscriptionem gerentem<sup>328</sup>. Ex quo intellegitur adeo uicina fuisse forum, et Milliarium, et Basilicam, ut non modo a diuersis eadem ponantur in diuersis locis, sed etiam in<sup>329</sup> uno eodemque.

Idem *in Millario* Suidas ponit *currum [...] quattuor equis fuluis ductum, ab antiquis temporibus duabus stelis [...] sustentatum, in eo loco, ubi faustis [126] exercitus acclamationibus exceptus est Constantinus, postquam uicit Azotium, quoniam etiam ibidem lauditus fuerat Byzas fundator Byzantii, deportatum autem currum introduxisse in Hippodromum [...] statuam paruam [...] a Constantino confectam, a sole uectam*. Hæc erat *Fortuna Vrbis [...], quæ maximis festis et in [...] natalem diem Vrbis ponebatur in Senatu*.

319 Cupedinis : cuppediarum *leg.* ?

320 Ἐκθορες ἀντολίηθε : Ἐκτορες ἀντολίηθεν 1561.

321 Θευδόσιε : Θεοδόσιε 1561.

322 μέσον : *om.* 1561.

323 ἀπείρονα : ἀπείρον 1561.

324 ἐσσύμενον : εσσήμενον 1561.

325 Codinus : Cedrenus *edd.*

326 Helenæ et Constantini : Constantini et Helenæ *edd.*

327 unus sanctus : una sancta *edd.*

328 gerentem : gerentes *edd.*

329 in : ab *edd.*

*Quoniam in capite suo Crucem [...] gereret, quam Constantinus scalpendam curauerat, Iulianus Christianæ religionis desertor ipsam fossa obruit [...] in eo loco, ubi periiit Arius [...], non longe a Senatu. Vbi etiam [...] pius Theodosius [...] ARII, Macedonii, Sabellii, Eunomii [...] statuas marmoreas scalpendas curauit, humi desidentes [...] ad notandam eorum perfidiam, ut a praetereuntibus stercore et lotio exsecratione contaminarentur. Alii tradunt Vrbis Fortunæ statuam ex Roma a Magno Constantino uectam et statutam fuisse in fornice Palatii. Zosimus tradit Constantimum Fortunam Romæ constituisse in parte unius porticus ex quattuor porticibus circumdantibus maximum forum. Verisimile uidetur Constantinopolitanos eam celebrasse festo die, ut in antiqua Roma celerabatur, tam ab indigenis quam externis, in eodem die et templo, in quibus olim Parilia nuncupata celebrari solebant. Socrates narrat, ut Iulianus cum sacrificaret publice Fortunæ Constantinopoleos in Basilica, ubi Fortunæ collocata erat statua [...], Mares [...] Chalcedonis episcopus manu eo ductus (nam ob senectutem [...] oculis laborabat) multis contumeliis regem [...] adfecit, eum impium, religionis Christianæ desertorem appellans [...]. Iulianus contumelias uerbis ulciscebatur, cæcum ipsum appellans [...]. Dicebat : « Num [...] Galilæus deus tuus te curabit ? » [127] Galilæum solebat [...] Christum appellare. At Mares, liberius [...] Iuliano respondit : « Deo, inquit, qui me excæcauit, gratias ago, ne uideam faciem tuam prolapsam in tantam impietatem ». Ad hæc nihil [...] respondit Iulianus. Zonaras eoque antiquiores Historiis suis mandarunt, temporibus Anastasii regis statuam Fortunæ [...], quæ ex ære facta muliebri specie alterum pedem intra nauem similiter [...] ex ære factam, ante se stantem, haberet, statutam fuisse in aliqua parte Vrbis [...]. Cum autem huius nauis æreæ simulacrum temporis uetustate laborasset, uel insidiis, illius membra quædam fracta sublataque essent, accidisse, ut naues onerariæ Byzantium non [...] appellerentur, sed ubi prope Vrbem accessissent, uentorum uiolentia ingredi portum prohiberentur, nisi<sup>330</sup> naues longæ multis remis actæ onera illarum in Vrbem adueherent. Tamen cito ob penuriam [...] consumebantur. Hoc cum aliquamdiu uigisset, curatoribus reipublicæ maximæ curæ [...] fuit inquirere causam. Denique, cum uenisset in suspicionem causa huius facinoris et nuntiata esset iis, qui curam Vrbis gererent, tum his fragmenta illius æreæ nauis diligenter inquisita inuenerunt, illique restituerunt et accommodarunt, nauigatioque [...] aperta fuit et libera, et mare plenum [...] nauium in Vrbem adnauigantium atque, ut exakte noscerent, an [...] causa fuisset nauis Fortunæ fragmentum, cur naues non applicarentur, sustulerunt rursus partes illius<sup>331</sup> nauis æreæ. Tum quæcumque naues [...] in Vrbem adnauigarent, uentorum ui iterum retrocesserunt. Inde pro re firma habuerunt, ex eo quod nauis hæc ærea fracta esset, naues onerarias prohibitas fuisse adnauigare in Vrbem, itaque nauem illam curæ habuisse, eamque reno-[128] uasse. Eunapius Sardianus in uolumine, quod scripsit de Vitis philosophorum et sophistarum, tradit populum Byzantium imperante Constantino aliter interpretatum fuisse difficultatem nauigandi Byzantium. Contingit, inquit, situi Byzantii [...] adnauigationem in Vrbem Byzantium incommodam esse, nisi uentus notus [...] solidus spiret. Hoc cum sæpe accidisset [...], populus fame pressus conuenit in Theatrum [...] incitatus in Constantinum. Præfecti aulæ regiæ inuidentes [...] Sopatro philosopho detulerunt Constantino : « Sopatrus, [...] quem in honore habes, uentos adligavit excessu sophiae, quam etiam ipse laudas, et [...] in regiis thronis sedere facis ! » His auditis Constantinus persuasus Sopatrum securi feriri iussit.*

*De templo Neptuni et de æde Minæ, et de stadiis, et scala Timasii*

330 nisi : ac si *edd.*

331 illius : illas *edd.*

CAPVT XXIV

COGNITIO templi Minæ ideo mihi uidetur prætereunda non esse, quoniam ostendit in qua parte Vrbis regio quarta fuerit continens Basilicam, Augustæum, ædem Diui Minæ. *Historia incerti auctoris tradit in Acropoli olim templum Neptuni prope mare Byzantem excitasse, ubi [...] ait suo tempore fuisse templum Minæ martyris.* Alio loco idem inconstanter dicit *templum Minæ fuisse olim Iouis, ex eoque [...] habuisse marmoreos fornices sustentatos duabus magnis columnis.* Itaque ex huius inconstantia nihil aliud adsequi possum, nisi mihi uerisimilius uidetur templum Minæ in his partibus Acropoleos, in quibus olim fuit templum Neptuni. Cum ex Dionysio Byzantio antiquissimo scriptore tradente *paulo supra [...] promunturium Bosporium [129] fuisse Egressoriæ Mineruæ aram, [...] et templum Neptuni, [...] et sub templo<sup>332</sup> Neptuni, intra muros fuisse stadia et gymnasia,* ut planius demonstrauit in *Bosporo*, tum adsequor ex hominum memoria uiuentium, asserentium intra claustra Regia, olim Acropolim appellata, fuisse nobile templum Diui Minæ. Antiqua *Descriptio* regionum Vrbis in regione Minæ prodit fuisse scalam Timasii et stadium<sup>333</sup>. Procopius ad *locum*, inquit, *mari [...] uicinum Stadium nuncupatum, ex eo quod [...] ibi olim certamina quædam exercearentur, Iustinianus rex et Theodora regina hospitia maxima ædificarunt.*

*De Lauso nuncupato, et de eius statuis Veneris Cnidiæ, Iunonis Samiæ, Mineruæ Lindiæ, Cupidinis alati, Iouis Olympii, Saturni, monocerotum, tigridum, uulturum, camelopardalium, et de xenodochii cisterna nuncupata Philoxeno, de Chrysotriclino*

CAPVT XXV

LAVSVS celebris est locus Vrbis scriptis permultorum, quorum aliqui scribunt *domum fuisse patricii Lausi [...] appellati, qui multos magistratus [...] gessit regnante Arcadio filio Theodosii Magni, domumque insignibus monumentis ornasse.* Heraclidæ episcopi Cappadociæ ad Lausum præpositum liber exstat inscriptus *Lausiacus*. In qua autem parte Vrbis Lausus fuerit, non hi declarant. Sed fuisse inter Palatium et Constantini forum adsequi possumus ex incendio, quo Zonaras et Cedrenus dicunt temporibus Leonis imperatoris deflagrasse ædificia ex latere Vrbis uergente ad septentrionem *a Bosporio portu usque ad tem-* [130] *plum Diui Ioannis Calybitæ, ex latere meridiano a templo Diui Thomæ Apostoli ad ædem [...] Sergii et Bacchi, in medio uero Vrbis a Lauso usque ad Taurum.* Euagrius describens idem incendium, eo loco, quo alii dicunt in media Vrbe illud incendium exstisset *a Lauso usque ad Taurum*, ipse dicit *a foro [...] Constantini ad [...] Taurum.* Quo percipitur Lausus uicinus fuisse foro Constantini, sed uersus orientem, et inter Palatium et forum Constantini, patet ex incendio, quo Cedrenus regnante Basilisco testatur *deflagrasse florentissimam partem Vrbis [...], Chalcopratia [...], utrasque porticus et continentia omnia ædificia, et nuncupatam Basilicam, in qua [...] Bibliothecam [...] illam insignem ante dixi, et pulcherrima Lausi ornamenta [...], usque ad forum [...] Constantini.* Multæ enim [...] statuæ in Lauso erant, inter quas Cedrenus exceluisse tradit statuam *Lindiæ Mineruæ* longam *quattuor cubitos, ex lapide smaragdo factam, opus Scyllidis et Dipæni statuariorum, quam olim Sesostris Ægypti rex dono misit sapienti Cleobulo Lindio tyranno.* A qua fortasse

---

332 sub templo : supra templum *leg. Mango.*

333 stadium : *stadia edd.*

Laousus locus appellatus est, nam nomen Mineruæ Laossoos<sup>334</sup>. *Theophrastus tradit in*<sup>335</sup> *Ægyptiorum commentariis reperiri, regi eorum a rege Babylonio missum smaragdum muneri quattuor cubitorum longitudine ac*<sup>336</sup> *trium latitudine. Si Sesostris rex, et Dipœnus et Scyllis eodem tempore fuissent, existimarem legendum in codice Pliniano smaragdum Mineruæ. At*<sup>337</sup> *marmore scalpendo*<sup>338</sup> *primi omnium inclarerunt Dipœnus et Scyllis*<sup>339</sup>, *geniti in Creta insula, etiamnum Medis imperantibus, priusque quam*<sup>340</sup> *Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est Olympiade circiter quinquagesima. [...] Simulacra [...] perfecerunt [131] Apollinis, Dianæ, Herculis, Mineruæ, quod de*<sup>341</sup> *cælo postea tactum est. Dipœni quidem Ambraciæ, Argon, Cleonas*<sup>342</sup> *operibus refertas fuisse tradit Plinius, at non meminit Mineruæ Lindiæ. Præterea adiungit Cedrenus in Lauso statutam fuisse Venerem Cnidiam omnium mortalium scriptis celebratam, ex marmore albo factam, nudam, manu tegentem solam corporis uerecundam illam partem, [...] Praxitelis opus; et Samiam Iunonem opus Lysippi, et Bupali Chii ; et Cupidinem alatum [...] sagittas habentem, ex Myndo allatum ; et Phidiæ elephantinum Iouem, quem Pericles posuit in templo Olympio ; et [...] Saturni existimatam statuam [...], capit is posticam partem caluam habentem, anticam uero comatam*<sup>343</sup> ; *et monocerotes, et tigrides, et uultures*<sup>344</sup>, *et camelopardales, et taurelephantum*<sup>345</sup>. In codice Cedreni legitur *taurelephas*. Rectius legeretur *taurelaphos*, id quod colligo ex Cosma Indopleuste<sup>346</sup>, antiquo et nobili scriptore, qui ponit *taurelaphos*, id est tauros ceruinos. *Historia patria* nuncupata incerti auctoris ait etiam in Lauso fuisse suo tempore *aquilas lapideas*, cui eatenus credo, qua dicit sua etiam ætate fuisse, sed qua aquilas dubitare potius possum. Sintne illæ aquilæ, quos vultures appellat Cedrenus ? Quam pleraque ab eo tradita longe minus conuenientia.

Cedrenus scribit in partibus *Laousi* fuisse ædificia uaria et xenodochia quædam, ubi esset illa celebrata *Philoxenos*, quæ hospitaliter suppeditabat aquam. Quidam declarant *Philoxenon* [...] cisternam fuisse conditam a *Philoxeno*. Eam ipse existimo, quam Heraclium terra

334 Laossoos : Laossos *edd.*

335 in : *om. edd.*

336 muneri ... ac : munere ... et *edd.*

337 At : At Dipœnus et Scyllis *edd.*

338 scalpendo : sculpendo *edd.*

339 Dipœnus et Scyllis *om. edd.*

340 priusque quam : priusquam *edd.*

341 de : ex *edd.*

342 Cleonas : Cleonem *edd.*

343 comatam, opus Lysippi *edd.*

344 et uultures *om. edd.*

345 taurelephantum : taurelephantos et uultures *edd.*

346 Indopleuste : Indopleute *edd.*

obruisse positam *inter [...] triclinium et Lausiacum*, scribit Menander no-[132] minatus protector, tradens Macedonium regem plerasque cisternas purgasse, quas terra obruerat Heraclius rex. Quod si etiam purgauit illam positam inter Lausiacum et Triclinium, illa esse uidetur, quæ in Abrami domus parte subterranea uergente ad septentrionem uisitur. Cuius concameratio quadringentis et uiginti quattuor columnis marmoreis sustinetur duplicatis, nempe ducentis et duodecim, supra se ducentas et duodecim columnas habentibus. Quarum unam mensus sum, cui reliquas similes puto, et deprehendi perimetrum sex pedum et dodrantis esse. Altera cisterna est iuxta latus eiusdem domus uergens ad occasum, cuius fornices sustinentur triginta duabus columnis Corinthiis, in quattuor ordines dispositis, singulos constantes octo columnis, quarum scapi in ambitu continent duodecim dodrantes.

Iam uero *Triclinium*, inter quod et Laousum diximus sitam esse Philoxenon cisternam, arbitror esse, quod Zonaras scribit Iustinianum secundum<sup>347</sup> ædificasse in regiis ædibus, *idque a suo nomine [...] Iustinianeum appellasse*. *Tiberium [...] regem Cedrenus addit Chrysotriclinium* a Iustiniano secundo<sup>348</sup> conditum *ornatus reddidisse*. Chrysotriclinii porta occidentalis illa fuit, cuius meminit Leo sextus<sup>349</sup>, cum prædixit Andronico tyrannidem meditanti, per portam Chrysotriclinii occidentalem Andronici caput in Hippodromo abscindendum<sup>350</sup> ad se allatum iri. Chrysotriclinii crebra est mentio etiam apud scriptores, qui scripserunt paulo ante, quam Constantinopolis caperetur, tumque omnes ciues Chrysotriclinii nouerant nomen et locum. Nunc nemo est, qui sciat aut scire curet, ac potius neglegat et contemnat, ut cetera omnia, quæ pertinent ad disciplinas.

---

<sup>347</sup> secundum : tertium *edd.*

<sup>348</sup> secundo : tertio *edd.*

<sup>349</sup> sextus : quintus *edd.*

<sup>350</sup> abscidendum : abscisum *leg. ?*

### [133] LIBER TERTIVS

*De locis regionis quintæ et secundi collis, de Nauali et portu nuncupato Bosporio, et de Strategio et foro Theodosiaco*

CAPVT I

REGIONEM quintam fuisse in collis secundi latere uergente ad septentriones et in planicie adtingente eius radices, a dorso Promunturii, pariter et coniuncte cum quarta regione descendantem ad sinum Cornu nuncupatum, non percepissem ex antiqua regionum Vrbis *Descriptione*, quamuis tradente *non modicam partem suam in obliquioribus positam locis planicie excipiente productam fuisse*. Nam ea descriptio aliis etiam regionibus Vrbis conuenit, neque ex eius ædificiis cognouissem, quæ traduntur in ipsa contenta fuisse, quorum nulla neque uestigia exstant, neque hominum memoria.

Sed ex portu Phosphorio siue Bosporio nuncupato, atque ex scala Chalcedonensi mihi aliqua lux adfulsit. Quæ nomen non habet, ex eo quod sita sit in ea Vrbis parte, quæ uergit ad Chalcedonem et ortum solis, non enim eo uergit, sed ad septentriones. Sic Bosporius portus non a Bosporo freto, sed a consuetudine deprauata Byzantiorum, ipsum Bosporium uocantium immutatione literæ, cum debuissent eum appellare Phosphorium, Stephani et Eustathii testimonio. Qui tradunt Phosphorium fuisse *portum Byzantii [...]*, ex eo nomen adeptum, *quod Philippo Macedone Byzantium obsidente, occultum ingressum cum milites effodissent [...], unde occulite [...] ingressuri erant in urbem, Hecate Phos-[134] phoros [...] præsens lumen nocte ciuib[us] [...] attulerit, insidiasque detexerit. Itaque obsidione liberati Phosphorium [...] locum illum nominarunt*. Sed ut lucem adferunt, cur Bosporius et Phosphorius idem portus uocetur, ita non declarant, situsne hic esset in parte urbis uergente ad meridiem, an ad septentriones, an ad orientem. Sed ex scala Chalcedonensi, quam regionum *Descriptio* ponit in regione Prosporiani<sup>351</sup> portus, existimare possumus fuisse in septentrionibus Vrbis, non orientibus portibus, quamuis sitis contra Chalcedonem. Nam fluxus rapidus Bospori freti nauigationem a Chalcedone ad partes Constantinopoleos orientales et meridianas difficilem præbet, ad septentrionales uero perfacilem, ut plane intellegunt, qui rapiditatem Bospori nouerunt, et uiderunt eos, qui exercent nauigationem inter Chalcedonem et Byzantium, applicare naues ad septentrionales Vrbis partes, uel ab illis soluere. Adde huc antiquam regionum *Descriptionem*, quæ contra Chalcedonem nullam scalam ponit. Ac si poneret, eius mentionem faceret in prima aut secunda regionibus aduersis Chalcedoni et orienti, aut in tertia regione exposita meridiei, in qua portum Nouum ante diximus. Sed quid longa ratiocinatione opus est, cum nominatim et breuiter testimonia ex scriptorum monumentis proferre possumus, ex quibus plane perspicitur portum Bosporium et scalam Chalcedonensem esse non modo in parte Vrbis septentrionali, sed etiam in quo septentrionis loco. E quibus primum profero Dionysium Byzantium, qui statim extra murum Byzantii antiqui ponit templum Telluris supra sinum Bospori, et *paulo supra ipsum tempa [135] paria Cereris et Proserpinæ*. Quam etsi Phosphoron non nominat, sed dumtaxat Kóρην, id est uirginem, sic enim Proserpina interdum nominatur, tamen illam intellegere possumus ex loci situ Hecaten fuisse, cuius tripodem Cedrenus ponit in Strategio. Vbi uerisimile uidetur ex Dionysii Byzantii descriptione templum fuisse Proserpinæ, aut non longe ab Strategio. Sed clarius scribit Euagrius, cum ait regnante Leone *in parte Vrbis uergentem ad boream [...], in qua essent Neoria Vrbis, incendium extitisse, quod a Bosporio portu grassatum est usque ad antiquum Apollinis templum, in parte uero meridiana a portu Iuliani ad [...] templum Homonææ, id est Concordiæ, in parte Vrbis media a foro [...] Constantini usque ad [...] Taurum*. Zonaras hoc incendium ait *a mare*

---

351 Prosporiani : Bosporiani *edd.*

septentrionali *ad mare [...] meridianum Vrbem intercepisse, in longitudinem quidem [...] a Boosporio ad templum Diui Ioannis Calybitæ, ex meridie a templo Diui Thomæ Apostoli, ad templum [...] Sergii et Bacchi, in media Vrbe a Lauso ad Taurum.* Georgius Cedrenus tradit id *incendium [...] ortum a Neorio [...], hoc est a Nauali, perrexisse usque ad ædem Ioannis Calybitæ.* Ex quibus cognosco Neorium et Bosporium uicina fuisse, quamquam ab antiqua regionum *Descriptione* Bosporius portus in quinta regione, et Neorium in sexta ponantur. Nam cum hæc utraque regio simul coniuncta a collis dorso ad mare descendat, nihil impedit, quin uicinus fuerit portus Bosporius Neorio. Quod in qua Byzantii parte fuerit, aperte designat Zosimus iam historicus antiquus, describens antiquum Byzantium, quod dicit fuisse *in colle situm, occupans partem isthmi [...], quem efficit Propontis et sinus [136] Ceras nuncupatum.* Byzantique murum addit per collem demissum fuisse a parte occidentali usque ad templum *Veneris, et ad mare positum<sup>352</sup> contra Chrysopolim, a parte boreali [...] pari modo descendisse usque ad portum, quem uocant Neorian.* Quod prope portam, quam Græci appellant Oreiam, corrupte quasi Neorii portam, aut non longe ab ea fuisse existimo. Hodie inter mare et portam Oriam, quam Turci appellant Siphont, id est Iudæorum eam accolentium, spatium latum uelut forum maritimum. Cui adiunctam uidere licet scalam Chalcedonensem, siue Scutaricam, qua quotidie traiectus fit in Scutarium, aut Scutaricum, olim Chrysopolim nuncupatam, emporium et portum Chalcedonensium. Scalæ Chalcedonensi uicinus est traiectus in Galatam olim Sycenus appellatus, quem antiqua *Descriptio* uicinum ponit Neorio et Bosporio. Quorum situs paululum immutatus est, ut horreorum ibi olim sitorum, nunc in alium locum traductorum, siue ob Regis claustrum longius promotum, siue quia primum Neorium manufactum esset, deinde terra obrutum fuerit. Non enim eo tempore cum Philippus cuniculos egit, uerisimile est portum fuisse, quem postea Byzantii Phosphorion appellarunt, nam impeditus fuisset scaturigine aquarum, sed deinde locum appellatum Phosphorium portum manufactum fuisse, ut quidam tradunt de Neorio, quod dicunt clausum a Constantino<sup>353</sup>, *in eoque fuisse forum rerum maritimorum, deinde regnante Iustinianum translatum fuisse in portum Iuliani.* Alii scribunt *Leontium imperatorem*, qui regnauit post Iustinianum, purgasse portum Neorium. Alii addunt *in [...] lacu Neorio bouem æreum statutum fuisse [137] ingentem*, boui æreo in undecima regione sito similem, quem recentes scriptores tradunt semel in anno mugire, tumque Vrbi accidere detrimenta. Quod commentitium puto et subreptum ex Callimacho et Pindaro scribentibus *Rhodium montem esse nomine Atabyrium habentem [...] æreos boues, qui mugitum emittere solebant, impendente Rhodo calamitate.* Ex quibus liquet Neorium fuisse manufactum, quod nunc non exstat.

Iam igitur Bosporiano portu et scala Chalcedonensi cognitis, cognoscimus quintam regionem fuisse in collis secundi latere atque in subiecta sub ipsum planicie, ibidemque fuisse thermas Honorianas, Prytaneum, thermas Eudocianas<sup>354</sup>, horrea Valentiniana, horrea Constantiaca, Thebæum Obeliscum, portum Bosporianum, scalam Chalcedonensem, cisternam Theodosianam<sup>355</sup>, Strategium in quo fuit forum Theodosiacum. Qui describunt antiqui Byzantii ambitum, dicunt eius muros *incepisse ab [...] Acropoli et perrexisse ad Eugenii turrim, inde ascendisse usque ad Strategium et [...] Achillis balneum.* Cuius meminit Iustinianus in suis constitutionibus de aquæductibus, cum inquit *plumbeas fistulas ducentes*

<sup>352</sup> ad mare positum : maris positi *edd.*

<sup>353</sup> Constantino : Constante *edd.*

<sup>354</sup> Eudocianas : Eudoxianas *edd.*

<sup>355</sup> Theodosianam : Theodosiacam *edd.*

aquam *ad thermas, quæ [...] Achilleæ nominantur, quas prouidentia tuæ magnificentiæ<sup>356</sup> factas fuisse cognouimus, eamdem formam seruari censemus, quam Theodosius et Valentinianus constituerunt. Etenim<sup>357</sup> memoratas fistulas thermis tantum et nymphæis, quibus eminentia tua deputauerit, uolumus inseruire, facultate præbenda tuæ sublimitatis apparitoribus circumeundi sine formidine domus<sup>358</sup> et suburbana balnea, ad requirendum<sup>359</sup> ne qua deceptio uel suppressio [...] sit contra publicam uti-[138] litatem.*

Initio dixi ex Socratis *Historia*, Constantium Magnum *Constantinopolim [...] secundam Romam habendam esse lege sanxisse, quæ in columna incisa publica est, quam in nuncupato Strategio statuit prope suam statuam equestrem*. Ex antiqua regionum *Descriptione* Vrbis triplex forum a Theodosio nominatum reperio, primum in quinta regione Theodosiacum nominatum, quod fuisse in Strategio dixi, alterum in septima<sup>360</sup> regione, quod Theodosii appellat, tertium in duodecima, quod Theodosiacum nominat. Duo hæc postrema rerum uenalium fuisse infra monstrabo. Primum prætorium forum coniicere possumus, ex ipsa regionum *Descriptione* tradente id fuisse in Strategio, quod Latini Prætorium appellant, quod postea etiam a Græcis appellatum est prætorium. Ob diuersa fora mihi uerisimilius uidetur, quam certo sciam, an hoc Theodosiacum forum sit illud magnum prætorium, quod pulchrius effectum a Iustino rege et Domnini opera intellegitur ex uersibus Pauli silentiarii. Quos subiungam, ut clarius liqueat prætorium Græcis usitatum fuisse, ut alia pleraque Latina :

Παύλου Σιλεντιαρίου εἰς τὸ μέγα πραιτώριον καλλοπισθέν.  
 κόσμον Ἰουστίνος βασιλεὺς ῥυπτόωντα καθήρας,  
 καὶ τὰ μέγιστα Δίκης ἡγλάϊσεν τεμένη.  
 σοὶς δὲ πόνοις Δομνῖνε κατηφέα<sup>361</sup> νύκτα διώκεις  
 ἐκ Θέμιδος μεγάρων, ἐκ βιοτῆς μερόπων.

[139]

*De regione sexta et de reliquis ædificiis antiquis secundi collis*

CAPVT II

REGIONEM sextam fuisse in parte Vrbis septentrionali, potiusquam meridiana, non nouissem ex columna Constantini in hunc diem extante, neque ex Constantini foro, neque ex antiqua *Descriptione*, quamuis tradente *columnam purpuream Constantini*, quamuis describente *regionem sextam breui peractam planitie, reliquam in deuexo constitisse*, nisi addidisset *a foro Constantini scalam usque, siue traiectum usque Sycenum porrectam fuisse*. Sycenus traiectus appellatus fuit a Syca olim nominata, quæ nunc Galata, siue Pera, appellatur, ut plenius declarabo in regione decimatertia. Sextam regionem coniunctam fuisse cum quinta paulo ante signifiacui ex uicinitate Neorii, scalæque Chalcedonensis, et traiectus Syceni, et Bosporiani portus. Cognita igitur Syca adsequor iuxta planitiem maritimam subiectam sub secundi collis radices fuisse Neorium, traiectumque Sycenum situm fuisse, ubi hodie traiectus est Galatinus, columnamque purpuream nunc exstantem esse illam, quam

<sup>356</sup> prouidentia tuæ magnificentiæ : prouidentiæ tuæ magnificentia *edd.*

<sup>357</sup> etenim : item *edd.*

<sup>358</sup> domus : domos *edd.*

<sup>359</sup> requirendum : inquirendum *edd.*

<sup>360</sup> septima : sexta *edd.*

<sup>361</sup> κατηφέα : κατηθέα 1561.

antiqua *Descriptio* in sexta regione tradit fuisse. Sed quam prope columnam et forum Constantini Senatus fuerit, ex sextæ regionis *Descriptione*, quamuis Senatum continente, intelligere non possum. Verum paulo infra ex aliis scriptoribus Senatum ostendam fuisse in fori Constantiniani parte uergente ad boream. Denique regionem hanc partim fuisse in secundi collis dorso, in quo columna purpurea hodie uisitur, et forum gallinarium, quod nunc Turci appellant Taubasar, officinæque telas tingentium, et do-[140] mus Aenobarbi præfecti classi Turcicæ, et templum Alibassæ, partim in secunda ualle eiusque latere dextro, partim in planicie litorali subiecta sub hanc uallem et radices secundi collis, quæ a frequentissimis habitatur Iudæis.

*De columna purpurea, et foro Constantini, et Palladio*

CAPVT III

QVI a Magno Constantino res gestas conscripserunt, tradunt illum *columnam porphyreticam cycloterem*, hoc est teretem et circulis laureatis cinctam, quam regionum Vrbis *Descriptio* appellat purpuream, *ab Vrbe Roma, ut fama est, aduectam statuisse in foro nuncupato Placoto, ex eo quod planis et latis lapidibus, quos Graeci placas appellant, constratum esset, et simul supra hanc columnam collocasse statuam ex ære factam, admirabilem [...] siue propter artem, siue ob prægrandem magnitudinem [...].* Antiquo enim opere summoque artificio perfecta erat ut spirare uideretur. Quam dicunt olim Apollinis Iliaci fuisse [...] imaginem, eamque [...] diuinum imperatorem [...] suo nomini [...] dedicasse, eiusque capiti nonnullos clavos eorum [...] imposuisse, qui corpus Domini adfixissent salutari Crucis, atque in hac statua scalpenda curasse hæc uerba.

Σὺ Κύριε, κόσμου κοίρανος καὶ δεσπότης,  
 Σοὶ νῦν προσῆψα<sup>362</sup> τήνδε σὴν δούλην<sup>363</sup> Πόλιν,  
 καὶ σκῆπτρα τάδε, καὶ τὸ τῆς Ἀρώμης κράτος.  
 φύλαττε ταύτην, σῶζέ τ' ἐκ<sup>364</sup> πάσης βλάβης.

Cedrenus adiungit *sub columnam duodecim cophinos* [141] illos literis sacris illustres subiecerisse. Hæc columna porphyretica non gradibus peruia est, sed solida, itaque falso tradit Fulius antiquarius cochlidem esse. Zonaras scribit etiamnum in suam ætatem statuam Constantini exstitisse supra columnam, regnanteque Alexio Comneno uerno tempore [...], cum alia permulta [...] cecidisse uento [...] uehementissimo perstante, tum Constantini Magni statuam supra [...] columnam porphyreticam [...] collocatam, detractam multos obuios interemisse [...], et pessumdatam diffractamque in multa frusta. Scriptor rerum gestarum ad Alexium Comnenum addit fulmine [...] non modo statuam dirutam, sed etiam tres zonas columnæ deiectas fuisse. Quænam hæzonaæ fuerint, intellegitur ex his, quæ mox adiungam.

Hæc quidem columna etiam nunc exstat in culmine secundi collis, aliquantum quidem diminuta, non tam uetustate, quæ uetustissima est, quam incendiis, et terræ motibus, <et> uentorum turbinibus. Non enim iam habet ullam statuam, immo etiam tribus zonis, siue spondylis supremis, siue circulis, ob quos historici cycloterem columnam hanc dicunt, quasi circulis distinctam, priuata fuit turbine uentorum temporibus Alexii Comneni, locoque spondylorum aucta fuit accessione structuræ superædificatæ teretis, eiusdem crassitudinis et æqualis reliquo scapo. Cuius supra excelsum stylobatem marmoreum, quadratum, quoquo uersus latum undecim pedes et dodrantem, altum duodeuinginti pedes statuta est spira Dorica

362 προσῆψα : προσῆξα edd.

363 σὴν δούλην : συνδούλην 1561.

364 σῶζέ τ' ἐκ : σῶζέ τε ἐκ τῆς 1561.

marmoris porphyretici, constans plintho, toro inferiore et superiore, et intermedia scotia. Supra spiram scapus columnæ perimetrum habens pedum circiter triginta trium, structilis, non enim ex uno lapide [142] scapus constat, sed ex octo<sup>365</sup> lapidibus uelut spondylis. Quorum singuli una corona, seu zona, seu toro, seu nodo laureato cinguntur iuxta commissuram lapidum, quæ nulla apparebat cum integra erat, tecta nodis eminentibus. Ita enim nodi intertexti, laurinis foliis et baccis singuli scalpti, in summa parte singulorum lapidum, seu spondylorum, eminenter expressi sunt, ut commissura uideri nequeat. Ac si nulla ex parte læsa esset, uno ex lapide facta uideretur non modo uulgo, sed etiam quibusdam historicis qui falso prodiderunt eam columnam ex uno lapide factam esse. Atque adeo irrident eos qui *non credunt esse unius lapidis*, ut idiotas deceptos *zonis æreis [...]*, quibus tum cingebatur, et spondylis<sup>366</sup> *ornatus causa*, ut ipsi aiunt, additis. Nunc zonas æreas non habet, sed aliquot ferreos circulos astringentes columnam partim incendiis corruptam. Loco zonarum deiectarum turbine uentorum superædificatus est spondylus ex multis lapidibus, in quo summo est Græca inscriptio nomen regis illius continens, qui post casum statuæ Constantinianæ supremum spondylum structilem superimposuit.

Huius columnæ similitudinem gerebant columnæ quas describit Athenæus in hanc sententiam, in *Ægypto excitatas fuisse columnas teretes et rotundas, uariis spondylis constantes, aliis nigris, aliis albis, alternatim sitis, earumque capitula [...] similiter rotunda exstisset [...]*, quæ ambiret sculptura uniuersa similis *rosis paululum apertis [...]*. *Calathum nuncupatum, non helices quemadmodum in Græcanicis operibus, neque folia aspera circumdant, sed lotorum [...] et palmarum recenter nati<sup>367</sup> fructus. Atque interdum plurimorum [...] florum genera scalpta [143] sunt. Hoc uero sub radice ciborium, quod eminet supra spondylum ad commissuram capituli [...], floribus et foliis [...] distinctum, similem dispositionem habet. Ita Ægyptii columnas conficiunt parietesque albis et nigris [...] lateribus alternatim sitis construunt.* Hanc Athenæi rationem adhuc Ægyptios, Syros, Persas seruare uidi, parietes alternis ordinibus colorum construentes, diuites quidem lapidibus aut laterculis naturaliter uariis, mediocres arte et pictura uariatis.

Has zonas dicunt quidam scalptas fuisse ad præsagiendam bonam præsignificationem annorum Constantini seu uictiarum multitudinem. Equidem ipse potius arbitror esse designatrices coronarum laurearum, quibus Apollo delectatur, hancque columnam antiquam colossæi Apollinis sustinuisse statuam. Quam Constantinus Apollinisque statuam sibi attribuit, siue semper uictori, siue quod Apolline delectaretur ut, cum ceterorum statuas deorum euerteret, Delphici Apollinis statuam et tripodem in Hippodromo statuerit, id quod significat rhetor ille Belga qui dixit panegyricum Constantino, cum inquit : *Vbi Constantine deflexisses ad Apollinis templum toto orbe pulcherrimum [...], uidisti [...], credo [...], Apollinem tuum [...] coronas tibi [...] offerentem, quæ tricenum singulæ ferunt omen annorum. Hic est [...] humanarum numerus ætatum quæ tibi utique debentur ultra Pyliam senectudem. Et immo [...], quod credo, uidisti teque in illius specie recognouisti, cui totius mundi [...] regnum deberi uatum carmina [...] cecinerunt, quod ego [...] nunc demum arbitror contigisse, cum tu sis, ut ille, iuuenis et lætus, et salutifer, et pulcherrimus, imperator.*

Si Turcus quem apposueram ut, con-[144] scensa basi, metiretur quæ ipse designaueram et præsens dissimulanter respiciebam, recte perticam tenuit, qua metiebatur spondylum imum, deprehendi ex nota perticæ, quam ille inciderat, spondylum altum esse nouem pedes et quattuor digitos, tori uero latitudinem sesquipedalem, eiusque expressionem extra spondulum

<sup>365</sup> octo : septem leg. ?

<sup>366</sup> spondylis : coronis leg.

<sup>367</sup> nati : natarum edd.

projectam esse sex digitos. Torum uoco eius calcaneum. Itaque singuli lapides, quos spondylos nominaui, alti decem pedes et dodrantem. Est igitur altitudo octo spondylorum circiter octoginta sex pedum et dodrantis. Adde superstructum spondylum cum abaco, adde spiram, et stylobatem, et gradus quattuor sub stylobatem subiectos marmoreos, quorum imus altus a terra pedem et sex digitos, secundus tantumdem, tertius sesquipedem, quartus tantumdem.

Huius columnæ, seu potius colossi, cum sustineret ingentem illam statuam Constantini, locus quo nomine appellaretur olim, ex antescriftis nondum plane cognosci potest. Nam Placotum forum, in quo Zonaras et alii recentes historici docent sitam illam fuisse, cum non meminerit Procopius neque quisquam illorum temporum, dubitabam primum num esset forum Constantini, etsi mihi uerisimile uidebatur Constantinum suam columnam statuisse in suo foro, ut Traianus suam cochlidem statuerat in foro sui nominis. Sed quam mox Socrates dissensionum Christianarum historicus me admonuit forum Placotum esse forum Constantini, tradens Arium, *cum prope [...] forum Constantini, in quo columna purpurea locata esset, accessisset, uehementi alui deiectione periisse*. Sed clarius liquet Placotum fuisse quod olim appellaretur forum Constan-[145] tini, ex Palladio Mineruæ quod Zonaras tradit *a Troia* Constantinum *transtulisse in forum [...] Placotum*, Procopius in forum Constantini. Maleuenti, inquit, *ferunt Diomedem conuenisse Æneam [...] ex Ilio uenientem, eique ex diuino responso dedisse simulacrum Mineruæ quod ipse quondam, Vlixe auxiliante, a Troia abstulisset, cum ambo ad explorandum [...] eo profecti fuissent, <prius> quam [...] a Græcis Ilium caperetur [...]*. Præterea huc adiungunt Diomedi ægrotanti et [...] suscitanti de ægritudinis euentu, *prædictum fuisse ex oraculo non prius illum e morbo liberatum iri, quam uiro Troiano id simulacrum tradidisset*. *Vbi [...] tamen illud esset, Romani se scire negant. Imaginem [...] dumtaxat ex lapide [...] scalptam monstrant [...]*, quæ *in hoc tempus in templo Fortunæ [...] ante [...] Mineruæ statuam [...] collocata est, in ea quidem templi parte quæ spectat ad orientem. Illa quidem imago, quam dixi ex lapide scalptam, gerit præliantis similitudinem uibrantisque uelut in acie hastam, habens uestem oblongam [...]*. Cuius facies non [...] similis est simulacro Mineruæ, quale insculpitur a Græcis, sed ab Ægyptiis. Byzantini adserunt *Constantinum [...] in foro sui nominis hanc statuam posuisse sub terra defossam*. Ex quibus Zonarae et Procopii uerbis patet forum Placotum et Constantinianum forum idem esse. Cuius quidem cognitio non neglegenda, sine qua Vrbis regiones quattuor Vrbisque incendia perspicue cognosci non possunt. Nam *tertia [...] continet [...] Tribunal fori Constantini. Sexta [...] a foro [...] Constantini scalam usque [...] Sycenam porrigitur [...]*, continens columnam [...] Constantini. *Septima [...] a parte dextra columnæ Constantini usque ad forum Theodosii continuis [...] extenditur por-[146] ticibus. Octaua [...] continet partem fori Constantini*. Incendia excitata sub Iustiniano et Basilisco, usque ad forum Constantini grassata sunt. Sub Leone a foro Constantini usque ad Taurum incendio ædificia conflagravit.

Iam uero memor quorundam curiosorum, quibus a me aliquando percontantibus, unde Constantinus Palladium illud adeptus fuisse, respondi mihi dubium uideri. Nam quod Zonaras tradit a Troia, quomodo potuit tot ante seculis deleto Ilio, ut etiam Strabo ipse sedem multis chartis inuestigare conetur ? Quid quod sublatum a Diomede et Vlixe ? Nam ab antiqua Roma tollere quis potuit toties incensa, præsertim Romanis ipsis ignorantibus, ut ait Procopius, ubi illud esset ? Scriptores tamen Latini tradunt a Diomede datum Æneæ, seruatum fuisse Lauinii, postea translatum Romam adseruatum fuisse in æde Vestæ. At Græci aliter tradunt, inter quos Pausanias tempore Hadriani scribit in arce Mineruæ [...] illud fuisse Athenis omnium *sanctissimum*, quod iam inde ab initio *de communi [...] omnium curiarum consilio dedicatum esset in [...] Acropoli [...] delapsum de cælo*. Quale autem id fuerit, ligneum ne, an aeneum, signum an scutum, controuersum est. Quidam scribunt fuisse scutum [...], ut *Romæ ancilia*. Aliter sentiunt Dion et Diodorus, qui scribunt fuisse signum *ligneum et tricubitale, cælo lapsum [...] in Pessinunte urbe Phrygiæ [...] dextra tenens hastam, læua*

*colum et fusum.* Verisimilius est fuisse simulacrum ex nomine Palladis, cuius statua ubicumque fuerit, appellatur<sup>368</sup> Palladium. Procopius testatur statuam Mineruæ, quam Romani demonstrant in æde Mineruæ, non esse qualem Græci scalpunt. Illam enim di-[147] cit lapidem esse gerentem imaginem proeliantis et hastam uibrantis. Sed {et} etiam Græci dicunt eius *statuam hastam tenere ob robur [...], similiter et clipeum, ex eo quod sapientia omnes insidias repellit [...], galeatam esse, propterea quod sapientiæ fastigium est inuisibile, oleam [...] gerere, quæ est materia lucis [...], et Gorgonem [...] in pectore [...] habere, ob mentis celeritatem.* Minerua in sua ægide habuit ad pectus pictam noctuam et Gorgonem, noctuam quidem profunditatem indicans consiliorum, omne enim tenebrosum prudentia intellegit et absconditum. Sed plura de Palladio quam necesse sit præsenti instituto dixi, idque fortasse ut Palladii notas uelut tesseram darem, admoneremque eos, qui post me inter barbaros peregrinari uolent, primum accedant Constantinopolim, Palladiumque a Constantino sub terra defossum effodiant, ut eo armati insidias, ærumnas, incredibilia discrimina repellere queant. Quod ipse oblitus effodere, mecumque ferre, incidi in omnia pericula. Quo si munitus fuisse, ut ceteras insidias euitassem, ita admissus fuisse in arcem Mineruæ. A qua me Turci reiecerunt, cum diu uersatus essem Athenis, cupiens propius spectare templum Mineruæ, etiam nunc extans Dorico opere confectum peristylio circumdatum quadraginta sex<sup>369</sup> columnarum. Sed extra iocum, Minerua illa diuinitus de cælo delapsa, quæ existimatur sapientia patris, prorsus non carui. Quæ me non modo in sua æde Sophia nuncupata semel periclitantem, sed særissime procul apud barbaras gentes abiectum, funditus perditum excitauit, erexit, recreauit.

[148]

*De Senatu et Nymphæo, statuis fori Constantini, de labaro et supparis, de Philadelphio Musæo<sup>370</sup>, de morte Arii, et de templis Telluris, Cereris, Persephonæ, Iunonis, Plutonis*

CAPVT IV

ANTIQVA *Descriptio* in eadem regione ponit *columnam purpuream [...], Senatum*, atque in quinta *nymphæum*, quam autem hæc ipsa propinqua inter se sita essent non explicat. Sed proxima inter se illa fuisse non aliunde cognoscere potui, quam ex incendio excitato regnante Leone Verinæ marito. Quo deflagrasse Zonaras et Cedrenus narrant *in fori Constantiniani parte ad boream uergente [...]* domum maximam [...] nuncupatam *Senatum*, aeneis statuis et lapidibus porphyreticis ornatam. *In qua fuit porta Dianæ Ephesiæ, Traiani donum [...] de manubiis Scytharum [...], continens [...] Gigantum pugnas, Iouis fulmina, Neptunum cum tridente, Apollinem cum [...] sagittis, in parte portæ infera Gigantes [...] in dracones impetum facientes, manibus glebas iactantes [...], oculis truculentis suspicientes.* In hanc domum *Senatus principesque ciues conuenientes consilia capiebant dabantque, atque eamdem rex ipse adibat, cum uestem consularem capiebat, opus præclarum et persplendidum.* Tum eodem incendio iidem illi testantur consumptam fuisse alteram domum sitam e regione [...] *Senatus, appellatam Nymphæum, ex eo quod in ea domo nuptias hi celebrarent, qui domos non haberent capaces multitudinis.* Iidem dicunt etiam *in huius fori parte occidentali statuam fuisse Mineruæ Lindiæ, quæ gerebat galeam habebatque Gorgonium monstrum et collum circumplicatum serpentibus, sic enim [149] Mineruæ simulacrum [...] antiqui consignant.* Fuisse etiam *in parte fori orientali Cedrenus tradit Amphitriten, unam ex Sirenibus, habentem forcipes cancri in capitibus temporibus.* Ignotus scriptor asserit in eadem parte fori *Sirenas [...]*

368 appellatur : appellatum leg. ?

369 sex : octo edd.

370 de labaro et supparis, de Philadelphio Musæo : Philadelphio, Musæo, de labaro et supparis edd.

fuisse, quas [...] quidam appellarent equos marinos [...], earum tres etiam sua ætate exstitisse ad [...] Diui Mamantis locum suburbanum.

*In fori Constantiniani parte uergente ad boream fuisse crucem illam pergrandem, a Constantino excitatam supra columnam excelsam, quam uiderat [...] in cælo, cum omnes testantur, tum Eusebius etsi nominatim non dicit in foro, tamen in media Vrbe regia eam illum excitasse testatur, Roma antiqua. Par est {ut} etiam in media Noua Roma eamdem constituisse, cum idem testetur in omnibus regiis ædibus atque aliis insignibus locis Constantinopoleos ipsam statuisse, qualem uiderat in cælo. In [...] cuius symbolum Sozomenus Salaminius scribit Constantimum transmutasse nuncupatum a Romanis labarum, insigne [...] bellicum [...] omnium honoratissimum, quod regem antecedere et a militibus adorandum esse lege sancitum erat. Quod Romani imperii signum nobilissimum Constantimum arbitror præcipue in Christi signum commutasse, ut consueto aspectu et cultu desuescerent a ritibus patriis subditi, de quo Prudentius :*

*Christus purpureum gemmanti textus in auro,  
signabat labarum, clipeorum insignia Christus  
scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.*

Quod Eusebius æqualis temporum Constantini testatur se suis oculis uidisse *in hanc formam confectum. Procera, inquit, hasta [...] cornu habebat transuersum in crucis formam facta, in cuius suprema parte [...] corona ex lapi-[150] dibus pretiosis auroque [...] adfibre facta erat, in qua salutaris nominis nota Christi nomen duabus primis literis designabat [...], quas coronæ circulus complectebatur. In quo medio r litera designabat figuram illam quæ chiasmos Graece appellatur. Ex cornu transuerso quod secabat hastam, uelum appensum erat. Ex qua quidem Eusebii descriptione, quid sit labarum, intellegere licet.*

Quid supparum, quod labari partem esse, quam Eusebius dicit uelum appensum ex cornu Crucis transuerso, ex Tertulliano colligere licet, qui longe ante Eusebium et Constantinum labarum expressit Crucis similitudinem gerere in hanc sententiam. *Qui Crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster<sup>371</sup>. Cum lignum aliquod propitiatur, uiderit habitus, dum<sup>372</sup> materiae qualitas eadem sit<sup>373</sup> ; uiderit forma, dum id<sup>374</sup> ipsum dei corpus sit. Et tamen quanto distinguitur a Crucis stipite Pallas Attica et Ceres Pharia<sup>375</sup>, quæ sine effigie rudi palo et informi ligno præstat<sup>376</sup> ? Pars Crucis est omne robur quod erecta statione defigitur. Nos, si forte, integrum et totum Deum<sup>377</sup> colimus [...]. Sed et Victorias adoratis in tropæis, cum cruces<sup>378</sup> intestina sint tropæorum. Religio Romanorum tota castrensis signa ueneratur [...],*

---

371 consecraneus erit noster : consacraneus noster erit *edd.*

372 dum : cum *edd* ; quando *leg.*

373 eadem sit : sit eadem *edd.*

374 id : *om. edd.*

375 Pharia : farrea *edd.*

376 præstat : prostant *edd.*

377 Deum : Deo *edd.*

378 in tropæis, cum cruces : cum in tropæis crucis *edd.*

*signa iurat, signa<sup>379</sup> omnibus deis præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes<sup>380</sup> monilia crucum sunt. Siphara illa uexillorum et [...] labarorum stolæ crucum sunt. Laudo diligentiam : noluistis nudas et incultas cruces consecrare ! Arnobius, siue Minucius Felix, eadem tradit. Cruces [...], inquit, nec colimus, nec optamus. Vos plane qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas ut deorum uestrorum partes forsitan adoratis. Nam et signa ipsa, et [...] labara, et uexilla castrorum, quid aliud [151] quam inauratae cruces sunt et ornatæ ? Tropæa uestra uictoria non tantum simplicis crucis faciem, uerum et adfixi hominis imitantur. Ex quibus patet suppura esse uela quæ appensa erant ex labaris, hoc est ex insignibus militaribus et tropæis. Quæ insculpta Romæ in fornicibus imperatorum etiam labara appellare possumus, et uexilla insculpta cum alibi, tum in cochlide Traiani, quadrata ut nauium uela, suppura appellare possumus. Denique omnia insignia Romanæ militiæ omniaque tropæa quæ sculpta Romæ uidetur crucis similitudinem gerunt. Seneca significat sipara, siue suppura, esse uelum insigne nauium Alexandrinarum, quibus solis [...] licebat siparum intendere, quod in alto non omnes habent naues. Lucanus sipara uelorum dixit, alias suparum siue syparum. Vestimentum puellarum est lineum, de quo Afranius :*

*Puella non sum, supparo si induta<sup>381</sup> sum ?*

Prætero quod ad hoc institutum non pertinet, Festum et Donatum scribentes siparium scænicum esse uelum quo mimi scænicique artifices utebantur ad scænam uelandam, quod populo obsistebat<sup>382</sup>, de quo intellexit satyricus poeta :

*Consumptis opibus uocem, Damasippe, locasti  
 sipario [...].*

Et hæc siparia pro aulæis ætas posterior usurpauit<sup>383</sup>. Apuleius ait, *aulæo subducto et complicitis sipariis scæna disponitur*. Seneca nuncupat *uerba* [...], et *cothurno* [...], et *sipario*<sup>384</sup> fortiora, quæ grandia sunt et supra sublimitatem tragicam extolluntur. Vnde nos etiam appellare possumus suppura crucum et uelorum ob eorum excelsam sublimitatem.

Iure quispiam me iam dicet egredi paulo longius extra institutum. Fateor, sed quid faciam, nisi paululum [152] respirem, coactus in tantas angustias ruinarum Nouæ Romæ ? Ex qua etiam cum floreret, ciues libere cælum suspicere non poterant ob illius angustias. Ego uero peregrinus quid uidere possum, ubi nemo indigena quidquam mihi monstrare potuit ? Itaque uel argumenti exilitate augenda, uel respirandi causa respondebo his, qui Crucem in cælo uisam a Constantino putant a monachis introductam. Nullum miraculum exstare mihi uidetur in monumentis literarum pluribus testimoniis probatum oculatis. Quod Eusebius illorum temporum æqualis tradit non modo uisum a Constantino, sed etiam a toto exercitu in ipsa die media, quod non modo Christiani homines illius ætatis, sed etiam dubii, quamuis Crucem detestarentur, professi sunt. Tanta fuit huius rei fama, ut Romani testentur, in arcu triumphali quem Constantino dedicarunt, INSTINCTV DIVINITATIS uicisse Maxentium, etsi modo Maxentiani et parum religioni Christianæ conciliati, adeo ut in arcu Constantini non immutarint in eam Crucis figuram, in quam immutauerat Constantinus, sed talia insculpenda

379 signa : *om. edd.*

380 insignes : in signis 1561.

381 supparo si induta : si suparo inducta 1561.

382 obsistebat : obsistebat, et hæc syparia pro auleis ætas posterior usurpauit *edd.*

383 et hæc siparia pro aulæis ætas posterior usurpauit *om. edd.*

384 sipario : *sipariis edd.*

curarint, qualia Traianus, Seuerus reliquique imperatores gestasse uidentur ex antiquis monumentis etiamnum Romæ exstantibus. Nazarium Christianum fuisse ex eius filia Euphemia uirgine Christiana suspicor magis quam ex *Panegyrico* perspicio, quem dixit Constantino, ubi ait *in ore [...] omnium Galliarum esse uisos qui se diuinitus missos præ se ferebant. Et quamuis cælestia sub oculos<sup>385</sup> hominum uenire non soleant, quod crassam et caligantem aciem simplex [...] et inconcreta substantia naturæ tenuis eludat, ibi tamen, inquit, auxiliatores tui aspici audirique<sup>386</sup> patientes, ubi [153] meritum tuum testificati sunt, mortalis uisu contagium refugerunt. Sed quænam illa fuisse dicitur species? qui uigor corporum<sup>387</sup> ? quæ amplitudo membrorum ? quæ alacritas uoluntatum ? Flagrabant uerendum nescio quid umbones<sup>388</sup> corusci, et cælestium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim uenerant ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes serebant<sup>389</sup> : « *Constantinum petimus, Constantino imus auxilio !* ». Habent profecto etiam<sup>390</sup> diuina iactantiam et cælestia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapsi, illi diuinitus missi gloriabantur quod tibi militabant. Omitto cetera pleraque.*

Quidam scribunt locum, in quo erexit hanc grandem crucem [...] supra columnam auratam, fuisse *in Philadelphio*, collegio eorum qui Musis studerent. Quod fuisse prope columnam purpuream ostendit epigramma in id inscriptum :

ἐν τῷ πορφυρῷ κίονι εἰς τὸ Φιλαδέλφιον.  
 εὗνους μὲν βασιλεῖ Μουσῆλιος, ἔργα βωθί  
 δημόσια· σθεναρὴν πράγματα πίστιν ἔχει.  
 Μουσεῖον Ῥώμῃ δ' ἔχαρισατο, καὶ βασιλῆος  
 εἰκόνα θεσπεσίην ἐντὸς ἔγραψε δόμων.  
 τιμὴν μουσοπόλοις πόλεως χάριν ἐλπίδα κυρῶν,  
 ὅπλα δὲ ταῖς ἀρεταῖς, χρήματα τοῖς ἀγαθοῖς.  
 ταῦτα λόγοις ἀνέθηκεν ἐκὼν Μουσῆλιος ἔργα,  
 πιστεύων καθαρῶς ως Θεός ἐστι Λόγος.

Iulianus præfектus Vrbis ante Musarum domum Anastasii statuam auream posuit nobilitatam uersibus geminis quibus, etsi ingeniosis et multis, tamen in qua parte Vrbis illa domus fuerit, non intellegitur.

Cum Manuela regi denuntiatum esset in fori Constantiniani parte [154] occidentali *supra fornicem [...] iam inde ab antiquis temporibus stare muliebres statuas [...] ex ære factas, unam [...] Romæam, alteram Vngaram [...]*, ac Romanam a sua base excedentem propendere, Vngaram stare rectam in sua sede, regem *ea denuntiatione* permotum misisse [...] fabros qui erigerent Romæam et demolirentur Vngaram, existimantem [...] statuarum mutatione Romæas [...] res mutari [...] extollique.

In eodem foro cum aliorum insignium uirorum statuæ erant, tum Longini Præfecti Vrbis, in quem Arabius Scholasticus inscripsit hos uersus :

Νεῖλος, Περσίς, Ἱβηρ, Σόλυμοι, Δύσις, Ἀρμενίς, Ἰνδοι,  
 καὶ Κόλχοι σκοπέλων ἐγγύθι Καυκασίων,

<sup>385</sup> oculos : oculis *edd.*

<sup>386</sup> audirique : uiderique *edd.*

<sup>387</sup> corporum : corporis *edd.*

<sup>388</sup> umbones : umbone *edd.*

<sup>389</sup> serebant : ferebant *edd.*

<sup>390</sup> etiam : et *edd.*

καὶ πεδία ζείοντα<sup>391</sup> πολυσπερέων Ἀγαρηνῶν  
 Λογγίνου ταχινῶν μάρτυρές εἰσι πόνων.  
 ὃς δὲ ταχὺς βασιλῆς διάκτορος ἦν ὁδεύων  
 καὶ ταχὺς εἰρήνην ὥπασε κευθομένην<sup>392</sup>.

Prærereo Themistium philosophum, quem Constantinopoli præfecerat Valentinianus et Valens, suis scriptis nobiliorem quam statua ulla Vrbisque præfectura.

Prope forum Constantini Socrates narrat Arium illum Arianæ sectæ principem periisse. Arius, inquit, cum esset Constantinum Magnum adlocutus, *ex aula regia egressus, stipatus Eusebii satellitibus per mediam Vrbem, circumspectatus [...] incedebat. Postquam [...] prope [...] forum Constantini uenisset, ubi purpurea columna exstat, metu [...] quodam conscientiæ animi sui sic perterrefactus est [...], ut ualde alui [...] deiectione commoueretur. Ac cum percontatus esset, ubinam prope secessus esset, didicissetque pone forum Constantini secessum, eo accessit. Animi defectio hominem urget, insimul cum [...] uehementi alui deiectione. [155] Intestinum excidit, et sanguinis copia sequitur, et simul cum sanguine tenuia intestina [...], et iecur, et lien, ibique subita morte periit.* Socrates adiungit *hunc secessum [...] sua ætate monstrari [...] pone forum Constantini et macelli in porticu.*

Iam uero eorum quæ traduntur fuisse in foro Constantini, excepta porphyretica columna, nihil exstat, ne forum quidem, nempe totum exædificatum, adeo ut columnæ porphyreticæ astructum sit xenodochium et prope ædes religionis Mametanæ ab Alibassa aëdificata. Cuius uestibulum bene amplum, marmoreum, sex columnis luculentis ornatum est, quattuor quidem marmoris albi, duabus uero Thebaici. Quarum imus scapus habet perimetrum septem pedum et quattuor digitorum. Quæ, etsi bene proceræ sunt, tamen habent binas bases, inferiorem marmoream, superiorem æream, ut habere solent pleræque Turcorum. Qui hoc didicerunt, ut pleraque a Græcis solitis columnas augere spiris æreis. Prope hanc aëdem, uia dumtaxat intermedia, schola est profitentium Mametanam theologiam, ubi est atrium quadratum, circumdatauim porticu sustentata duodeuiginti columnis partim uiridibus, partim albis.

Paulo infra Alibassæ aëdem est altera ædes religionis Turcicæ posita in supercilio uallis secundæ. Quæ uestibulum marmoreum habet sex columnis nitens, quarum duo sunt marmoris pyrrhopœcili, duæ albi, undis glaucis uariorum, duæ marmoris mixti obscure uirentis et maculis albis distincti.

Ex his quæ ante scripsi fuisse in secundo colle, explorata est pars regionis tertiae in qua Tribunal fori Constantini consistebat, et tota fere regio quinta et sexta. Præterea, in secundi collis partim cliuis, partim in planicie lito-[156] rali sub ipsum subiecta, Dionysius Byzantius ponit ædes Telluris, Cereris, Proserpinæ, Iunonis, Plutonis, *Telluris [...] quidem supra [...] sinum extra mœnia antiqui Byzantii templum [...] non tectum [...], designans antiquæ Telluris uim liberam, clausum [...] parietibus lapide expolito [...] constructis. Supra [...] Telluris templum ait fuisse Cereris et Proserpinæ templo paria, in eisque picturas [...] copiosas, prioris seculi insignes [...] reliquias, statuasque exactæ artis [...] non inferiores, summa arte elaboratas ; ad exitum siue abscessum maris fuisse duo templo Iunonis et Plutonis, eorumque nihil superfuisse sua ætate, nisi nomina [...], Iunonis quidem [...] Persas combussisse in expeditione Darii contra Scythes ulciscentes<sup>393</sup> ea quæ [...] Byzantini accusabantur in Regem moliti esse ; Philippum uero Macedonem, cum [...] Byzantium obsideret materiaque egeret, Plutonis templum euertisse, sed hominum memoriam [...] cognomina illorum retinuisse, hoc enim Plutonis Acram, illud Heræam Acram, id est Iunoniam, appellatam esse [...], ibique*

391 ζείοντα : ζώοντα 1561.

392 κευθομένην : κευθεμένην 1561.

393 ulciscentes : ulciscensis *edd.*

iuuenes *quotannis hostias mactasse anno desinente et incipiente.* Has acras fuisse in cliuis secundi collis potius quam in planicie litorali sub ipsum subiecta uerisimilius uidetur ei, qui uidit hanc maritimam planitiem, in qua nulla acra est. Itaque Dionysius<sup>394</sup> cum ait Plutonis et Iunonis Acras esse κατὰ ἀπόβασιν τῆς θαλάττης, has acras <uidetur> fuisse in parte collis adtingente mare, cum forte tum portus clausi et naualia manufacta in planicie maritima adtingerent collis radices, portusque cornua efficerent acras. Aut si aliter res habet, acræ interpretandæ sunt oræ maritimæ. Sed de his copiosius in tractatione *Bospori*.

[157]

*De septima regione, <de domo appellata Lampterum>*

CAPVT V

ANTEQVAM uenissem in rem præsentem, facile existimabam me percepturum situm septimæ regionis ex antiqua regionum *Descriptione*, quæ dicit eam *in comparatione superioris planiorem, quamuis et ipsam circa lateris sui extremitatem [...] abire in mare decliuorem*. Quis ex his eam agnosceret, cum aliæ regiones Vrbis abeant in mare decliuores circa sui lateris extremitatem ? Nam quod addit *hanc a parte dextra columnæ Constantini usque ad forum Theodosii continuis extensam porticibus et de latere aliis<sup>395</sup> quoque paratione porrectis usque ad mare, uelut seipsam inclinare, et ita deduci ; habere autem [...] ecclesias tres [...], Irenen, Anastasiam et Sancti Pauli, columnam Theodosii intrinsecus usque ad summitatem gradibus peruiam [...], partemque eiusdem fori*. Quod cum neque exstet, neque eius memoriam retineant nostræ ætatis homines in quo loco fuerit, neque ulla quæ tradantur fuisse in hac regione supersint, mihi primum uidebatur dubium, quæ pars columnæ esset dextra, a quo quidem dubio non me liberabat Titus Liuius scribens Romulum *regiones ab oriente ad occasum determinasse, dextras ad meridiem partes, laeuasque ad septentrionem*. Nam eo modo uergeret hæc regio ad meridiem, cum tamen postea sim demonstratus uergere ad septentrionem. Neque Geographi me expediebant, qui septentrionalem plagam respicientes ubi altitudinem poli quærunt, orientalem partem habent dextram. Varro astrologorum horizontem distinguentium rationem secutus non nihil lucis mihi adferebat, cum definit *partes cæli quat-[158] tuor [...], sinistram ab oriente, dextram ab occasu, anticam<sup>396</sup> ad meridiem, posticam ad septentrionem*. Hac Varronis diuisione iudicabam septimam regionem esse ad occasum columnæ, sed certus non eram an Romuli cœli diuisionem, an astrologorum sequeretur antiqua *Descriptio*. Itaque adhuc hæsitabam quoad tandem magna inquisitione deprehendi, ubi fuisse Theodosii columna et uestigia quædam templorum Anastasiæ et Irene. Ex quibus cognoui septimam regionem uergere a summo dorso Promunturii ad sinum clariusque antiquam *Descriptionem* potuisse loqui, si ita descriptsisset, ab oriente ad occasum pergenti a parte dextra, septimam regionem a *columna Constantini usque ad forum Theodosii continuis extensam esse porticibus*.

Hæc regio continebat loca ubi hodie maximum totius Vrbis forum, quod Turci Bezesten appellant, ubi omnia pretiosa a mercatoribus uendi solita adseruantur, ut temporibus regum Christianorum in domo Lampterum. Hanc alibi, quam ubi hodie est forum Turcorum, coniicio ex incendio incitato ex milliario Aureo sub rege Iustiniano, quo Cedrenus tradit conflagrasse *magnam partem Vrbis, et Magnam Sacram Ædem eiusque [...] chartophylacium, et duas porticus usque ad forum [...] Constantini, atque Octogonon et Seueri balneum appellatum Zeuxippum [...], simulque insignem domum appellatam Lampterum a luminibus uespertino*

394 Dionysius : Dionysium 1561.

395 aliis : alio *edd.*

396 anticam : antiquam 1561.

*tempore [...] lucere solitis, tectum [...] ligneum habentem, in qua mercatorum facultates adserabantur, ut serica et [...] auro contexta aliaque pretiosa. Denique omnia pulchra Vrbis ornamenta eo incendio exarserunt, quæ reliqua superfuerant ex [159] priore illo magno incendio. Potuissem reddere Lampteras, Latine Lucernas, nisi nomina propria traduci non debere existimarem, nisi Titus Liuius Lamptera usurpasset. In sinu, inquit, maris intimo posita [...] urbs Phocæa est, oblonga forma. Duum milium et quingentorum passuum spatium murus amplectitur, coit deinde<sup>397</sup> ex utraque parte in arctiore uelut cuneum. Lamptera ipsi appellant. Mille et ducentos passus ibi latitudo patet. Inde lingua in altum<sup>398</sup> mille passuum excurrens medium fere sinum uelut nota distinguit. Vbi<sup>399</sup> cohaeret faucibus angustis, duos in utramque regionem uersos portus tutissimos habet. Qui in meridiem uergit Naustathmon ab re appellant<sup>400</sup>, quia ingentem uim nauium capit. Alter prope ipsum Lamptera est. Vnde uero mihi proximum uidetur Massilienses Phocensium colonos appellasse Lamptera stagnum in ora prouinciae Narbonensis situm, quod Laternam uocat Plinianus codex in lucem editus.*

*De Tauro et foro Theodosii, et columna cochlide Theodosii, et de Tetrapylo, et Pyramide uentorum, de statuis Arcadii et Honorii, de templis Irenæ et Anastasiæ, et de Scironiis petris*

CAPVT VI

CVM existimarem me non plane adsequi posse septimam regionem neque Taurum, qui ut cognosci non potest nisi cognita Theodosii cochlide columna, ita sine Tauro non cognoscitur octaua regio, magno studio inuestigauit illorum uestigia, cumque diu ubi *columna* fuissest *Theodosii intrinsecus* [160] usque ad summitatem [...] *peruia* inuestigasse, tandem a paucis accepi, iisque senibus, sitam fuisse in supercilio dorsi continentis planitiem iugalem tertii collis, uergente ad occasum hibernum prope Balneum Nouum, quod ædificauit Paiazitus Rex. Qui eam columnam, ut commodius balneum construeret, ante quadraginta annos quam ego Byzantium uenissem, euerterat. Supra id balneum uersus boream est uia lata habens tabernas librarias et cisternam antiquam, a borea autem claustrum Regiarum gynæconitidum. Quæ quidem uia lata dilatatur in aream magnam uersus orientem, in qua extrema orientali est sepulcrum Regis Paiaziti cum templo et xenodochio. Hanc Theodosii columnam Cedrenus inquit, ex omnibus partibus fuisse similem illi quam Arcadius erexit. In hunc diem in Xerolopho colle exstantem, eam nos suo loco describemus. Zonaras ait *columnam Tauri a Magno Theodosio excitatam, tropæa et pugnas Theodosii habentem bene pugnatas contra Scythas et barbaros [...], tum uiam intus sursum ferentem, tum Theodosii [...] statuam* in summo fastigio statutam, quæ cecidit terræ motu, eo anno quo Roma antiqua capta est. Anastasius rex multa opera ex ære facta, inter quæ erat Magni Constantini statua, fudit effecitque sui nominis ac tituli *statuam aeneam [...]*, equestrem, inauratam, eamque supra *columnam Tauri*, in qua prius [...] fuerat Theodosii Magni statua, collocauit.

Ex his cognoscimus Taurum fuisse, ubi columna Theodosii fuit. Quibus cognitis cognoscimus in tertii collis dorso et cliuis eiusdem septimam regionem fuisse, habentem porticus continuas a columna Constantini ad forum Theo-[161] dosii. Quod etsi septima regio continet, etsi non addit quam prope columnam Theodosii fuerit, tamen proxime fuisse colligere licet. Non modo ex æmulatione {fori} Traiani Hispani, qui Romæ in medio foro sui

397 coit deinde : totidem *edd.*

398 lingua in altum : in altum lingua *edd.*

399 ubi : urbs *edd.*

400 Naustathmon ab re appellant : Naustathmos ab re appellatus *edd.*

nominis habuit similem columnam ei quam Theodosius Hispanus in Noua Roma postea erexit, sed etiam ex Euagrio adsequimur, tradente incendium sub Leone ædifica combussisse *a foro [...] Constantini usque ad forum [...] Tauri.* Constantinopolitanus senex mihi narrabat etiam sua ætate forum Tauri exstisset, ubi columnam Theodosii dixi, non minus Hippodromo plenum innatis arboribus et, quoniam ibi latrocinia fierent, Memetem Regem, qui Vrbem cepit, exædificandum dedisse uolentibus ædificare. Iam uero partem fori Theodosii occupasse forum Pistorium, aut uicinum illi fuisse coniicio, ex Zonara tradente Nicephorum Phocam regem ex palatio *ad Fontem [...] Aureum* et prope portam Auream sito redeuntem *a populo [...] conuiciis exceptum fuisse apud forum τῶν [...] ἀρτοπωλίων usque ad [...] columnam Constantini.*

Ignotus scriptor tradit taurum fuisse *in columna prope forum ἀρτοπωλίων, in aula lapidibus strata [...]*, atque *illic etiam fuisse portas [...] quattuor in structura quadrilatera et quattuor porticus in circuitu,* quod appellat *tetrapylum*, idque dicit prius *Quadriuelum*<sup>401</sup> *nominatum.* Georgius Cedrenus ponit Tetrapylum non procul a Tauri foro, cum inquit incendium regnante Leone exussisse in Tauro *duas sacras ædes maximas omni genere lapidum ornatas, unam quidem non longe a Tetrapylo [...], alteram incumbentem foro Tauri.* Idem, loquens de incendio altero incitato {sub Leone}, id dicit *obuia quæque consum-[162] psisse ab Aereo Tetrapylo usque ad templum*, quod non nominat. Antiqua regionum *Descriptio* Vrbis tradit Constantinopolim habuisse unum *tetrapylum aureum*, sed non scribit in qua regione fuerit. Nescio an Vrbs duo tetrapyla habuerit, unum aureum, alterum æreum, an dumtaxat unum, quod fuerit primo aureum, deinde auro sublato æreum remanserit. *Ioannes rhetor*, sicut citatur ab Euagrio, *narrat temporibus Zenonis regis Mamianum [...] insignem [...] senatorem Constantinopoli fecisse regias porticus structura [...] decoras [...] illustrique splendore ornatas, atque inter duas [...] porticus tamquam quoddam confinium excitasse tetrapylum, columnisque et ærea materia [...] ornasse [...] ; ac sua quidem ætate porticus regium nomen obtinuisse, prioris ornamenti reliquias marmororum Proconnesiorum humi stratorum gestantes, sed structuram [...] insignem non retinentes ; at tetrapyli [...] ne tenue quidem uestigium remansisse.* Ignotus auctor dicit in tetrapylō fuisse *cubiculum supra columnas, ubi defuncti regis consanguinei et regina exodion exciperent et flerent mortuum intro, abditi uelis [...], usque ad sextam diei horam, tum defunctum prætereuntem exciperent et comitarentur usque ad templum Apostolorum*, ubi mos erat sepelire reges. Tetrapylum mihi uidetur fuisse templum olim quadrifrontis Iani non longe a Capitolio Constantinopolitano, ut olim fuit Romæ quattuor portis ornatum, quattuor anni tempora designans. Ianus enim appellatur *ab eundo [...], ideoque transitiones peruiae [...] Ianu sacræ et fores [...] ædium ianuæ nominantur.*

Quidam scribunt in foro Pistorio fuisse Tetrascèles pyramidatum. Georgius Cedrenus ait *Tetrasceles [163] esse machinam quadricrurem, quam dicit uentorum δῆριν, hoc est pugnam, appellatam ; Magnum Theodosium excitasse pyramidis figuram gerentem, animalibus sculptis ornatam, et plantis, et fructibus, et corymbis aureis punicorum malorum similitudinem gerentibus, et nudis cupidinibus [...]. Quorum alii inter se adridebant [...] et superiores inferioribus [...] illudebant, alii [...] saltabant. Iuuenes tubis aeneis uentos inspirabant. In summa pyramide simulacrum æreum uolucre situm flatus [...] uentorum indicabat.*

Statuæ Arcadii et Honorii erant prope columnam Theodosii patris, *Arcadii quidem in fornice [...] orientali, Honorii uero in [...] fornice occidentali.*

Socrates, populi Christiani *Historiæ contionalis* scriptor, tradit ex aquæductu, quem Valens in Vrbem induxerat et construxerat ex ruinis Chalcedonis, *Clearchum Vrbi præfectum ὑδρεῖον maximum construxisse in foro [...] sua ætate appellato Theodosii [...], quod uulgari sermone*

---

401 Quadriuelum : Quatriuum 1561.

dictum est *aqua liberalis et abundans, propter quam populus hilarem festum egit.* Quod Socrates appellat ὑδρεῖον, hoc est cisternam siue lacum, Zonaras et Cedrenus appellant *nymphæum*, quod similiter dicunt *praefectum Vrbis [...] ex aqueductu Valentis construxisse in Tauro [...], festumque maximum celebrasse omnemque populum conuiuio excipisse.* Ex quibus adsequimur quod Socrates forum Theodosii appellat, Zonaras et Cedrenus appellant Taurum, idemque esse forum Tauri et forum Theodosii ; Nymphæumque Tauri aliud esse, et diuersum a *Nymphæo [...] quod, prope forum Constantini situm e regione [...] Senatus, ante uidimus domum magnam fuisse, ex eo sic appellatam quod in ea nuptias hi celebrarent, [164] qui domos non haberent capaces multitudinis* ; at illud Tauri nymphæum fuisse siue lacum, siue piscinam, siue cisternam. Quam fuisse intra claustrum gynæconitidum Regiarum occupans partem fori Theodosii uerisimile est, in quas penetrat aqueductus Valentis, ex quo multa castella aquæ sita, cum in lateribus tertii collis, tum maxima in claustro mulierum Regiarum.

Thermas Carosianas, a Carosa filia Valentis regis nominatas, fuisse in tertio colle liquet ex antiqua regionum Vrbis *Descriptione*, sed in qua parte non explicatur. Neque ipse definire possum an funditus perierint, an in earum fundamentis sint ædificatae thermæ, quas maximas a Turcis ædificatas uidemus partim in dorso tertii collis, partim in lateribus.

Antiqua *Descriptio* regionum ponit in hac septima regione ædes Irenæ et Anastasiæ, sed in qua parte fuerint, non declarat, neque nunc ex uestigiis cognosci potest. Sed ex *Historia deprehendi* potest ædes Irenæ, in qua parte collis tertii fuerit. Quæ tradit cum Vrbs caperetur a Francis et Venetis incendium exortum fuisse a *synagogio Saracenorum [...] in parte [...] inclinata ad mare et uergente ad boream, proxima templo [...] Diuæ Irenæ.* Id fuisse intra sæptum Regiarum mulierum primo intellexi a senibus nescio quibus. Deinde aduerti turrim excelsam extra claustrum mulierum, sitam in latere tertii collis uergente ad ortum æstuum, quadratam, Irenen etiamnum uulgo appellatam, nescio an ab æde Diuæ Irenæ, an a regina Irene. Tria Irenæ templa Constantinopoli fuisse reperio ex literarum monumentis. Primum antiquæ Irenæ nuncupatum, quod Socrates tradit Magnum Constantinum ædificasse, id [165] prope Sophiam fuisse ante demontrauimus. Secundum quod iam dico positum in tertio colle, quod antiqua Vrbis *Descriptio* tradit fuisse in septima regione. Tertium ponit Procopius tradens Iustinianum ædificasse ad *ostium sinus Cornu nuncupati templum Irenæ martyris.*

Iam uero templum Anastasiæ dicunt alii fuisse eo loco ubi est Bezestannum nouum, hoc est Basilica noua, alii ubi uisitum hodie cisterna multis columnis marmoreis sustentata, sita inter fori basilicas et sepulcrum et xenodochium Paiaziti Regis. Sozomenus ait *Gregorium, cum ex Nazianzo [...] migrasset Constantinopolim, contiones habuisse in ædicula [...] a studiosis suarum contionum [...] structa.* Quam postea reges *perillustrem [...] structura et amplitudine [...] maximam effecerunt, Anastasiamque [...] nominarunt, siue ex eo quod [...] illa ipsa quæ in concilio Nicæno [...] constituta fuissent et iam dudum Constantinopoli intermortua [...] iacerent, in hac æde iterum emerserint et reuixerint Gregorii Nazianzeni contionibus [...] ; siue, inquit, cum esset in hanc ædem multitudo populi congregata, mulierque grauida ex superiori porticu cecidisset [...] eoque casu interiisset, communi facta omnium prece [...] reuixit, ex eoque ædes appellata est Anastasia. Ex his Sozomeni uerbis patet errare recentes hanc ædem Diuæ Anastasiæ Romanæ attribuentes. *Descriptio* regionum Vrbis dumtaxat appellat ecclesiam Anastasiam, quam ego arbitror esse unam fuisse ex his duabus, quas *maximas et ornatas omni genere lapidum* Cedrenus scribit incendio excitato regnante Leone conflagrasse, *unam non procul a Tetrapyro [...] alteram incumbentem foro Tauri.**

Cum de Bosporo [166] Thracio scripsi, demontraui ut in cliuis infimis tertii collis uergentibus ad septentrionem sitæ essent petræ [...] Scironides [...], a Megarensibus et Corinthiis [...] deductoribus coloniæ Byzantinæ ita nominatæ ob similitudinem difficilis loci, quam habent cum petris Scironis sitis inter isthmum Corinthiacum et Megaram. Iam uero quid tertius collis præcipuum contineat, dicam. Est in eius dorso sepulcrum Paiaziti Regis

cum xenodochio et ampla æde Mametana ab eo excitata ad similitudinem Sophiæ ædificata. Quæ concamerata opere lateritio et tecta plumbo uestibulum habet amplum, stratum marmore albo, circumdatum quattuor porticibus quas sustinent insigne columnæ exquisitissimi marmoris. In quo medio exilit aqua in sublime, deinde decidit in magnum craterem emittentem aquam salientem multis siphunculis. Ædes cum uestibulo circumdata ex tribus partibus magna area clausa partim muris, partim xenodochio, ex quarta parte contiguo horto in quo medio est sepulcrum Paiazati Regis, ædicula cylindri medii similitudinem gerenti circumdatum. Præterea in tertii collis dorso sunt palatia gynæconitidum Regiarum clausa excelso muro qui, cum uenisse Byzantium, ambibat plusquam duo milliaria. Nuper Soltanus Soleimanus occupauit medium partem ingentibus subtractionibus sui futuri sepulcri et xenodochii. Quæ nunc excitantur luculentis marmoribus conquisitis ex multis regionibus imperii Turcici, ut uideas humi iacentia infinita genera marmororum, non quidem nuper excisa ex lapidicina, sed infinitis ante seculis uagantia per diuersa regnantium ædificia non modo Byzantii, sed totius Græ-[167] ciæ, atque adeo Ægypti. In regione septima, tres uidi cisternas antiquas, quarum non meminit antiqua Vrbis *Descriptio*, unam in foro Tauri, alteram inter Regis Paiaziti sepulcrum et forum Bezestannum, utrasque columnis marmoreis sustentatas, tertiam in tertii collis cliuo uergente ad septentrionem, ad quam adhuc exstant sex columnæ Corinthiæ marmoris Arabici adfabre factæ, bene proceræ et crassæ. Sub columnarum stylobatis est tubus aquæ testaceus ex quo aqua defluebat in cisternam lateritiam, cuius concamerationem similiter lateritiam sustinent uiginti pilæ lateritiæ. Supra cisternam olim erat area ædis religionis Christianæ, quam Reges Turcorum demoliti sunt eiusque rediuius lapidibus ædificia sua adornarunt. In latere eiusdem collis pertinente ad occasum templum Mametanum exstat, quod habet uestibulum sustentatum duodecim columnis, quarum quattuor Arabici marmoris. Paulo supra hoc templum est aliud templum olim dicatum Diuo Theodoro, ornatum columnis. Id non illud quidem est, quod Procopius tradit Iustinianum ædificasse *ante mœnia Vrbis [...] in loco nuncupato Rhesio*. Alia ædes olim Christiana, nunc Mametana, exstat inter sæptum mulierum et sepulcrum quod excitauit Rex Soleimanus filio suo Mametho, uestita crustis uarii marmoris.

*De octaua regione et de postera parte tertii collis*

CAPVT VII

OCTAVAM regionem fuisse a tergo tertii collis uergente ad meridiem, non adsequor ex antiqua regionum Vrbis *Descriptione*, quæ tradit [168] *octauam regionem ex parte Tauri, nulla maris uicinitate conterminam, angustiorem [...] quam latam, spatia sua in longitudinem<sup>402</sup> [...] compensare*. Ex hac enim descriptione nescio uergat ne ad meridiem, an ad septentrionem, sed ex eo octauam regionem agnosco, quod tradit eam continuuisse *partem fori Constantini et porticum sinistram Taurum usque*, iam edoctus septimam regionem continuuisse porticum dextram a columna purpurea ad forum Theodosii. Ex quibus intellego partem Promunturii a mari pertinentem ad mare, sitam inter columnam porphyreticam et Taurum, in dorso diuidi in septentrionale latus et meridionale ; porticibus dextris et sinistris perpetuis, a columna purpurea ad Taurum usque porrectis, diuidentibus septimam regionem ab octaua, illam continere porticus dextras, hanc sinistras. Harum porticuum nulla hodie uestigia exstant, sed dumtaxat uia lata quæ per medium Promunturii dorsum a Sophia ad muros terrestres discurrit. Hæc regio continebat etiam Capitolium et Basilicam Theodosianam, quæ ambo uerisimile est fuisse prope Theodosii forum eiusque columnam. Atque etiam ex Zonara et Georgio Cedreno colligere possumus, tradentibus incendium illud imperante Leone

---

402 longitudinem : latitudinem *edd.*

excitatum consumpsisse *in Tauro domum [...] maximam et maxime illustrem, accomodataam consiliariis et regi, illis quidem ad simul conueniendum et consultandum de rebus agendis, huic uero cum esset consul ad præsidendum consilio.* Quam iidem addunt habuisse *duodecim columnas uarias ex marmore Troico factas, altas uiginti quinque pedes [...], cuius tectum sustineretur quattuor arcubus, huiusque domus longitu-[169] dinem adiungunt fuisse plus minus ducentorum et quadraginta, latitudinem uero octoginta quattuor<sup>403</sup> pedum, hanc domum fuisse Basilicam Theodosianam aut Capitolium.*

Ex his quæ iam ante dixi, existimare licet quæ quidem ipsa post incendium quoquo modo fuerint refecta nomen amisisse. Colligo ex recentioribus scriptoribus, tradentibus *in Tauro [...] fuisse palatium et xenodochium*, a quibus non dissentiant quidam senes Constantinopolitani, qui testantur etiam sua memoria circa domum, ubi hodie cuditur moneta, uicinam foro Theodosii fuisse palatium magnum. Quod aliqui dicunt Mamethem Regem, qui cepit Constantinopolim, prius incoluisse, quam construxisset ingens illud claustrum palatii siti in primo colle, ex illiusque ruinis Reges Turcorum sua ædificia ornassee. Xenodochium, seu potius templum quod erat ad occasum æstuum Tauri uidi dirui ipsiusque columnas transferri in ædificationem xenodochii, quod Rex Soleimanus in monumentum cari filii contruxit. Videant sacerdotes Græci, an hoc templum fuerit Diui Pauli, quod septima regio continebat. Ipse numquam eorum quemquam inuenire potui, a quo id intellegere potuerim.

*De nona regione, et de templo Concordiæ, et de horreis Alexandriæ et Theodosii, de domo Crateri et Modio, et de templo Solis et Lunæ, de thermis Anastasianis<sup>404</sup>*

CAPVT VIII

REGIONEM nonam fuisse a tergo tertii collis, partim in cliuis subiectis sub dorsum, in quo Taurum dixi, partim subditis iugo, in quo ui-[170] demus partem aquæductus orientalem et templum, quod filio dedicasse Regem Soleimanum ante dixi, partim in planicie litoris Propontici extensi usque ad Blanchæ hortos, ubi olim portus Theodosiacus. Cum ex aliis scriptoribus colligo, tum maxime non modo ex antiqua *Descriptione* quæ tradit *regionem nonam pronam omnem et in notum deflexam extensi maris litoribus terminari*, sed etiam ex octaua regione. Quæ cum *ex parte Tauri nulla maris uicinitate terminetur*, adsequor octauam regionem occupasse planitiem dorsi, in qua dixi Taurum fuisse, non autem sub hanc planitiem subiectos cliuos, nonamque regionem sub octaua partim subiectam fuisse ex ea parte, quæ tendit a Tauro ad notum et litus Proponticum, partim positam fuisse in cliuis dupli inclinacione deuexit, una a Tauro ad occasum hibernum, altera ab ædibus genisarorum ad meridiem.

Tum etiam ex æde Concordiæ percipitur, ubi nona regio fuerit. Sed in qua parte huius regionis templum Concordiæ horreaque Alexandrina et Theodosiana fuerint, nona regio, quæ illa continet, non declarat, sed uel ratione, uel aliorum scriptorum testimonio consequi possumus. Euagrius ubi templum Concordiæ fuerit (quam regionum *Descriptio* Ομόνοιαν uocat) designat, describens incendium imperante Leone excitatum, *in parte Vrbis ad boream uergenti [...] saeuisse a [...] Bosporio portu usque ad Apollinis templum antiquum, in parte uero Vrbis meridiana a portu Iuliani usque ad domos non longe sitas ab æde [...] Concordiæ, in media autem Vrbe a foro [...] Constantini usque ad [...] Taurum*, idque incendium per longitudinem Vrbis extensem fuisse in quinque [...] stadia. Ex [171] quibus percipiems id

403 octoginta quattuor : centum quadraginta *edd.*

404 de domo Crateri et Modio, et de templo Solis et Lunæ, de thermis Anastasianis : et thermis Anastasianis, et de domo Crateri, et Modio, et de templo Solis et Lunæ *edd.*

fuisse in ea parte regionis nonæ supposita lineæ porrectæ a foro Tauri ad litus Proponticum, id quod clarius liqueret, si quis a foro Constantini ad forum Tauri quinque stadia ambularet ibique signum figeret, deinde ex portu Iuliani per maritimam planitiem quinque stadia uersus occidentem pergeret ibique alterum signum poneret et cum altero ad Taurum fixo conferret. Non longe aberraret a uestigiis ædis Concordiæ, quæ hodie non exstat, neque templum Thomæ Apostoli, quod fuisse prope ædem Concordiæ noscitur ex iis quæ antea scripsi de portu Iuliani.

Horreum Theodosianum non longe a portu Theodosiaco, posito olim in hortis qui nunc Blanchæ appellantur, uerisimile uidetur non modo ratione architectonica quæ præcipit horrea esse facienda iuxta portus, qui nulli sunt neque in octaua, neque *<in>* nona regionibus, sed in duodecima regione uicina nonæ regioni ex ea parte ubi fuit portus Theodosiacus. Sed etiam uero proximum appetat Theodosium adornasse portum Theodosiacum horreo et foro a suo nomine appellatis. Sed de portu Theodosiaco plenius loquemur infra.

Supra hortorum Blanchæ nuncupatorum, olim portum Theodosiacum continentium, extremam partem ad ortum solis pertinentem, clius a septentrione eminet. In quo est templum uulgo nominatum Myrelæon<sup>405</sup>, habens intra se cisternam cuius camera lateritia sustinetur columnis marmoreis circiter sexaginta. Vbi horreum olim fuit, quod depravate Suidas appellat Horeum. *Statua*, inquit, Manaïm<sup>406</sup>, qui duxit exercitum contra Scythas, *stabat in nuncupato Horeio [...], ante domum Crateri [...]*, quæ nunc [...] est Myrelæon<sup>407</sup> [...], et prope [172] *Manus æreas Modius æreus*<sup>408</sup>. *Modium autem fuisse iustum mensuram [...]*, quo pleno frumentum emeretur et uenderetur ; *Valentinianum regem lege sanxisse, ut numismate duodecim modii [...]* uenderentur, nemine contradicente [...] ; *quemdam nautam hoc non facientem dextra manu multatum fuisse* ; *hinc [...] Manus æreas ibi statutas esse. Modium [...] æreum positum fuisse in fornice Amastriani inter duas Manus [...]* æreas a Valentiniano [...], alii tradunt ; ex eo quod Valentinianus sanxisset ut modius non ad regulam, sed *ad cumulum uenderetur [...]*, cuidam contrafaciens *manus præcisæ fuisse*. Georgius Cedrenus *loca Amastriani fuisse*, inquit, *appellata [...] a quodam uili homine, cuius patria esset Amastris, ob paupertatem Constantinopolim profecto [...]* ; *siue ab [...] infamia, quod omnes malefici et homicidae ibi persoluerent pœnas, nomen turpissimum adeptum fuisse exsecrandorum causa Paphlagonum*. Idemque scribit *ibidem templum fuisse [...] maximum Solis et Lunæ [...], Solis quidem in curru albo, Lunæ uero ut sponsæ ductæ [...] in quadriga, mariti Phidaliæ opus* ; *infra autem iuxta fundamenta [...] sedisse in throno sceptrigerum populi præcipientem regnantibus obediendum esse, ibidemque iuxta solum fuisse Iouis statuam ex marmore albo, similis [...] iacenti in lecto, opus Phidiæ*. Quod si Crateri ante nominata domus fuit Crateri sophistæ, in ea fuit eius suggestus uersibus Iuliani Ægyptii celebratus.

Præterea *nona regio [...]* continebat *thermas Anastasianas*, quas Marcellinus ait appellatas *ab Anastasia sorore Constantini*. Sozomenus narrat *Marcianum [...] grammaticam docuisse filias regis Valentis, Anastasiam et Carosam, ab earumque [...] nomini-[173] bus appellata balnea [...]*, usque ad suam ætatem *Constantinopoli fuisse*.

405 Myrelæon : Myreleos *edd.*

406 Manaïm : Maimi *edd.*

407 Myrelæon : Myrelei *edd.*

408 Modius æreus : prope Modium æreum *edd.*

*De tertia ualle et decima regione, de thermis Constantianis et aquæductu Valentiniano, et de nymphæo, de domo Placidiæ et regia Placidiana<sup>409</sup>*

CAPVT IX

DECIMAM regionem uergere ad septentrionem, et sitam fuisse in ualle tertia eiusque latere orientali, et in Promunturii supra tertiam uallem eminenti dorso, per quod ab occidente ad ortum aquæductus tam fornicati supra terram quam concamerati subterranei feruntur, ex regionum Vrbis *Descriptione* liquet, tradente nonam regionem *pronam omnem et in notum deflexam extensi maris litoribus terminari, decimamque in aliud ciuitatis latus [...] a nona regione platea magna uelut fluuiio interueniente diuidi, esseque [...] tractu planiorem nec usquam præter maritima loca inæqualem, longitudini eius latitudine non cedente, contineri [...] templum<sup>410</sup> Sancti Acacii, thermas Constantianas, domum Augustæ Placidiæ, [...] Nymphæum Maius aliaque plura, quorum nulla nunc exstant. Neque quantumlibet diu et diligenter uestigarim, a nemine uiuentium intellegere potui, in qua parte regionis decimæ fuerint.*

Dumtaxat nonnulla excerpti ex mortuorum scriptis, ex quibus deprehendi erratum esse in libello antiquæ *Descriptionis* regionum tradente decimam continere thermas Constantianas, quas nullas fuisse Constantinopoli inuenio, sed dumtaxat Constantianas. Quarum meminit Sozomenus Salaminius loquens de his [174] qui, quod Ioanni Chrysostomo fauissent, ex Constantinopoli effugiebant. *Sentientes [...], inquit, populi impetum, postridie Templum Magnum reliquerunt et Pascha celebrarunt in publico balneo multæ multitudinis ualde capaci, nominato a Constantii regis nomine.* Suidas dicit *Helladium Alexandrinum [...] tempore Theodosii [...] Parui [...] scripsisse Ecphrasin thermarum Constantianarum.* Socrates tradit Valentem regem muros Chalcedonis [...] iussisse euerti [...] et lapides ad Constantinopolis publicum balneum ædificandum transportari, cui nomen esset Constantianæ [...]. Additque in uno lapide ex his, qui transportati essent, incisum fuisse oraculum, quod iam inde ab antiquis temporibus in occulto fuerat, tunc manifestum factum esse, significans, cum in Vrbe foret abundans aqua, tunc quidem murum balneo fore usui, sed [...] infinitas gentes barbarorum in terram Romæorum excurras, multa mala patraturas, tandemque et ipsas perituras esse. Socrates addit oraculum quale fuerit :

'Αλλ' ὅτε δὴ νύμφαι δροσερήν κατὰ ὄστυ χορείην  
τερπόμεναι στήσονται ἐϋστεφέας κατ' ἀγυιᾶς  
καὶ τεῖχος λουτροῦ πολύστονον ἔσσεται ἄλκαρ.  
δὴ τότε μύρια φῦλα πολυσπερέων ἀνθρώπων  
ἄγρια, μαρμαίροντα, κακὴν ἐπιείμενα ἀλκηὴν,  
Ἴστρου καλλιρόοιο πόρον διαβάντα σὺν αἰχμῇ,  
[...]  
Θρηϊκίης δ' ἐπιβάντα σὺν ελπίσι μαινομένησιν,  
αὐτοῦ κεν βιότοιο τέλος καὶ πότμον ἐπίσποι.

Zonaras et Cedrenus similiter hoc uaticinium, sed eo loco, quo Socrates dicit δροσερήν, scribunt ἰερήν, aliasque uoces ponunt differentes, nempe pro λουτροῖ, λουτροῖσι, pro ἄγρια μαρμαίροντα, ἄγρα μαργαίνοντα, pro καλλιρόοιο, [175] Κιμμερίοιο.

Socrates sic interpretatur oraculi uersus. *Hoc [...] uaticinium, inquit, contigit postea. Cum Valens aquæductum construxisset aquamque [...] copiosam præbuisset, tum barbaræ gentes inuaserunt [...] agros Romæorum. Hoc uaticinium [...] alio modo [...] potest interpretari.*

<sup>409</sup> thermis Constantianis et aquæductu Valentiniano, et de nymphæo, de domo Placidiæ et regia Placidiana : domo Placidiæ, et regia Placidiana, de aquæductu Valentiniano, et thermis Constantianis, et de nymphæo : *edd.*

<sup>410</sup> templum : *templa edd.*

*Postea enim quam Valens aquæductum in Vrbem induxisset, Clearchus Vrbis præfectus ex aquæductu deriuatum maximum ὑδρεῖον construxit in foro nunc nuncupato Theodosii [...], quod uoce populari decantatum est aqua abundans, in quo festum hilarem Vrbs egit, hocque esse prædictum a uaticinio : τὸ χορείην τερπόμεναι στήσονται ἐϋστεφέας κατ' ἀγνιάς. At quædam secundum uaticinium paulo post facta sunt. Cum murus Chalcedonis euerteretur, Byzantii et Nicomedenses et Nicensest et Bithynenses obsecrabant Valentem regem, ut desisteret euertere muros [...]. Rex iratus uix suscepit eorum [...] preces. Itaque, ut se a iuramento exsolueret quo se obstrinxerat demolitum, muros Chalcedonis simul demoliri iubebat et simul implere demolita alteris lapidibus [...] longis. Et nunc licet uidere in quibusdam muri partibus, ut maximis et admirabilibus saxis [...] structura uilis superædificata fuerit a Valente. Similiter Zonaras et Cedrenus dicunt Valentem multantem Chalcedonios, quod tutati fuissent Procopium suum hostem, ex ruinis murorum Chalcedoniæ [...] saxa traduxisse ad structuram aquæductus [...], quem [...] Zonaras appellat Valentem, Cedrenus modo Valentem, modo Valentinianum. Quo copiosam aquam in Vrbem induxit [...], tum ad usum alium, tum ad balnea. Ex quo Vrbis præfectus effecit in Tauro nymphæum Vrbis magnitudine dignum, solennique festo [...] indicto, omnem [176] populum conuiuio excepti. Ac non multo post (ut [...] prædictum fuerat) barbaræ [...] gentes in Thraciam incursarunt, quæ postea deletæ sunt. Aquæductus Valentinianus adhuc exstat excelsis fornicibus, a cliuis quarti collis ad cliuos tertii collis, pergens per decimam regionem. Cuius non meminisse antiquam Vrbis regionum Descriptionem mirarer, cum meminerit horreorum Valentiacorum, nisi etiam permultorum sua ætate extantium monumentorum non meminisse scirem. Regnante Constantino Leonis filio Iconomacho, anno a Christi humano natali die septingentesimo sexagesimo sexto<sup>411</sup>, tanta fuit siccitas, ut ne ros quidem de cælo caderet [...], exaruerintque Constantinopoli cisternæ et balnea [...] et fontes qui prius iuges fluebant. Quod intuens, Constantinus imperator aggressus est renouare aquæductum Valentinianum. Quem, cum usque ad Heraclium [...] incolumis permansisset, ab Auaribus dirutum, restituit accersitis fabris ex diuersis locis [...], ab Asia quidem et Ponto mille aedificatores et ducentos albatores, a Græcia [...] quingentos [...] figulos laterculorum, ex [...] Thracia quinque milia operariorum et baiulorum<sup>412</sup>, et ducentos fabros tegularum. Quibus omnibus præfecit principes executoresque operum, ac patricium unum, itaque opere perfecto, aqua introiuit in Vrbem, discurrens per confinia nonæ regionis et decimæ. Multi enim aquæductus per dorsum sex collum discurrunt subterranei, et unus supra terram, Valentinianus. Quem [...] qui scripserunt De rebus gestis Andronicī tradunt per magnum forum euntem et ferentem [...] aquam [...] dulcem et puram Andronicum regem renouauisse [...], et auxisse addidisseque fluuium, quem nominant [177] Hydram [...]. Ad cuius [...] fontem turrim et palatium construxit [...], quo æstate [...] recrearetur, ex eodemque fluuiio aquam duxit in Vrbis locum, quem uocant Blachernas [...]. Sed turrim Andronici odio Isaci successor euertit.*

Procopius dicit Iustinianum Acacii [...] ædem [...] exolescentem [...] restituuisse [...], et columnis undique albis illam [...] circumdedisse, similibusque marmoribus ædis solum constrauisse [...], ædemque lapidum candore uestiisse, ut omne templum niuibus tectum [...] uideretur. Porticus autem [...] ædi adiectæ sunt duæ, quarum altera columnis circumdata est [...], uergens ad forum. Iam antedicta uerba Procopii desunt codici edito, itaque eo studiosius addidi. Acacii templum Georgius Cedrenus ait fuisse in loco appellato Heptascalo. Alii scriptores dicunt Diui Acacii ædem appellatam in Scala, quam iam nulli ubi fuerit cognoscunt. Sed qui diligentius inquirere uoleat, dabo ei hanc notulam. Inuestiget domum [...] maximam,

411 sexagesimo sexto : quinquagesimo nono edd.

412 baiulorum : baiulum edd.

quam *Caryam [...] Historiae* appellant, ex eo quod *nux* esset in area illius [...], unde aiunt *Acacium martyrem suspensum interiisse, et delubrum inde ei [...] consecratum fuisse*. Quod aliqui putant in Neorio situm fuisse, ex eo quod legerint apud plerosque scriptores *Acacii imaginem ex calculis uitreis inauratis factam*, positam in templo ad Neorium sito fuisse. Sed hic *Acacius* alias est, quem non modo historici, sed etiam grammaticus Suidas, tradunt episcopum Constantinopoleos fuisse, regnante Leone Macello, adeo ambitiosum, ut multi *Acacii* imagines ponerent in templis etiamnum uiuentis, *inde [...] existimatum [...] doxomanem*.

Iam uero Placidiae domum uidimus in prima regione. Itaque uide an recte legatur in hac decima regione domus *Pla-[178] cidiae*, an potius legendum sit *Placillae*, an *Placidiae*. Nam Agathias meminit regiarum Placidiae siue Placidi his uersibus, quos cum inscriptione mox addam :

εἰς εἰκόνα ἀνατεθεῖσαν ἐν τοῖς Πλακίδου<sup>413</sup>, ὑπὸ τῶν τοῦ νέου σκρινίου,  
 “Αγαθίου σχολαστικοῦ.”

Θωμᾶν παμβασιλῆος ἀμεμφέα κηδεμονῆα,  
 ἄνθεσαν οἱ τὸ νέον<sup>414</sup> τάγμα μετερχόμενοι,  
 θεσπεσίης ὄγχιστα συνωρίδος, ὄφρα καὶ αὐτῇ  
 εἰκόνι χώρον ἔχῃ γείτονα κοιρανίης.  
 αὐτὸς γὰρ ζαθείοιο θρόνος ὑψωσε μελάθρου,  
 πλούτον ἀεξήσας<sup>415</sup>, ἀλλὰ μετ’ εὐσεβίης<sup>416</sup>.

*Post Scironides petras, quas ante dixi fuisse in latere septentrionali collis tertii, Dionysius Byzantius in planicie maritima tertiae uallis et quarti collis dicit esse *litus longum [...] non deterius ullo optimorum ad capturam piscium [...]*, nam [...] maxime profundum est etiam iuxta oram maris et [...] quietum, ubi olim locus *Cycla nominatus*, ex eo quod *Græci barbaros ibi interclusissent [...]*, ubi etiam est *ara Mineruæ Dissipatoriaæ*, designans dissipationem [...] barbarorum interclusorum. Cycla locum sequitur [...] Melias sinus pescationi aptus si quis alter [...]*, elatis promunturii lingulis, atque utrimque saxis occultis conclusus. Nunc in hac ualle sinus non est, uetustate obrutus et exædificatus. Quod non modo ex sinu Melia, sed etiam ex Strabone coniicere liceat, cum ait sinum Ceras ideo appellari, quod multis recessibus uelut cornu ceruinum ramosus sit. Nunc recessus illi non sunt, nisi perpauci. Zosimus, qui scripsit *Historiam temporibus Arcadii et Honorii, testatur sua ætate tantam fuisse Constantinopoli multitudinem incolarum, ut non modo imperatores [179] muros Vrbis longius Constantinianis muris promouerint, sed etiam non paruam partem maris ambientis [...] Vrbem obruerint palis circumfixis, et aedificiis supra palos impositis*. Quid ex tempore Arcadii et Honorii, et quantum obrui potuit, ex tot et tantis ruinis Vrbis projectis in mare ? Meliam sinum, inquit Dionysius, excipit locus *appellatus Κῆπος, [...] a terra inter paucas [...] apta ad hortensem culturam [...]*. Post [...] Hortum sequitur locus *Hapsasius appellatus*, ex ea re quam diximus in *Bosporo*.

413 Πλακίδου : Πλακιδίοις *leg.*

414 τὸν νεὸν : τεὸν 1561.

415 ἀεξήσας : σὲ ζήσας 1561.

416 μετ’ εὐσεβίης : μὲ εὐσεβῆς 1561.

## LIBER QVARTVS

*De undecima regione et de quarto et quinto collibus*  
CAPVT I

VNDECIMAM regionem uix agnouissem ex Vrbis regionum *Descriptione*, quæ eam dicit *spatio diffusam liberiore, nulla parte mari sociari*<sup>417</sup>, *uerum eius extensionem tam planam quam etiam collibus inæqualem*, nisi addidisset illam *continere in se martyrium Apostolorum*. Quod etsi hodie non exstat, tamen ex memoria senum Constantinopolitanorum inuestigaui fuisse in dorso quarti collis deuexo in iugum tertiae uallis, prope officinas ephippiorum et sepulcrum Mamethi Regis. Quo cognito, adsequor regionem undecimam in quarti collis fuisse dorso eiusque lateribus tam uergentibus ad boream quam sitis in eius tergo, hancque regionem attigisse Vrbis muros terrestres undecimam regionem diuidentes a decimaquarta regione. Quæ *spatio interiecto diuisa* erat ab Vrbe *muro pro-[180] prio uallata*, quam in sexto colle extra Constantiniana mœnia infra ostendam, inclusamque postea fuisse a Minore Theodosio. Constantiniani muri traduntur *ab [...] Eugenii turri perrexisse usque ad [...] templum Diui Antonii [...] et ædem Marianam*<sup>418</sup>, quæ nuncupabatur *Rhabdos [...]*, inde *assurrexisse usque ad Exacionion, terrestrem murum [...] quod dicunt appellatum fuisse ex eo quod extra muros terrestres esset columna sustinens Constantini Magni statuam*. Recentes scriptores tradunt *Constantinum excitasse [...] ædem Diuinæ Trinitatis [...] in loco nuncupato Exacionio, nunc nominatam ædem Diuorum Apostolorum qui, si recte existimo Constantini muros fuisse constructos in confinio quarti collis et quinti, prope Exacionion <fuerunt>*. Georgius Cedrenus ait *terræ motu horribili [...] cecidisse partes Vrbis ad Exacionion [...] sitas, ut muros Vrbis, ut templa decora, ut splendidas domos.*

Iudem auctores recentes non sibi constantes alio loco dicunt *porticus a [...] Milliario [...] pertinuisse ad Taurum usque et Bouem æereum [...] et portas [...] Ioannis Prodromi*<sup>419</sup>. Quæ distant a templo Apostolorum plus mille passibus Romanis, tantumdemque fere a muris a Constantino positis, id quod coniici fortasse potest ex Sozomeno. Theodosius, inquit, contra Eugenium educens exercitum, *egressus unum miliare extra Constantinopolim, in æde [...] Diui Ioannis Baptiste, quam ipse construxerat in Hebdomo suburbio, adeo precatus est [...] ut sibi exercitique feliciter [...] exitus belli eueniret*. Ita enim Græcus habet codex Sozomeni : Θεοδόσιος τῆς Κωνσταντινούπολεως ἐκδημῶν, πρὸς τῷ ἐβδόμῳ μιλίῳ γενόμενος, προσεύξασθαι τῷ Θεῷ ἐν τῇ ἐνθάδε ἐκκλησίᾳ, ἦν ἐπὶ τιμῆς Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἐδείματο, αἰτήσαι τε αἰσίαν αὐτῷ καὶ τῇ στρατίᾳ καὶ Ῥω-[181] μαῖοις [...] γενέσθαι τὴν ἔκβασιν τοῦ πολέμου. Qui nesciunt Hebdomum esse suburbanum Constantinopolitanum interpretarentur septimum miliare Theodosium extra Vrbem egressum. At Hebdomum suburbium esse ex eodem Sozomeno liquet, cum alibi dicit Theodosium caput Ioannis Baptiste ex uico Cosilao<sup>420</sup> nuncupato, qui Pantichio Chalcedonis uicinus erat, transtulisse *et posuisse ante Constantinopolim in loco Hebdomo nuncupato*, quem {nos} suburbium olim fuisse, nunc uero intra muros Vrbis esse in sexto colle declarabo infra.

417 sociari : sociatam esse *edd.*

418 ædem Marianam : ædis Marianæ *edd.*

419 Prodromi : Hippodromi *edd.*

420 Cosilao : Coslao *edd.*

Quod si columna, a qua dicunt appellatum locum Exacionion, fuit illa quæ in dorso quinti collis bene excelsa undique procul longe eminere supra omnes domos paulo ante uidebatur, facile intellegemus muros, quos posuit Constantinus, non processisse ultra hanc columnnam distantem a templo Apostolorum circiter quattuor stadia. Hanc columnnam transferri uidi in ædificationem ædis, quam Rex Soleimanus construere aggressus est. Cuius scapus est marmoris pyrrhopœcili, altus circiter sexaginta pedes. Eius perimeter est tredecim pedum et dodrantis, capitulum Corinthium quidem, sed marmoris albi. Eius stereoma, et stylobates, et basis sunt etiam marmoris albi, stereoma altum, ut id scalis ascendere habuerim necesse, stylobates altus quattuor pedes et nouem digitos, plinthus pedem et sex digitos. Græci et Turci utrique sua lingua hanc appellabant columnnam Virginis. Quam puto fuisse illam celebratam recentiorum scriptis *supra collem [...] positam, sustinentem Veneris [...] statuam [...] lapideam, quæ uirgines [...] suspectas [...] de stupro discernebat ab integris.* Nam si integræ et puræ ad eam *prope accessissent [...], [182] incolumes discedebant [...], sin corruptæ [...], inuitæ et nolentes [...] se denudantes sua pudenda ostendebant.*

Cum regionum Vrbis *Descriptio* ait *undecimam regionem [...] nulla parte mari sociari*<sup>421</sup>, existimare oportet planitiem sitam inter sinum Ceratinum et radices collis quarti extra Vrbem fuisse, cum etiam eadem *Descriptio* regionum dicat Vrbis latitudinem continuisse *pedum sex milia centum quinquaginta*, hoc est unum miliare et ducentos triginta passus. Latitudo autem isthmi pergens per collem quartum et septimum, per quos antiquus murus pergebat, excedit præscriptam latitudinem. At Zosimus antiquus historicus tradit Constantimum *Magnum muris Vrbem cinxisse, qui omnem isthmum a mari ad mare interciperent.* Itaque oportet in decima regione ponere planitiem sitam inter sinum et radices quarti collis.

*De templo Apostolorum et sepulcro Constantini Magni, de cisterna Arcadiaca et  
 Modestiaca, de palatio Placilliano, et Boue æreo*  
 CAPVT II

EVSEBIVS scribit Constantimum Magnum *templum [...] Apostolorum ædificasse in altitudinem immensam*, idque uestiuisse *omni genere marmorū uariorū [...] et fulgentium ab imo solo [...] ad tectum.* Quod *totum tenuibus lacunaribus auratis ornauit tegulisque æreis texit [...] multo [...] auro [...] perlitis, splendorem eiaculantibus etiam in eos qui uel procul illas intuerentur [...].* {Structura templi superior} *ex ære et auro eminenti expressione elaborata cancelli et fenestræ [183] sanctuarium circumdabant*<sup>422</sup>*[...]. Circa [...] templum aula illustris erat in aerem purum et apertum patens, cuius porticus dispositæ in quadrum [...] circumdabant aream sub dio expositam. Iuxta porticus distendebantur regiae ædes, et balnea, et ἀνακαμπτήρια, aliaque permulta domicilia æditimorum [...] aliorumque ministrorum templi commode ædificata.* Hæc omnia [...] pius rex [...] in memoriam Apostolorum Seruatoris nostri [...] posteritati tradidit. Duodecimque ibi loculos uelut stelas sacras [...] memoriæ Apostolorum [...] consecrauit, atque arcam [...], in quam ipse post mortem includeretur, *in medio Apostolorum posuit, utrimque stipatam sex Apostolis.* Socrates adiungit *corpus [...] Constantini aureæ arcæ impositum in Vrbem Constantinopolim tulerunt eius necessarii [...] et sepelierunt in templo [...] Apostolorum.* Zonaras Eusebium uidetur non legisse, cum ait eum<sup>423</sup> sepultum *in ædem [...] Apostolorum, in [...] porticu quam ad*

---

421 sociari : sociatam fuisse *edd.*

422 cancelli et fenestræ sanctuarium circumdabant *corr. ex Græco* : cancellos et fenestras habens, templum circumdabat *edd.*

423 eum : id *edd.*

*seperiendum patrem [...] Contantius condidisse traditur. Secundum uiam latam, quæ tendit per dorsum Promunturii ab æde Sophiæ ad portam Adrianopolitanam, prope locum ubi fuisse templum Apostolorum ante dixi, hodie monstratur solium ex porphyretico marmore factum, sed uacuum et carens operculo, longum decem pedes, altum quinque pedes et semissem. Quod Græci et Turci dicunt esse Magni Constantini, sed quam uere, ipsi uiderint. Mihi uero dubium uidetur ex Eusebio et Socrate, tridentibus in arca aurea situm fuisse, nisi fortasse arcam auream in solium illud porphyreticum incluserint.*

Zonaras dicit *Theodoram [...] uxorem Iustiniani ædem [...] nuncupatam Apostolorum construxisse. Fuerat, inquit, ibi ante Apostolorum tem-[184] plum a Constantio<sup>424</sup> [...] ædificatum, non quale nunc est, sed minus pulchrum et multo inferius. Procopius iam inde ab antiquis temporibus ait fuisse Constantinopoli templum omnibus Apostolis sacrum, uetustate iam dirutum ac casui obnoxium. Quod Iustinianus [...] totum demolitus non modo renouare, sed et pulchrius, et maius efficere studuit [...], in figuram crucis [...]. Cuius pars recta ad orientem et occidentem solem exsistit, transuersa uero altera ad Vrsam [...] et uentum austrum, muris quidem utraque extrinsecus septa, intrinsecus uero circumornata columnis supra infraque stantibus. Euagrius uidetur ignorare a Magno Constantino id constructum fuisse, cum ait id a Iustiniano conditum fuisse. Qui profecto ut pleraque alia non primus condidit, sicut asserit Procopius adulans rhetorum more, sed renouauit uetera, aut collapsa restituit, aut incensa reædificauit. Huius ædis nulla restant uestigia, iam ne fundamentorum quidem, nisi fundamenta quædam cisternæ quæ aquam suppeditabat<sup>425</sup> ædi Apostolicae. In cuius quidem cisternæ solo sunt officinæ et tabernæ ephippiorum circiter ducentæ, ubi fiunt et uenduntur non modo ephippia ceteraque equorum ornamenta Turcica, sed etiam uasa ex corio ad hauriendam aquam scite facta, tum pharetræ, arcæ corio tectæ.*

Supra hanc cisternam ædes Mametana cum xenodochio sita est in planicie. Quam Mamethes, qui Vrbem cepit, ex ruinis cum aliarum ædium Christianismo sacrarum, tum ædis Apostolorum uicinæ ædificauit, ad similitudinem ædis Sophianæ, ex lapide quadrato, testudineque semicircula texit, lateritio opere facta, plumbo tecta, ut sunt omnia Turcica ædi-[185] ficia publica, uestibuloque ornatissimo eam illustrauit quadrato, tam lato quam ædes ipsa, marmoreis pavimentis nitenti et porticibus in quadrum dispositis. Quarum arcus sustinentes concamerationem earumdem columnæ ingentes exquisitissimi marmoris sustinent. In medio uestibulo, seu atrio, est enneacrunos desiliens in magnum craterem marmoreum. Circa ædem, ingens area partim parietibus, partim longis ædificiis cincta, quorum partem possident sacerdotes et literarum doctores. Partem orientalem hortus muris clausus, in quo medio est sepulcrum Mamethi Regis. Quod constructum est in figuram cylindri, uelut delubrum hemisphæricum, ex marmore candidissimo, tectum plumbo, fenestræ cancellatis et porta cum uestibulo ornatum. In huius medio solo est solium Mamethi holoserico tectum, solum stratum stragulis Attalicis, in quibus desident perpetui flamines, sodales illud noctes et dies seruantes. Extra aream, uia<sup>426</sup> dumtaxat intermedia, xenodochia ingentia sunt lapide quadrato similiter ædificata, areas in medio habentia, et porticus columnis marmoreis circumdata. Xenodochiis adnxi horti magni, muris clausi. Denique ædes hæc cum circumuicinis ædificiis cludentibus aream<sup>427</sup> et cum xenodochiis continet in ambitu circiter sex stadia.

424 Constantio : Constantino *edd.*

425 suppeditabat : suppeditabant *edd.*

426 uia : viam 1561.

427 aream : Ariam 1561.

Sub horum ædificiorum claustro idem Mamethes therma construxit, totius Vrbis maximas, in solo cisternæ antiquæ, quam arbitror aut Arcadiacam, aut Modestiacam, quas regionum Vrbis *Descriptio* ponit in undecima regione. Hæ thermæ duplices et geminæ sunt, nempe uiriles et femineæ, inter se quidem coniunctæ, sed portis diuisæ contrariis, quibus ingressus non [186] patet ex thermis alteris in alteras thermas. Describam dumtaxat uiriles, cui similes sunt femineæ. In primo aditu habent apodyterium, ex quo patet introitus in tepidarium, ex tepidario in caldarium. Quibus tribus membris thermæ constant inter se aditu coniunctis, sed tecto et pariete diuisis, in rectum ordinem dispositis. Apodyterium est ædificium quadratum, lapide quadrato constructum usque ad concamerationem rotundam opere lateritio factam. Cuius ambitus interior continens ducentos et quadraginta pedes et octo digitos circumdatur suggestu lapideo, lato plus sex pedes, alto tres pedes, paries apodyterii, a pauimento ad imas radices concamerationis, altus triginta septem pedes. In medio apodyterii solo marmoribus strato crater magnus marmoreus, in ambitu continens triginta septem pedes, altus tres pedes, plenus aquis salientibus. Ex apodyterio duabus portis patet aditus in tepidarium, ædificium in ambitu interiori continens centum pedes, constans quattuor arcubus sustinentibus tectum hemisphæricum, efficientibus septem<sup>428</sup> cellas, quarum una<sup>429</sup> dimidio ceteris minor, habens a tergo latrinas in quas totius balnei aquæ confluunt ad eas purgandas. In huius pariete fistula aquæ defluit, qua Turci, ut solent, ab excrementis redditis lauantur. Ex his septem<sup>430</sup> cellis sunt sex singulæ habentes labrum, sed ita dispositæ ut ex duobus arcubus singuli in medio habeant unam cellam, ex qua ad dextram et sinistram ingressus patet in aliam cellam. Alii duo arcus sic cellas habent, ut is qui est uersus portas, ex quibus dixi aditum apodyterio in tepidarium, habeat cellam tam magnam quam ipse amplius est, in [187] quo labra sunt ubi in pauimento marmoreo pannos Turci lauant; quartus arcus substructo muro diuidit tepidarium a caldario. In medio tepidarii est crater cum siphonibus salientibus.

A tepidario una porta aditum præstat in caldarium, tertium membrum quod constat octo arcubus sustinentibus hemisphærium, efficientibus sex<sup>431</sup> cellas extra magnum hemisphærium recedentes, circumdantibus caldarium in ambitu continens circiter nonaginta pedes, habens solum marmore stratum. Quod medium efficit uelut suggestum octogonum in circuitu continentem quinquaginta septem pedes et dodrantem, altum duos pedes et quattuor digitos, quem circumdat alueus discurrens inter octogonum et pauimentum, quo aditur in cellas, tam altum quam octogonum. Cellæ quattuor, interiores positæ in quattuor angulis, quoquo uersus sunt latæ undecim pedes e tres digitos, usum præstantes laconicorum quorum sicco calore sudor elicitor. Eadem est mensura duarum cellarum extra duos arcus recendentium. Aliæ quinque<sup>432</sup> cellæ semicirculæ, quas efficiunt quinque<sup>433</sup> arcus, sitæ sunt in ambitu hemisphærici caldarii<sup>434</sup>, largæ inter imas pilas arcuum undecim pedes, latæ quinque et dodrantem. Singulæ cellæ habent labrum marmoreum, præterea in una est solium marmoreum

<sup>428</sup> septem : octo *edd.*

<sup>429</sup> una : unam *edd.*

<sup>430</sup> septem : octo *edd.*

<sup>431</sup> sex : octo *edd.*

<sup>432</sup> quinque : sex *edd.*

<sup>433</sup> quinque : sex *edd.*

<sup>434</sup> caldarii : tepidarii *edd.*

magnum. In parietibus caldarii et tepidarii et cellarum, nullæ fenestræ sunt, sed dumtaxat in tectis hemisphæricis quæ tota fere plena sunt foraminibus, quæ clauduntur uitreis supra tectum eminentibus, lampadis inuersæ similitudinem gerentibus. Extra thermas est hypocausti præfurnium, largum duos pedes et semissem, totidem altum, perenni igne milia-[188] rium æreum inuersum calefacientis, et flamarum uaporem eiaculantis in cuniculos rectos et transuersos subterraneos calefuentes paumentum thermarum superimpositum. Riuus, ductus ab agro suburbano, non longe a præfurnio canalem efficit largum sex pedes. Ex hoc deriuantur cuniculi, siue tubuli discurrentes per medios parietes circum thermas. Quorum unus, transiens supra patinam miliariam, calidam aquam intromittit salientem in labra epistomiis clausa. Alter, supra concamerationem primi canalis transiens, frigidam in eadem labra ministrat altioribus fistulis. Quas epistomiis clausas reserant quoties lauantes calidam temperare uolunt. Sed de usu lauandi Turcorum et de ratione ædificandi balnea separato loco tractandum est.

Nunc redeo ad institutam regionem undecimam, quæ palatum Placillianum continebat, cuius Procopius meminit. Cum, inquit, regem Iustinianum Theodora regina consolabatur his uerbis : *Habemus regias alias*, quæ Helenæ appellantur, et *Placillianæ*, a Placilla uxore Magni Theodosii. Quem, ut Iustinus Sophiam coniugem illustrauit regiis Sophianis nuncupatis, ita uerisimile uidetur Placillam nobilitasse palatio Placilliano. Quam uehementer amasse Theodosium toti orbi patefacit Theodosii ira qua ille exarsit in Antiochenos. Quos in Laodicensium tradidit potestatem, quod Placillæ statuas [...] in foro [...] suo positas euertissent [...] ob nouum uestigal impositum. Non addam iam cur *Chrysostomus* [...] *Andriantes* [...] scripserit. Potest etiam legi palatum Flacillanum, a Flacilla, de qua Claudianus :

*Sola nouum<sup>435</sup> Latiis uestigal Hiberia rebus  
 [189] contulit Augustos. Fruges, aeraria, miles  
 undique conueniunt totoque ex orbe leguntur :  
 hæc generat, qui cuncta regant. Nec laude uirorum  
 censeri contenta fuit, nisi matribus æque  
 uinceret et gemino certatim splendida sexu  
 Flacillam Mariamque daret, pulchramque Serenam.*

Bos æreus in undecima regione fuit, sed in qua parte coniicere possemus ex magna [...] cisterna, quam recentes historici tradunt conditam fuisse prope Bouem æreum a Niceta eunucho [...] temporibus Theophili regis, si hæc exstaret, aut si exstat, eius nomen retineretur, aut si forum exstaret, quod nonnulli scriptores appellant Bouis forum. Ioannes Tzetzes in sua *Historia* idem esse dicit forum Bouis et Bouem locum ex æreo boue sic appellatum. Is qualis fuerit, intellegitur ex Zonara, Phocæ, inquit, tyranni corpus infelix combustum fuisse ad locum nuncupatum Bouem, ubi caminus fuit [...] ex ære factus figuram bouis maximi gerens, ex Pergamo adiectus. Cedrenus scribit in hunc Bouem [...] inclusum martyrem Antipam exustum fuisse. Quanta autem crudelitate laborarint aliquot tyranni Constantinopolitani, qui maleficos hoc tormento excruciant, ex tauro Agrigentinorum ostenditur. Quem Phalaridi tyranno fecit Perillus a Plinio uocatus, ab aliis rectius Perilaus, Atticus faber aerarius. *Mugitus hominis pollicitus igne subdito<sup>436</sup> [...], primus illum expertus cruciatum [...], iustiore sæuitia [...].* Artificis cuius opus, ut Plinius ait, nemo laudat, et diu olim seruatum est, *ut quisquis [...] illud uiderit, odio persequeretur artificis manus.* Quæ causa artificem incitare potuerit, ut caminum effingeret in formam bouis, non aliam ueriorem repe-[190] rio, quam usum linguæ Græcæ, quæ caminos appellare solet *boues bonis lateribus* et robore præstantes. Vt enim camini

435 nouum : nonum 1561.

436 subdito : subiecto edd.

habent præfurnium in latere uelut portam, ita Perilaus portam in latere tauri effecit. Bouem hunc æreum traductum Constantinopolim fuisse ex Sicilia aut Italia, potius quam ex Pergamo, coniicio ex direptionibus regum Constantinopolitanorum, qui totum orbem spoliarunt ut suam Nouam Romam ornarent. Iam uero ubi hic Bos æreus fuerit, a permultis ciuibus percunctatus sum, sed a nemine intellegere potui, quamuis non ignorent bouem quemdam fuisse Constantinopoli æreum, quamuis a maioribus suis, quasi per manus, oraculum de hoc Boue æreo traditum iactitare soleant, quamuis eius interpretationem suis temporibus attribuant rectius, quam Ioannes Tzetzes, uir quidem eruditus, qui in sua *Varia Historia* ante trecentos et septuagintos annos scripta ita id interpretatur. *Oraculum*, inquit, *Constantinopoli iactabatur eiusmodi* : « βοῦς βοήσει τε, καὶ ταῦρος δὲ θρηνήσει », bos mugiet, taurus lugebit. *Ex hoc Constantinopolitani imaginati sunt fore calamitates et metus, ut innumerabiles exercitus Alemannorum atque aliarum gentium contra Constantinopolim uenturi essent omnesque, quod exspectarent Vrbis euersionem direptionemque, obstupefacti erant atque insomniis perturbabantur.* Tum uxor Megalæteriarchi perterrefacta prænuntiatione exercituum illorum innumerabilium, et peruulgatis uersibus fabulose compositis, effigente animo ea quæ metuebantur, existimauit se uidere per insomnium illa quæ in sermonem hominum uenerant, Constantinopolim primo quidem ha-[191] bere murum lateritium circa uero Bouis forum, siue ad Bouem locum. Visa est uidere exercitum atque copias armatas, circa Taurum hominem [...] mœustum, percussu manuum et lugubri uoce dolorem testantem. Hoc insomnium mulier conspicata præsignificare extremam calamitatem impendere Vrbi arbitrata indicauit Tzetzæ [...]. Qui interpretatus est murum lateritium prædicere frugis abundantiam atque annonæ [...] copiam Constantinopoli. Scitis, inquit, qui adestis, ubertatem annonæ quæ tum fuit. Illud uero exercitum et multas copias armatas circa Bouem esse, atque [...] mœustum hominem ad Taurum [...] sedere, dixit finem esse oraculi peruulgati illius. Dico, quod prænuntiat Bouem clamaturum et Taurum eiulaturum, sed non ut imaginati sunt ii qui metus cogitant, sed finem esse ad utilitatem omnibus nobis ciuibus. Itaque audi augusta, et doce etiam alios, et dic : « Tzetzes ita me docet. Bouem nos Græci feminam bouem nuncupamus, quamquam interdum taurum et vitulum bouem appellamus, taurum autem proprie bouem marem nominamus. Taurum autem hunc italum uocant Latini. Bos igitur nostra nempe Vrbs Constantini ex tauris Italies Romanis condita, omni genere armorum plena, et commeatibus, et exercitibus, classicum canet contra hostes. Taurus uero, Italus exercitus Latinorum, expallescit multo metu et lugebit, si regis<sup>437</sup> non seducatur potentis sermonibus ». Arguta quidem hæc Tzetzis interpretatio, ut hominis adulantis reginæ<sup>438</sup> et sibi facile persuadentis quæ cupiebat, ut est ingeniosa hominum imbecillitas ad se circumscribendum. Sed longe uerior erat illa, quam redarguere Tzetzes conatur, [192] peruulgata oraculi interpretatio, quæ tum per animos Constantinopolitanorum peruaserat, exercitum Latinorum expugnaturum esse Constantinopolim. Ut reuera paulo post expugnauit, diripuit, incendit Vrbisque tyrannos alias ex Tauri summa columna Theodosii præcipitauit, alias ad Bouem æreum combussit. Similiter idem Tzetzes argutulus uideri cupit coniector alterius oraculi quod ipse narrat et interpretatur, sed frigide et ridicule, ut postea docuit exitus : οὐαὶ σοὶ ἐπτάλοφε, ὅτι οὐ χιλιόσεις, id est Væ tibi Constantinopoli septem colles incolenti, mille annos non ages. Id oraculum fuit alterum Constantinopolitanis, ut illud quod ante dixi : « Bos clamabit, et Taurus eiulabit ». Postquam, inquit, illud ipsum pulchre et commode dissoluisset [...] meæ interpretationi alterum [...] obiectum est, scilicet : « O Constantinopolis, quæ septem colles incolis, non mille annos ages ». Sic [...] interpretatus sum [...], non esse

437 regis : rex *edd.*

438 reginæ : augustæ *leg.*

*intellegendum ut uulgo intellegunt, oὐαὶ aduerbium luctuosum non esse unam partem, sed duas partes orationis, nempe οὐ negationem, at αἰ significare [...] siue, et ita aptandas esse : siue o Constantinopolis [...] mille annos non ages, sed intra mille annos etsi euertaris, tamen non uae et luctus tibi, sed gaudium erit, ut maior exstruaris, ut amplius splendeas. Dissolueris enim ad bonum eorum, qui te dissoluent. Occulte adulatur principibus ciuibus factionum de imperio contendentium, nam si de hostibus externis intellegereret Vrbem dissoluturis, delira esset illius interpretatio. Sed quoquo modo intellegat, delirat, nam siue a ciuibus, siue ab externis dissoluta est, non gaudium fuit Constantinopoli.*

Neque modo diuinis oraculorum prænuntiationibus [193] prædictum est Constantinopolim mille annos non duraturam, sed etiam astronomorum præscientia. *Quidam [...], sicut ait Suidas, historiarum monumentis prodiderunt Constantimum Magnum, postquam Vrbem absoluisset, uocasse astronomum nuncupatum Valentem, illius temporis hominum qui [...] astronomiæ darent operam præstantissimum eique præcepisse [...], ut Vrbis [...] sidus natalicium et horoscopum obseruaret, ut nosceret quot annos esset permansura. Valens in sexcentos et nonaginta sex<sup>439</sup> annos ipsam duraturam esse uaticinatus est. At hi iam multo ante præterierunt, itaque, inquit Zonaras, oportet Valentis prædictionem mendacem [...] esse, artemque astronomiæ aberrare ab horoscopo, aut illos [...] annos Valentem dicere conuenit, in quibus politici mores obseruabantur, et tranquillitas, et Senatus honorabatur, et [...] Constantinopolitani ciues florebant, et legitima erat [...] regii principatus administratio, non [...] tyrannis dominantium, communia existimantium propria sua bona, hisque ad suas libidines explendas abutentium.*

Iam uero ut absoluam oracula, quæ a magnis uiris tradita sunt de hac Vrbe, uenio ad Zosimum antiquum auctorem, si cum Ioanne Tzeta et Zonara conferas. Ille enim inquit, Constantinopolim *in tantam magnitudinem [...] creuisse, ut nulla urbs alia esset cum ipsa conferenda, neque magnitudine, neque felicitate.* Sed tamen ait : « cum diu multumque considerassem, *nullam ex deis prædictionem maioribus nostris datam esse de [...] Constantinopolis incremento in meliorem fortunam [...].* Multos historicos multaque oracula perlegi, ac cum in his dubitationibus longum tempus consumpsisset, incidi [...] tandem in [194] oraculum Sibyllæ [...] nuncupatae Erythrææ, siue Phaennis<sup>440</sup>, siue Phaenus Epirotidis (*nam et hæc diuino adflatu percita oracula edidisse dicitur*) ; cui obtemperantem Nicomedem filium Prusiæ et ad ea accomodantem quæ sibi utilia uiderentur, bellum suscepisse contra patrem Prusiam Attalo obtemperantem. Oraculum autem Sibyllæ habet sic :

ὦ βασιλεῦ Θρηκῶν, λείψεις πόλιν ἐν προβατοίσιν  
 αὐξήσεις δὲ λέοντα μέγαν, γαμψώνυχα, δεινόν,  
 ὃς ποτε κινήσει<sup>441</sup> πατρίας κειμήλια χώρας,  
 γαῖαν δ' αἱρήσει<sup>442</sup> μόχθων ἄτερ. οὐδέ σέ φημι  
 σκηπτούχοις τιμαῖσιν ἀγάλλεσθαι<sup>443</sup> μάλα δηρόν,  
 ἐκ δὲ θρόνων πεσεῖν, οἷον κύνες ὀμφὶς ἔχουσι.  
 [...]

439 sex om. edd.

440 Phaennis : Phaellis edd.

441 ποτε κινήσει : ποτ' ἐκίνησε 1561.

442 δ' αἱρήσει : δὲ αἱρήσει edd.

443 ἀγάλλεσθαι : ἐπαγάλλεσθαι 1561.

δὴ τότε Βιθυνῶν<sup>444</sup> γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι  
 Ζηνὸς ἐπιφροσύναισι. τάχος δ' ἐπιπέσσεται<sup>445</sup> ἀρχὴ  
 ἀνδράσιν οἱ Βύζαντος ἔδος καταναιετάουσι.  
 τρὶς μάκαρ [...] ἐφεθμαῖς  
 ἦν λύκος αἰνόλυκος πτῆξει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης.  
 οἱ με γὰρ εἴσασίν τε<sup>446</sup> ἐμὸν ναίοντες ἔδεθλον<sup>447</sup>,  
 οὐκέτι σιγήσω<sup>448</sup> πατρὸς νόον, ἀλλ' ἀναδείξω  
 ἀθανάτων λογίων θνητοῖς εὔσημον ἀοιδήν<sup>449</sup>.  
 Θρῆσσα κύει μέγα πῆμα, τόκος δέ οἱ οὐκέτι τηλοῦ,  
 σπεῖραν παῖδα κακόν ποτε γῆ<sup>450</sup> καὶ τῇδε φέρουσαν<sup>451</sup>.  
 τρηχὺ γάρ<sup>452</sup> ἡπείρου πλευρὰς ἐπινίσεται<sup>453</sup> ἔλκος,  
 καὶ μέγ' ἀνοιδήσει, ταχὺ δὲ ῥαγὲν αίμοροήσει.

*Hoc oraculum, inquit Zosimus, ut ita dicam [...], reuera ostendit et ænigmatische dicit omnia futura Bithynis mala ob tributorum postea ex ipsis [...] exactorum grauitatem, et præsignificat ut principatus celeriter perueniet « ad [195] uiros, qui Byzantis sedem incolunt ». Ac si longo post tempore hæc prænuntiata non acciderint, ne quisquam putet [...] excessisse, omne enim tempus breue deo semper consistenti et futuro. Et hæc quidem [...], inquit, ex oraculi uerbis et rerum euentu coniectau. Sin alia sententia oraculi cuiquam uideatur, eam sequatur. Deinde ut confirmet suam opinionem de hoc oraculo scribit, ut Constantinus Magnus eiusque filii summis tributis Bithyniam et totum orbem oppresserint, ut urbes desertæ manserint. Ioannes Tzetzes nobilis grammaticus et historicus, multis seculis post Zosimum oraculum aliter interpretatur, edoctus tempore rerum inuentore. *Quidam*, inquit, *hoc oraculum dicunt esse Sibyllæ, alii uero Epirotidis Phaenrus*. Epirotis, inquit, *Phaenno tot ante seculis prædixit facta paulo ante nostram ætatem, quomodo regem Romanum uincent Persæ, supraque collum eius calcabunt uelut seruituti addicti, et suus populus, et [...] proceres quomodo hunc ab imperio deiiciant, et quomodo Persæ obtinebunt omnem Bithyniam, et Scythæ quomodo bellum conflabunt et suspiciunt contra genus Romanorum, κατ' ἔπος λέγουσα ταυτὶ*<sup>454</sup> *στόματι διηρμένῳ*. Supradictum oraculum, quod *de [...] Turcis uaticinatur, ceteros eius, inquit, uersus prætero, dicam paucos* :*

444 δὴ τότε Βιθυνῶν : τότε Βιθυνίων 1561.

445 τάχος δ' ἐπιπέσσεται : ταχὺ δ' ἐπιβήσεται *edd.*

446 τε : τι 1561.

447 ἔδεθλον : ἔθελον 1561.

448 οὐκέτι σιγήσω : οὐκ ἔτισι γῆς οἱ 1561.

449 εὔσημον ἀοιδήν : εὐδαίμονα οἵδειν 1561.

450 ποτε γῆ : *om.* 1561.

451 φέρουσαν : φέρουσαι 1561.

452 γὰρ : παρ' 1561.

453 ἐπινίσεται : ἐπειναίσιται 1561.

454 ταύτι : ταύτῃ *edd.*

δὴ τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι<sup>455</sup> οἰκήσουσι  
Ζηνὸς ἐπὶ φροσύνησι, κακὸν δὲ ἐπιβήσεται ἄνδρας,  
ἄνδρας, οἵ Βύζαντος ἔδος καταναιετάουσιν.

Oraculum hoc etsi antiquissimum, tamen in tot Vrbis ruinis numquam adeo liquide patuit, quam nunc sub imperio Turcorum.

In supercilio quarti collis uergente ad solis ortum uisitum templum Pantocratoris illustre memoria recentium scriptorum, cuius parietes in-[196] teriores uestiti crustis marmoris<sup>456</sup> uarii. Quod duplices porticus habet, et plura tecta hemisphærica tecta plumbo, quorum maximum sustentatur quattuor columnis pyrrhopœcilia, quarum perimeter habet septem pedes. Alterum hemisphærium sustentatur quattuor arcibus quos fulciunt quattuor columnæ marmoris Thebaici.

Est item in quarti collis latere meridionali columnæ par et similis ei, quam dixi in Exocionio paulo ante stantem, nuper traductam in basilicam Regis Soleimani. Habet in basi circulum illum laureatum, radiatum, similitudinem Crucis labaricæ gerentem, qualis in Xerolophi columnæ cochlida Arcadii uidetur.

Ad radices quinti collis est duplex murus intra se claudens uicum domorum, quem nunc uulgo appellant Phanarium, ex eo quod una nocte ad lucernam constructus fuerit instantे obsidione. Vbi ex Dionysio arbitror fuisse locum, qui Mellapocpsas<sup>457</sup> appellabatur. Cur ita appellaretur ostendi in *Bosporo*.

In dorso quinti collis est ædes Regis Selini cum xenodochio eiusque sepulcro. Ibi etiam prope est cisterna ingens in pratum conuersa, spoliata columnis et cameris.

*De sexto colle et decimaquarta regione*

CAPVT III

VRBIS *Descriptio* regionum tradit decimamquartam regionem licet in Vrbis [...] numeretur parte, tamen quia spatio interiecto diuisa esset, muro proprio uallatam, alterius quodammodo speciem ciuitatis ostendere, esse uero progressis a porta modicum situ planum<sup>458</sup>, dextro autem latere in cliuum surgente [197] usque ad medium<sup>459</sup> fere plateæ, spatium nimis pronum<sup>460</sup> [...], continere in se ecclesiam, palatium, nymphæum, thermas, theatrum [...], pontem sublicium, siue ligneum. Quispiam fortasse, qui Constantinopolim non uidit, ex hac descriptione facile putauerit sciri posse in qua parte sit decimaquarta regio, præsertim iam undecim cognitis, et tertiadecima, et duodecima, quammox cognoscendis. At cum nulla exstant quæ traduntur in ea fuisse, ne pons quidem sublicius, neque aqua, quæ hoc ponte traiiceretur, facile cognoscatur. Disceptatio relinquitur inquirendi in quo loco fuerit, nam nescio quæ illa *porta* fuerit, a qua dicit *progressis modicum* [...] planum<sup>461</sup>. Quod uero ait

455 λύκοι : *om.* 1561.

456 marmoris : marmoreis 1561.

457 Mellapocpsas : Mellacopsas *edd.*

458 planum : planam *edd.*

459 medium : murum *edd.*

460 pronum : pronam *edd.*

461 planum : planam *edd.*

*dextro latere in cliuum surgente*, facile intellegeretur, si scirem quid appellat dextrum latus. Iam uero in quinto colle fuisse hæc non uidetur, ex eo quod dicit *spatio interiecto diuisam*, quo exiguo diuisa fuisset, inconsultumque fuisset iam *muro proprio* distinguere a propinquis Vrbis muris. Huc accedit, quod nullus pons fingi potest fuisse in quinto colle, neque in sexto aut septimo collibus Vrbis, neque extra Vrbem ullus pons exstat, neque uallis intercedens intra quintum et sextum<sup>462</sup> collem pontem ullum habet, neque aquam, nisi cogitemus sinum aliquem, qui nunc obrutus sit, habuisse qui ponte transiretur. Iam si existimamus ultra sextum collem, ubi uicus hodie Aiuasarius nuncupatus, facilius quidem constabit illic pontem fuisse, quo traiiceretur sinus Ceratinus, ubi prope fundamenta pilarum pontis uidentur. At uerisimilius uidetur collem sextum uicinum habitatum fuisse propter commoditatem uiarum a Thracia, priusque uicinum quam longinquum [198] censendum inter regiones Vrbis. Præsertim cum plerique scripserint sextum collem habitatum fuisse suburbio Hebdomo appellato. Quod aliaque suburbana ædificia ut intra urbem includeret, propinquitas loci inuitauit Theodosium Minorem ad promouenda Vrbis moenia.

*De Hebdomo suburbio Constantinopoleos et Cyclobio, de triclinio Magnauræ<sup>463</sup> et de statua Mauricii eiusque armamentario, de loco nuncupato Cynegio*

CAPVT IV

SVBVRBIVM Hebdomum appellatum in sexto colle fuisse, qui nunc est intra Vrbem, ostendit ædes Diui Ioannis Baptistæ, quam etiam nunc Græci uulgo uocant Prodromi. Ea in latere ad solis ortum pertinente sita est, a Turcis maxima ex parte diruta, ubi aliquot columnæ marmoreæ extremam rapinam metuentes supersunt, sed paue ex multis ablatis. Quam autem illa sumptuosa fuisset, cum alia uestigia indicant, tum cisterna Boni nuncupata ex eo quod eam patricius appellatus Bonus condiderit. Paulo supra eam ipsam sita, longa trecentos passus, columnis et concameratione spoliata, in qua nunc horti uirent. Sozomenus ait regem Theodosium Maiorem caput Ioannis Baptistæ ex uico nuncupato Cosilao<sup>464</sup>, qui uicinus erat Pantichio loco Chalcedonis, traduxisse *et posuisse ante Vrbem Constantini in Hebdomo nominato, maximumque et pulcherrimum Deo ibidem excitasse templum*. Idem tradit Theodosium, cum educeret exercitum contra Eugenium, *ex Vrbe Constantini egressum [...], ut sibi exercituique [...] bene et feliciter exitus belli eueniret, a Deo precatum [199] fuisse in [...] æde, quam in honorem Ioannis Baptistæ in Hebdomo ædificauerat*. Procopius nimium rhetorice adulatur Iustiniano, quem instauratorem huius tradit ædificasse eam in suburbio appellato *Hebdomo*. Zonaras ait regnante Constantino Pogonato Agarenos [...] graui classe [...] Vrbem obsedisse, quæ stationem [...] habebat *a promunturio Hebdomo sito ad occasum [...] usque ad Cyclobion*. Similiter historiæ aliæ tradunt *a [...] promunturio nuncupato Hebdomo [...] ad occasum pertinente, siue a [...] domo Magnaura, usque ad [...] palatium Cyclobion spectans ad orientem, stetisse [...] classem Agarenorum*. Ex quibus obiter colligo Magnauram fuisse in Hebdomo.

Cedrenus *Magnauræ solarium rotundum* scribit condidisse Philippicum regem, *illicque in atrio suam statuam armamentariumque collocasse*. Alii scribunt Mauricium imperatorem *Magnauræ triclinium ædificasse [...], in eiusque atrio posuisse suam statuam, armamentariumque ibidem constituisse*. In triclinium Magnauræ hi uersus exstant incerti poetæ :

462 sextum : tertium *edd.*

463 et Cyclobio, de triclinio Magnauræ : et triclinio Magnauræ, et Cyclobio *edd.*

464 Cosilao : Coslao *edd.*

ότραλέως πολύπευσαν τόνδε δόμον βασιλῆς,  
αἰχμὴν ὅλβοδότειραν ἀπὸ σταυροῦ λαχόντες,  
αὐτὸς ἄναξ Ἡρακλῆς σὺν Κωνσταντίνῳ νιεῖ.

Cisternam Magnauræ, quæ erat in Palatio, Heraclius obruit. Quam, ut ait Cedrenus, Macedonius rex purgauit in pristinumque statum restituit. Quidam si minus uere, tamen apte tradunt *triclinium Magnauræ nominatum, ex eo quod Anastasius rex [...] cum ibidem ob horrendam tempestatem uentorum et tonitruum et fulminum [...] extingueretur, clara uoce dixerit* : « *Magna perimus aura* ».

Pulcheria Theodosii Minoris soror ab admi-[200] nistratione imperii remota *secessit et apud se uixit [...] in Hebdomo*. {Nicephorum} *Phocam [...] Zonaras* inquit, appropinquantem Vrbi a populi factione *Prasina [...] appellata exceptum magno applausu, eumque [...] in Hebdomo [...] coronatum a patriarcha Constantinopolitano*. Cur uero id suburbium nominetur Hebdomum, existimo a septenario numero suburbiorum, quæ nomina retinuerunt etiam inclusa in Vrbem. Procopius tradit Iustinianum *in regione Vrbis, quæ appellaretur Secunda, [...] aedem Diuæ Annæ aedificasse*. Ignotus scriptor patriæ Constantinopolitanæ rationem adfert cur appelletur Secunda. *In loco, inquit, appellato Secundo [...], stabat Iustiniani Rhinotmeti statua. Hanc demolitus est Bardas Cæsar Michael<sup>465</sup> auus, Theophili <filii> et confregit. Appellatus est Secundus locus [...] ex eo quod Iustinianus in exilium proiectus [...] in Chersonem a patricio Leontio<sup>466</sup> [...] rerum potiente [...], ubi cum decem annos [...] exul mansisset, profectus est ad Terbelem<sup>467</sup> regem Bulgarorum [...], cuius filiam [...] nomine Theodoram duxit, eique exercitus datus est [...]. Quem duxit contra Constantinopolim ad repetendum suum principatum. Quem ciues cum noluissent recipere, [...] ingressus est per cuniculos aquæductus [...] in Vrbem, ad locum ubi restabant fundamenta columnæ [...] suæ, quam aduersarius euerterat. Et secundo regnum adeptus [...], secundam columnam ibidem restituit, aedemque ibidem Diuæ Annæ aedificauit, ex eoque locus appellatus Secundus. At, ut iam dixi, Procopius tradit Magnum Iustinianum eam condidisse in regione secunda. Quam ante Theodosium Minorem, qui muros Vrbis promouit, existimo suburbium fuisse septimi collis, hoc est duodecimæ regionis ex Cedreno et aliis. [201] *Fuerunt [...], inquiunt, terræ motus horribiles [...] qui murum Vrbis in Exacionio [...] euerterunt, et templo magnifica, et domos splendidas, in porta Vrbis Aurea Victoriæ signum prostrauerunt, et [...] in Secunda regione ad Diuam Annam [...] loca tremuerunt*. Hæc pluribus dixi, ne quis Δεύτερον χωρίον putet esse in numero regionum, quas antiqua *Descriptio* tradit quattuordecim fuisse Vrbis. Procopium miror in tot aedificiis Vrbis describendis numquam earum meminisse, cum Iustinianus in suis *Constitutionibus* meminerit.*

Inter Palatium Constantini et portam Vrbis Adrianopolitanam, exstat aedes in septimo colle quæ, etsi iam tot secula sit intra Vrbem, tamen etiamnum Χριστὸς Χώρας appellatur, ex eo quod olim esset extra Vrbem. Ex tribus partibus, ut mos est Græcarum aedium sacrarum, porticu cingitur. Parietes<sup>468</sup> eius intrinsecus uestiti crustis marmoris uarii quadratis, ita inter se coniunctis ut distinguantur ab imo sursum uersus modulis astragalorum, aliorum baccatorum, aliorum teretium sine baccis. Supra quadratas crustas discurrent tres fasciæ et tres uelut astragali, quorum duo teretes, supremus quadratus uelut regula. Supra fasciam denticuli, supra denticulos folia Corinthia. Denique marmor sic mensulis distinguitur, ut in commissuris

465 Michael : Michel 1561.

466 Leontio : Leone *edd.*

467 Terbelem : Terbelum *edd.*

468 Parietes : parietis 1561.

eluceat labor Corinthius, sed is plenior appareat in æde Sophiæ. Iam uero ex his, quæ post addam, cognoscetur Hebdomum suburbium fuisse in decimaquarta regionum Vrbis continente *in se palatum*. Nunc ex tot antiquis palatiis nullius nomen exstat, nisi palatii in sexto colle siti, quod etiamnum appellant Constantini, ex cuius ædificiis restat unum cum aliquot columnis et cisterna, in qua elephanti stabu-[202] lantur.

In planicie litorali posita ad radices sexti collis uergentis ad ortum solstitii æstivui, est porta Palatina, siue Cynegetion<sup>469</sup>, appellata, ubi platani extra portam. Prope portam exstant intra murum tres arcus magni, nunc substructi, olim patentes, per quos ingrediebantur triremes in portum manufactum intra muros clausum ad commoditatem propinquai palatii, nunc obrutum et conuersum in horti culturam. Cynegetion celebre est scriptis recentium, ut etiam Suidas non alienum putarit in suum *Lexicon* hanc historiam inserere. In *Cynegio*, inquit, *appellato proiiciebantur [...] mortis condemnati. Erant quædam illic statuae. Theodorus Anagnostes eo profectus cum Himerio chartophylace uidit illic statuam paruam quidem longitudine, sed crassitudine magnam. Me autem contemplante [...], inquit Himerius : « Contemplare quis condidit Cynegetion ». Cui respondi : « Maximinus condidit, Aristides dimensus est ». Statim cecidisse columnam<sup>470</sup> [...] et adflixisse Himerium [...], ut e uestigio moreretur. Ego metu percusus ad templum fugi, et quod acciderat denuntiaui. Id autem hominibus minime credentibus [...] iureiurando adserui. Domestici defuncti et quidam regis ministri ad locum mecum profecti sunt [...], qui {cum} admirarentur casum [...] uiri [...] et columnæ. Ioannes quidam philosophus dixit se inuenisse ab animalculo<sup>471</sup> præclarum uirum [...] interiturum, a quo persuasus Philippicus<sup>472</sup> rex hoc animalculum in eodem loco terra obrui iussit. Iustinus tertius<sup>473</sup> Tiberium et Leontium, qui triennium imperauerant, e uinculis eductos, per forum et theatrum simul iunctos [...] rapi ab equis, atque ad eius pedes detractos cum eorum ceruices calcasset [...], in *Cynegio* spectante [203] populo interfici iussit. Id theatrum, per quod dicit simul iunctos raptos, existimo fuisse theatrum uenatorium. Nam, ut Romæ fuit Θέατρον κυνηγητικόν, ita fuit Byzantii ex Procopio, qui tradit Iustiniani auaritia *theatra, hippodromos, cynegesia maxima ex parte [...] omissa fuisse*.*

*De Blachernis et aquæductu, de triclinio Blachernæo et palatio<sup>474</sup>, de multis locis antiquissimis*  
 CAPVT V

ANTIQUA regionum *Descriptio* dicit quidem decimamquartam ædem sacram continere, sed non nominat, neque meminit Blachernarum, quamuis ita nominarentur antequam Seuerus Byzantium euertisset, ut post declarabo ; quæ extra Vrbem essent non modo eo tempore quo scripta est illa regionum *Descriptio*, sed etiam uiuente Iustiniano. Quem Procopius scribit ædificasse templum [...] Virginis Mariæ ante mœnia Vrbis, in loco appellato Blachernis [...]. Miretur hoc templum, inquit, ingressus, ingentem quidem molem [...] citra ullum periculum

469 Cynegetion : Cynegorum *leg.*

470 columnam : statuam *leg.*

471 animalculo (*Græce ζῷδιον*) : statua *leg.*

472 Philippicus : Philippus *edd.*

473 Iustinus tertius : Iustinianus secundus *leg.*

474 aquæductu, de triclinio Blachernæo et palatio : triclinio Blachernæo, et palatio, aquæductu *edd.*

constitutam *cernens*, ipsam *magnificentiam ab omni insolentia alienam*. Puto Iustinianum hoc templum refecisse, nam Zonaras tradit *Pulcheriam* Marciani uxorem *templum in Blachernis ædificasse* et Mariæ Virgini dedicasse. Pomponius Lætus hoc a Theodosio conditum tradit. Cedrenus testatur Iustinum nepotem Iustiniani *templo Blachernarum duos arcus addidisse*. Cum ex antedictis Procopii constat Blachernas extra Vrbem esse, tum ex Agathia. Instantibus, inquit, barbaris *permissu [...] Iustiniani omnia templa extra Vrbem sita [...] quæ a [...] Blachernis initium su-[204] munt [...] usque ad pontum Euxinum [...]*, spoliabantur armamentis et *intra Vrbem* seruanda *traducebantur*. Hodie prope Xyloportam et angulum Vrbis occidentale, inter radices sexti collis et sinum, ædis sacræ intra Vrbem sitæ, quam Virgini Mariæ sacram dicunt fuisse (eique fontem sacrum adhuc scaturientem ostendunt Græci, Blachernamque locum nominant) uestigia exstabant cum uenissem Byzantium. Quæ funditus nunc fere effossa sunt et deleta. Ex imo cliuo sexti collis eminenti supra templum Blachernæum prodiit aquæductus. Duabus fistulis eius aqua salit, quarum altera clauditur epistomio, altera perennis fluit. Hunc ex Hydrale fluuio ante dixi Andronicum regem conduxisse in regionem Blachernam, ubi antea aqua fluiatilis nulla erat. Anastasius rex *Magnum Triclinium ædificauit in Blachernis, quod etiamnum ætate Suidæ dicebatur Anastasiacum. Tiberium regem construxisse publicum Blachernarum balneum*, Zonaras et alii scribunt. In Blachernis regium palatium fuisse etiam nunc ætate Zonaræ, atque multo infra usque ad Manuelem regem, ex *Historia* liquet recentiorum.

Vnde uero locus Blachernas appelletur, in suo *Anaplo Bosporico* docet Dionysius Byzantius. A quo loca descripta a quinti collis radicibus, ad extremum angulum Vrbis et collis sexti, paucis repeatam. Post [...] locum, inquit, qui nominatur Mellapocopsas<sup>475</sup>, hunc ante dixi fuisse sub radicibus quinti collis, *duo loca sunt omni tempore anni piscationem ad [...] depressiones extremas, quas efficiunt lingulæ collum, et ad sinus profundos [...] quietos a uentis largientia*. Quorum *alter Ingenidas dicitur ab heroe indigena, alter Peraicus<sup>476</sup> [...] a Piræo [...] Athe-[205] niensi, uel ut [...] alii dicunt [...] ab [...] antiquo quodam incola. In quorum medio [...] locus est nominatus Cittos a copia [...] hederæ ibi facile prouenientis. Peraico<sup>477</sup> loco continuus est Camara, locus procluus et uentis obnoxium litus [...], itaque multum a mari percutitur. Inde [...] Sapra<sup>478</sup> Thalassa, finis totius sinus [...] Ceratini ubi est initium influentium in [...] sinum fluminum, nominata [...] enim siue ob illorum uicinitatem [...] corruptentium naturalem maris [...] aquam, siue quod immobilis et [...] minus affecta uentis [...], ac potius ab [...] influxu fluminum adsiduam mollemque materiam adferentium [...] efficente mare cænosum [...], ubi tamen est copia piscium [...]. Huius maris Marcidi primus [...] locus appellatur Polyrrhetium<sup>479</sup> a uiro Polyrrheto [...], post hunc Batheia<sup>480</sup>*

<sup>475</sup> Mellapocopsas : Mellacopsas *edd.*

<sup>476</sup> Peraicus : Piræicus *edd.*

<sup>477</sup> Peraico : Piræico *edd.*

<sup>478</sup> Sapra : *supra edd.*

<sup>479</sup> Polyrrhetium :Polyrrhetius *edd.*

<sup>480</sup> Batheia : Vateia 1561.

*Scopia a mari profundo, tertius Blachernas nomen barbaricum a quodam [...] ibi regnante adeptum<sup>481</sup>. Vltimus Paludes<sup>482</sup>.*

*De ponte qui est ad Diuum Mamantem, et de eius hippodromo, et leone æreo, de Mauricii regis sepulcro*  
CAPVT VI

NON historici modo, sed etiam grammaticus Suidas, tradunt *ad Diuum Mamantem pontem fuisse [...] duodecim fornicibus constantem, multæ enim aquæ eo defluebant. Vbi etiam draco æreus statutus erat, propterea quod illic serpens aliquando habitasse existimaretur, ubi multæ uirgines [...] prægnantes fiebant. Basiliscus enim quidam, qui amauit hunc locum, quique ex cohorte Numeriani Cæsaris fuit, illic habitauit et templum excitauit, quod postea Zeno euerit. Constantinus [...] Iconomachus Andream [...] Calybitem memorabilem uirum apud Blachernas in hippodromo [206] Diui Mamantis flagris interfecit.*

Zonaras narrat Mauricium regem sepultum fuisse *in templo Diui Mamantis prope murum, quem ædificauit Pharasmanes eunuchus, Iustiniani cubicularius*. Cedrenus dicit templum Mamantis esse *prope portam nuncupatam Xylocercon*.

Alii tradunt Crummum<sup>483</sup> Bulgarorum regem Constantinopolim *circuisse [...] a Blachernis ad Auream portam [...]. Quam cum capere se posse diffidisset [...], cucurrit ad Diuum Mamantem, palatum illic situm incendit, et leonem æreum positum in hippodromo simul et ursam<sup>484</sup>, et draconem [...], et electa marmora [...], cum reuerteretur, exportasse<sup>485</sup>.*

Sozomenus loquens de his, qui expulsi sunt propter Chrysostomum, ex Vrbe egressos scribit *conuenisse in locum situm ante Vrbem, quem Constantinus rex [...] in hippodromi spectaculum purgauerat, et muris ligneis circumdederat*. Quem arbitror postea appellatum hippodromum Diui Mamantis.

Zonaras addit Leonem *regem metu incendi*, quo Vrbs conflagrabat, *exiuisse ex Vrbe et plurimum mansisse ad Diuum Mamantem*. Cedrenus Theophilum *regem* dicit *certamina equestria exercuisse ad templum [...] martyris Mamantis, in Steno situm*.

Ex ante aceruatim collectis patet Diuum Mamantem fuisse ad Blachernam, pontemque illic fuisse, id quod confirmat Ioannes Tzetzes in sua *Varia Historia*, cum ait *ex Abydi angustiis usque ad pontem Blachernarum Hellespontum appellari*. Ex quo liquet pontem illum fuisse ubi pilæ cernuntur lapideæ antiqui pontis, sed non extra aquam eminentes, nisi aliquando æstate, sitæ inter angulum Vrbis Blacherneum et suburbium quod Turci appellant Aibasarium. Hunc illum iam pro-[207] nuntiare possumus esse quem antiqua *Descriptio* regionum Vrbis appellat ligneum et ponit in decimaquarta regione, in qua diximus fuisse suburbium Hebdomum. Hoc unum aduerte ex Suida, pontem Diui Mamantis habuisse duodecim fornices, itaque lapideum tum fuisse, aut Suidam loqui de alio templo Mamantis alibi sito.

*De septimo colle et duodecima regione, et de columna Arcadii*  
CAPVT VII

---

481 adeptum : adeptus *edd.*

482 Paludes : Palodes *leg.*

483 Crummum : Crunnam *edd.*

484 ursam : ursum *edd.*

485 exportasse : exportauit *leg. ?*

EX COLVMNA Arcadii, quæ etiamnum exstat in septimo colle nuncupato Xerolopho, diuiso a sex collibus ualle lata, colligo fuisse duodecimam regionem. Quæ *portam Auream a ciuitate potentibus in longum plana omnis constitit*<sup>486</sup>, sed latere sinistro mollioribus clivis deducta maris confinio [...] finiebatur. Continebat in se *portam Auream*, porticus *Troadenses*<sup>487</sup>, portum Theodosiacum, *forum Theodosiacum* et *columnam* [...] intra se gradibus peruiam. Quam Arcadius imperator excitauit in Xerolopho, etiam nunc in nostram ætatem nomen retinente, et supra ipsam collocauit statuam suam. Quæ cecidit regnante Leone Conone terræ motu, quo uehementer concussum est Byzantium et quo multa templa et domus ceciderunt, multitudine hominum oppressa est. Cedrenus declarat hanc columnam *Arcadii ex omnibus partibus similem columnæ Theodosii in Tauro positæ.*

Habet stylobatem, basim et capitulum. Eius scapus cum spira et capitulo constat lapidibus uiginti et uno. Præterea supra capitulum duo lapides exsistunt. Stylobates constat quinque lapidibus, [208] omnibus adeo coniuncte inter se commissis, ut si uel terræ motu, uel uetustate numquam concussa fuisset, ex uno eodemque lapide tota columna constare uideretur. Hi lapides alii supra alios impositi et coniuncti tamquam spondyli, intus excavati, totum columnæ ambitum unum et perpetuum præstant, fenestellis illustrem, et gradus efficiunt. Vnus enim quisque lapis partem graduum efficit et ambitum scapi uelut murum. Incœpi numerare a lapide supremo fastigante columnam usque ad imum gradum. Supremus igitur lapis, continens portam qua scanditur supra capituli abacum, altus circiter tredecim pedes et dodrantem ; concameratus et conuexus tegit totam columnam. Porta alta sex pedes et duos digitos, larga pedes tres et dodrantem. Secundus lapis sex pedes altus continet supremum gradum positum supra abacum capituli. Tertius, altus quinque pedes et quattuor digitos, continet abacum et totum capitulum. Quartus, altus quinque pedes exceptis duobus digitis. Quintus altitudinem habet quinque pedum minus duobus digitis, sextus quattuor pedum et dodrantis, septimus quinque pedum et digitorum duorum, octauus quattuor pedum et quattuor digitorum, nonus sex pedum, decimus quinque pedum, undecimus quattuor pedum et quattuordecim digitorum, duodecimus quattuor pedum et dodrantis, decimus tertius quinque pedum, decimus quartus quinque pedum et digitorum duorum, decimus quintus quinque pedum et semipedis, decimus sextus quinque pedum et semissis, decimus septimus quinque pedum et decem digitorum, decimus octauus sex pedum et semissis, decimus nonus quinque pedum, [209] et digitorum quattuor, uigesimus sex pedum et semipedis, uigesimus primus<sup>488</sup>, qui initium scapi facit, sex pedum et digitorum quattuor. Infra scapum lapides continent spiram, stylobatem sunt sex, quorum summus altus quaternos pedes et dodrantem, secundus totidem, tertius quattuor pedes, quartus pedes quattuor et semissem, quintus totidem, sextus et infimus quattuor pedes. Singuli supradicti lapides ex se gradus faciunt et ambitum uelut murum distinctum fenestris quinquaginta sex. Gradus autem circiter ducenti triginta tres sunt duorum generum, alii enim per anfractus, alii cochleæ in modum. Stylobates ascenditur quinque anfractibus normatim adsurgentibus. Vnusquisque anfractus areolam unam habet, qua ascenditur ex uno anfractu in alterum. Primus anfractus habet gradus sex, secundus totidem, tertius octo, quartus nouem, quintus totidem. Omnia infimus uicinus limini infero ianuæ, altus digitos decem, largus pedem unum, longus pedes duos et nouem digitos. Similes sunt totius quinti anfractus, cuius area quadrata quoquo uersus lata duos pedes et nouem digitos. Post quinque anfractus est initium scapi, cuius gradus primi alti decem digitos, largi iuxta

486 constitit : consistit *edd.*

487 *Troadenses* : *Troadeas* *edd.*

488 primus : unus 1561.

murulum scapi pedem et dodrantem<sup>489</sup>, in medio pedem<sup>490</sup>, longi pedes duos et nouem digitos, ultimi alti nouem digitos. Scapus columnæ interior habet ambitum uiginti octo pedum. Crassitudo muri, quo uelut thorace gradus clauduntur, est duorum pedum et trium digitorum in ima columna, at in summa pedis et dodrantis. Iam si quis me curiosum dicet, quod singulos lapides mensus sim, curiosorem dicet illum, quem Thucydides probat, quod muri [210] hostilis lateres numerasset, ut altitudinem deprehenderet. Ipse exteriorem ambitum metiri non sum ausus, ne demissum perpendiculum barbari deprehenderent {altitudinem}. Necessa habui intus latens dimetiri interiores singulos lapides, ex quibus in numerum subductis deprehenditur columnæ cochlidis altitudo. Id quod uidetur primum extare supra terram, sunt duo gradus compositi ex multis lapidibus. Deinde sequitur tertius gradus, is est lapis altus tres pedes et quattuor digitos, latus quoquouersum triginta tres pedes et semipedem. Supra lapidem qui efficit tertium gradum stylobates consistit constans quinque lapidibus, quorum <primus> incipiens a limine portæ est altus quinque pedes et semissem, in quo quidem lapide est plinthus planus altus tres pedes quinque digitos, torulus quinque digitos, apophygis cum regula dodrantem, altera regula superior duos digitos, corona scalpta alta dodrantem. Zoophorus<sup>491</sup> egregie scalptus tropæis ex triplici latere, nam latus ad septentriones pertinens, continens portam, non est insculptum. Coronis stylobatica inclinatur uelut tectum, in qua ima est primum regula, deinde astragalus baccatus, tertio loco echinus, quarto astragalus intortus ut funis, reliqua pars usque ad summam curuaturam folia ligata in modum manipulorum, recta quidem et in se curuata uoluta. Stylobates emititt uelut abacum, in quo fasces coronario opere laureati bini in singulis lateribus, quorum maior incuruatur usque ad imam partem abaci. Item in lateribus eiusdem coronati abaci summi exsistunt septem pueri nudi, tenentes fascem laureum. Ex unoquoque abaci angulo eminet aquila. Supra stylobatis [211] abacum coronarium exsistit plinthus columnæ minus projectus foliis adumbratis, supra plinthum torus laureatus alligatus uittis flexuosis. Toro superest apophygis, deinde incipit scapus columnæ scalptus pugnis uariis. Sculptura procedit in modum columnæ quæ Romæ Traiano sacra est, inter elices binas cochleæ more surgentes. Summus scapus, nempe trachelium, est striis rectis distinctus. Capituli ima pars apophygis, deinde echinus, tertio loco abacus projectus extra scapum duos pedes et digitos quattuordecim. Abacus quoquouersus patet in latitudinem decem et septem pedum et dodrantis. Supra abacum exsistit porta et uelut conus columnæ altus portam continens, altior decem pedibus. Hanc Tuscanam columnam dicere possumus, cum basis et capitulum sint elaborata opere Tuscanico.

*De statuis et antiquissimo tripode Apollinis in Xerolopho statutis*  
 CAPVT VIII

SVIDAS scribit Xerolophon primo quosdam Theama<sup>492</sup> appellasse, ex eo quod in eo essent sedecim<sup>493</sup> cochleæ, et Dianæ [...] statua, et Seueri conditoris, et themation tripus. Vbi [...] hostias immolabat Seuerus, ubi multa oracula [...] aliquando edebantur [...], et puella uirgo immolabatur. Priscianus, quem mihi in memoriam reuocauit Benedictus Ægius, antiquitatis

489 et dodrantem : *om. edd.*

490 pedem : pedem et dodrantem *edd.*

491 zoophorus : sophorus *edd.*

492 Theama : Thema *edd.*

493 sedecim : quindecim *edd.*

acer inuestigator, tradit Æoles solitos fuisse *interponere F*, digamma, « *quod ostendunt [...] epigrammata, quæ egomet legi in tripode uetustissimo Apollinis, qui stat<sup>494</sup> in Xerolopho Byzantii, sic scripta, ΔΗΜΟΦΑΓΩΝ ΛΑΓΟΚΟΓΩΝ* ». Item alio loco Æoles « *solent inter duas uocales eius-[212] dem dictionis digamma ponere, quos in multis nos<sup>495</sup> sequimur, ὉΓΙΣ, ouis ; ΔάΓΟΣ, Dauos ; ϖΓόν, ouum [...]. Et quod hoc uerum est ostendunt epigrammata uetustissima, quæ literis antiquissimis scripta in multis tripodibus legi, et maxime in tripode Apollinis, qui est Constantinopoli, in loco quem Xerolophum uocant. Sunt autem scripta sic : ΔΗΜΟΦΑΓΩΝ pro Δημοφόων, ΛΑΓΟΚΟΓΩΝ pro Λασκόών* ». Addunt alii fuisse etiam in Xerolopho iuxta basim columnæ Arcadii columnas Theodosii Minoris, et Valentiniani, et Marciani, quæ terræ motu ceciderunt. Zonaras dicit Simeonem, Bulgarorum principem [...] crudelē et numquam quietum, contra nationem Chrobatorum exercitum duxisse. A quibus cum uictus esset exercitumque amisisset [...] locorum difficultate, interea [...] quidam regi [...] Constantinopolitano significauit statuam supra fornicem in Xerolopho collocatam, spectantem ad solis occasum, designare Simeonem Bulgarum ac, si [...] quis statuæ caput abscinderet, secuturum [...] Simeonis interitum [...]. Itaque regis iussu caput statuæ<sup>496</sup> [...] abscissum est, et [...] interitus Simeonis ex uiolento stomachi dolore [...] cognitus est regi Constantinopolitano diligenter obseruanti illius tempus interitus.

Iam uero portus Theodosiacus fuit in hortis, quos hodie appellant Blancham, muro undique clausis et sitis in maritima Propontidis planicie, subiecta sub radices septimi collis. Cuius ostium uergebat ad solis ortum æstiuum, a quo moles extendebat ad occasum æstiuum, supra quam nunc muri adstructi existunt. Vrbis moles adhuc exstat, larga duodecim pedes, longa sexcentos passus meos, quos conficere soleo in ambulando. Portus obrutus est, latissimos hor-[213] tos habens oleribus consitos, et paucis arboribus, ex quibus, ut Fabius ait, non pendent uela, sed poma. Horti irrigui sunt ex lacubus, quos habent intra se perennes, uestigia nimirum antiqui portus. Cuius circuitum excessisse milliarium ex mole et situ loci deprehendo. In fauibus portus adhuc nauium capacibus extra murum Vrbis etiamnum uidetur turris undique mari circumdata et saxa reliquæ ruinarum.

Scriptor ignotus patriæ Constantinopolitanæ tradit *primo nuncupatum Theama<sup>497</sup>* [...], ubi *cochleas sedecim<sup>498</sup> diximus fuisse [...], deinde forum Theodosiacum appellatum*. Mihi potius uidetur fuisse Arcadiacum, a proxima Arcadii columna. Nam forum Theodosiacum uero proprius uidetur fuisse prope portum Theodosiacum, cum ex architectonica ratione, quæ præcipit forum faciendum esse iuxta portum, tum ex nomine conditoris Theodosii, qui forum suum commodius efficere non potuit quam iuxta sui nominis portum.

Quem arbitror etiam portum Eleutherii prius appellatum fuisse, si uera tradunt, qui dicunt Constantinum Magnum saxa fluctibus obiecerint a mucrone primi collis usque ad portum Sophiæ, et portum Eleutherii conditum a Magno Constantino, præsidente operi Eleutherio patricio, statuamque Eleutherii statutam fuisse marmoream in eo portu, marmoreum calathum ferentem humeris, et palam etiam marmoream tenentem manu ; palatumque Eleutherii [...] aedificasse Irenam [...] eiusque filium Constantinum, atque ab hoc [...] palatio usque ad Amastrianum hippodromum fuisse [...] a Magno Theodosio [...] conditum, quem

<sup>494</sup> stat : extat *edd.*

<sup>495</sup> in multis nos : nos in multis *edd.*

<sup>496</sup> statuæ ... statuæ : columnæ ... columnæ *edd.*

<sup>497</sup> Theama : Thema *edd.*

<sup>498</sup> sedecim : quindecim *edd.*

*euertit [...] Irena.* Zonaras scribit Irenam, cum ab administratione imperii remota [214] fuissest a filio Constantino *in domo sua, quam ædificauerat in Eleutherii partibus* uixisse.

Porticus, quas regionum Vrbis *Descriptio* appellat *Troadenses*<sup>499</sup>, alii uocant Troadesias, qui dicunt Constantinum Magnum *muros promouisse usque ad porticus Troadesias* <et> portam *Auream*, quam continebat duodecima regio. Troadeas appellatas arbitror, quod continerent quidpiam eiusmodi quale Plutarchus tradit continuisse porticum Variam nuncupatam. *Aiunt, inquit, in porticu olim appellata Pisianactia*<sup>500</sup>, *nunc uero Pæcila Polygnotum pictorem Troades*<sup>501</sup> *pingentem Laodicæ faciem in imagine Elpinicæ fecisse.* Hanc<sup>502</sup> ex nomine, quod mutatum est, non agnouissem, nisi ex fonte portæ uicino collegissem, quem etiamnum appellant Χρυσοπήγην, a porta Aurea nomen retinentem. Is adhuc perennis scaturit, et religiose bibitur a Græcis, qui omnes fontes iuxta templa sitos sacros habent et nominant. Iam templum non exstat, quod Procopius describit. Duo templa, inquit, Deiparæ Iustinianus *construxit ante muros Vrbis, unum in regione appellata Blachernis [...], alterum in loco nominato Πηγῆ [...], ubi est silua magna cupressorum et pratum [...] floridum, hortusque tempestiuos et formosos fructus producens, et fons sine strepitu emittens aquam quietam et potabilem [...]. Hæc quidem [...] templa ante muros Vrbis fecit, illud quidem [...] ad litus maris, alterum prope portas Aureas nuncupatas [...].* Quæ quidem templa addit Procopius *circa finem murorum esse, ut ambo sint inexpugnabilia [...] Vrbis præsidia.* Ex quibus coniicio tempore Iustiniani angulum Vrbis, quem uocant Septem Turrium, non fuisse intra Vrbem, sed murum terrestrem a porta Aurea angu-[215] lum fecisse Vrbis longe interiorem, ut ex Studio monasterio colligere licet suburbanò olim, quod nunc intra Vrbem penitus, quam angulus Septem Turrium. Idem Procopius ait Iustinianum, *ingredienti portam [...] Auream a sinistra*<sup>503</sup> *parte, templum Diue Hiæ [...] uetustate collapsum ingenti sumptu restituisse.* Iam non modo ex antedictis portam Auream adsequor uicinam fuisse septimo colli nuncupato Xerolopho, uerum etiam ex Zonara, qui tradit regnante Leone *multa templa multasque domos terræ motu cecidisse [...], Arcadiique statuam in columna Xerolophi positam [...], et in porta Aurea Theodosii maioris statuam [...], et muros Vrbis pertinentes ad continentem campestrem.* Cedrenus ait eodem terræ motu *ad portam Auream [...] cecidisse Victoriae statuam.* Alii addunt eodem terræ motu *septimo kalendas Nouembris [...] facto [...] ædificia sacra profanaque permulta cecidisse [...], populumque multum extinctum fuisse, et simulacrum, quod stabat supra Attali portam Magni Constantini, una cum ipso Attalo <cecidisse>.* Longe igitur errant, qui putant portam Auream esse, quam nunc Oriam uocant, sitam in parte Vrbis septentrionali, quam ante dixi portam Neorii, cum ex antescritis liqueat esse in parte Vrbis uergente ad solis occasum hibernum<sup>504</sup> portam Auream, tum ex antiqua Vrbis *Descriptione* regionum. Quæ tradit *longitudinem Vrbis a porta Aurea usque ad litus maris directa linea pedum quattuordecim septuaginta quinque* continere. Cedrenus tradit *elephantos* collocatos *in porta Aurea similes esse [...] illis, in quibus olim Theodosius sedens Vrbem ingressus est.* Quibus adiungunt horum *elephantorum*

499 *Troadenses* : *Troadeas* *edd.*

500 *Pisianactia* : *Plesiactia* 1561.

501 *Troades* : *Troadeas* *edd.*

502 *Hanc* : *nunc* *edd.*

503 *sinistra* : *dextra* *edd.*

504 *hibernum* : *æstuum* *edd.*

*statuas in Aurea porta [...] statutas ex æde Mar-[216] tis Atheniensis deportasse Theodosium Paruum, qui construxit [...] Vrbis muros usque ad Blachernas.*

Cedrenus dicit regem Macedonium ædificasse *magnum templum Mocii martyris [...] et ædem Diuæ Annæ in loco appellato Secundo*. Procopius scribit hoc utrumque templum Iustinianum ædificasse. Vidi reliquias templi Mociani prope cisternam sitam in dorso septimi collis, amplam, non minorem, quam ante scripsi construxisse Iustinianum, neque paucioribus columnis sustentatam. Quibus nunc spoliata spectatur, solum nomen retinens, Mocia enim nominatur, quam non modo historici, sed etiam grammaticus Suidas dicit Anastasium Dicorum condidisse.

Vide an moneta, quam in hac regione ponit antiqua regionum *Descriptio* sit ædes Iunonis Monetæ, an Ærarium, nam Reges etiam hodie in regione septimi collis dicuntur castello Septem Turrium uti pro Ærario. Suidas adfert *statuam [...] Iunonis sustinuisse æreum forficem ad similitudinem forficis capillos tondentis*, sed in quo loco non explicat. Itaque ea, quæ adduxi de moneta, sint obiter dicta.

*De columnis quæ nunc exstant in colle septimo*  
CAPVT IX

ÆDES sacra Studios appellata ab Studio principe ciue Constantinopolitano. Is, ut ait Suidas, hanc *condidit* cum *illustri monasterio*. Studii meminit Iustinianus in *Nouis Constitutionibus*, cum ait *duas [...] lecticas*, quibus mortui efferuntur, *in sacro thesauro sitas [...] Studii præclaræ memoriae, et Stephani magnificæ memoriae*. Studium intellegit monasterium ita [217] nuncupatum, quod nunc non exstat. Ædes exstat translata in religionem Mametanam. In cuius uestibulo sunt quattuor columnæ cum trabeatione egregie elaborata. In interiori parte ædium utrimque columnæ sunt septem uirides, nigris maculis uelut fragmentis alterius generis lapidum insertis distinctæ. Quarum perimeter est sex pedum et sex digitorum. Denique earum ratio capitulorum, epistyliorum opere Corinthio elaborata eadem est, quæ columnarum uestibuli. Supra illas septem<sup>505</sup> existunt totidem columnæ in parte ædis superiore. In area aedis Studianæ est cisterna, cuius lateritias cameras sustinent uiginti tres columnæ excelsæ Corinthiæ. Extra Vrbem fuit monasterium Studianum olim, nunc est intra Vrbem, iuxta uiam qua itur ex columna Arcadii ad portam Septem Turrium.

Quas claudit murus Vrbis habens portam nunc obstructam, olim patentem. Cuius parastades sunt duæ columnæ Corinthiæ marmoris maculosi, uenis uiridibus distincti, sustinentes octo columellas efficientes tres arcus. In latere portæ sinistro existunt sex tabulæ marmoreæ, singulæ habentes latera clausa columellis aliis teretibus, aliis quadratis, continentes statuas eminenter expressas adfibre scalptas, nudas, clavis pugnantes. Quarum superiores habent supra se Cupidines uelut præcipites ad uolandum. In latere dextro sunt item sex tabulæ cinctæ similiter columellis. In prima tabula inferiori iuuenis tenens organum musicum iacet supinus, tibiis implexis ; supra ipsum impendet imaguncula uelut Cupido, supra Cupidinem mulier. In tabula superiore est statua nuda tenens clauam erectam, pelle leonis brachio inuoluto, canes ducens manu sinis-[218] tra ; supra ipsam eminent leæna turgens uberibus. Alia tabula continet duos agricolas ferentes calathos uuis plenos. In alia tabula est equus<sup>506</sup> alatus, equi frenum retinet mulier ; a tergo sunt mulieres duæ. In summa parte tabulæ, alia mulier recubat, e regione huius iacet iuuenis. Hæc addidi ob tabularum antiquum opus summo artificio factum.

---

505 septem : sex *edd.*

506 equus : eques *edd.*

Præterea uidi in septimo colle cum alias Mameticas ædes, tum quattuor præcipuas habentes uestibula marmorea columnis marmoreis ornata, duas quidem in latere orientali. Quarum una habet sex columnas in uestibulo bene proceras et crassas, duas quidem marmoris Thebæi, quattuor uero obscure uirentes marmoris miscellanei. Altera est prope columnam Arcadii nuper facta ab uxore Soleimani regis cum xenodochio luculento et gymnasio profitentium literas Turcicas et Arabicas, in quibus numeraui plusquam sexaginta columnas uarias. In dorso collis spectantur aliae duæ ædes, quarum una habet balnea adiuncta et gymnasia literaria. In ædis uestibulo sunt sex columnæ Thebaici marmoris, quarum ambitus est septem pedum, et uelut calcaneum æreum, bases quidem et capitula Turcico labore exculta ; sed scapi antiquissimi, præsertim duarum cingentium aditum ædis, habentium hypotrachelium subtilius reliquo scapo. Hypotrachelii ima pars æqualis scapo habet annulum teretem, supra annulum est alter annulus latus depresso. Deinde superest hypotrachelium depresso reliquo scapo, ut est hominis collum subtilius inter caput et thoracem. Nullamque uidi aliam Byzantii habentem hypotrachelium tantopere accedens ad ratione Vitruvii, tradentis hy-[219] potrachelium columnæ Doricæ contrahendum, *ita uti<sup>507</sup> in tertio libro de Ionicis est scriptum.* Alia ædes Mamehana est in eodem colle, in cuius uestibulo sunt sex columnæ bene excelsæ. In gymnasii atrio sunt quattuordecim, totidem in porticu uicina.

*De regione tertiadecima Vrbis Sycena appellata, et de oppido Galata, siue Pera*  
 CAPVT X

GALATAM oppidum fuisse partem Constantinopolis ostendit antiqua *Descriptio regionum*, Nouæ, inquit, Romæ *tertiadecima regio Sycena est*<sup>508</sup>, *que sinu maris angusto diuisa societatem Vrbis nauigiis frequentibus promeretur, tota lateri montis adfixa præter unius plateæ tractum.* Stephanus ait *urbem Sycas contra Nouam Romanam [...] esse sitas, appellatas sua ætate Iustinianas*, cur autem ita apppellarentur non explicat. Sed si ex eo quod Iustinianus eas ædificiis ornarit, aut collapsas restituerit, his enim de causis urbes solent mutare nomina. Miror Procopium non meminisse horum ædificiorum, cum totius sinus Cornu nuncupati ædificia a Iustiniano ædificata uel restituta exacte describat. Nisi fortasse erratum sit in Procopio scribente Iucundianas pro Iustinianis, cum ait *regias [...] suburbanas Iustinianum renouasse in Heræo*<sup>509</sup> [...] loco, et loco *quem Iucundianas uocant*. Aut si in Procopio mendum non est, erratum uideri potest in Stephani codice habente Iustinianas pro Iucundianis. At Stephanus longe ante Iustinianum scripsit, itaque, si uitium est, Stephani non est, sed Hermolai grammatici *Constantinopo-[220] leos, qui Commentaria Stephani [...] redegit in epitomen, quam Iustiniano dedicauit*. At uero Iustinianæ<sup>510</sup> potius, quam Iucundianæ nominandæ uidentur Sycæ ex collatione multorum codicum non modo Procopii, sed etiam Iustiniani, editorum et manuscriptorum. Iustinianus in suis *Nouis Constitutionibus* illud, inquit, *manifestum est, si maius interuallum sit, et plures sint decani feretro inseruientes, et plures scholæ propter [...] feretri pondus, pauxillum quiddam ipsis dandum esse.* Deinde paulo infra addit sibi similiter uideri, si funus *effertur intra nouos Vrbis muros et [...] traiectum τῶν Ἰουστινιανῶν ἥτοι Συκῶν*, hoc est Sycarum, siue Iustinianarum, *quoniam non longe distant, neque opus est maiore tempore aut labore ad illuc proficiscendum. Sin*

507 uti : ut *edd.*

508 Sycena est : est Sycena *edd.*

509 Heræo : æreo *edd.*

510 Iustinianæ : Iustinianeæ *edd.*

*autem extra [...] muros huius felicis Vrbis funus ducitur, siue ultra alios traiectus, quam traiectum Sycenum, funus effertur, prætero cetera. Vbi aduerte πέραμα<sup>511</sup>, Latine uertendum esse *traiectum*, non autem *terminum*, ut habet Latina interpretatio. Ex antedictis patet oppidum Sycas nominatas esse trans sinum et contra Constantinopolim, sed contra quam Constantinopolis partem non declarat Stephanus, at ex antiqua regionum Vrbis *Descriptione* adsequor, tradente regionem sextam *a foro [...] Constantini [...] usque ad traiectum Sycenum porrigi*, hoc est Peræum, siue Galatinum, nunc appellatum. Et ne uidetur contemnere recentes, adferam ex his nonnullos, qui tradunt Apsimarum ducem hostium obsidentium Constantinopolim se recepisse in portum Sycæ, sitæ e regione Constantinopolis. Euagrius scribit *capita Longini et Theodori a Ioanne Scytha Constantinopolim missa [...] [221] ex contis appensa, ad nuncupatas Sycas in ulteriore litore opposito Constantinopoli sitas, regis iussu erecta fuisse, iucundum spectaculum Byzantinis*. Idem addit *Vitalianum [...] usque ad nuncupatas Sycas incursiones fecisse [...]*. Contra quem habentem *in Sycis [...] stationem, mittitur a rege Anastasio Marinus Syrus [...] pugnaturus. Ambæ igitur classes se præparant, una ad puppim Sycas, altera Constantinopolim habens. Primum remos inhibebant, deinde post [...] excursiones et leues pugnas utrimque factas, prælium nauale [...] commissum est circa loca appellata Bytharia [...]*<sup>512</sup>. In fugam se coniecit<sup>513</sup> Vitalianus, magna ex parte virium suarum [...] amissa, ut nemo hostium [...] deinde in Bosporo inueniretur. Nec me mouet Strabo, qui uidetur extra sinum Sycam ponere. *Ex promunturio, inquit, fretum Bosporum in quinque stadia stringente, usque ad portum sub Syca [...] positum, esse triginta quinque stadia [...] ex Syca ad Byzantiorum cornu quinque stadia*. Quæ non discrepant ab his quæ ante dixi, si intellegerer Byzantiorum cornu, ut Plinius intellegit, promunturium ipsum Bosporum, in quo Byzantium situm est. At Strabo declarat statim *subdens Cornu esse sinum [...] longum sexaginta stadia*. Itaque aut erratum esse codicis Straboniani arbitror, aut ipsum Strabonem errare cum ex ante scriptis, tum maxime ex Dionysio Byzantio antiquiore et suæ patriæ scriptore, tradente Sycodem locum esse iuxta sinum Cornu appellatum, in eo loco ubi hodie exstat Galata, ut planius declaraui in *Bospori circumnauigatione*. Longe etiam errant Perotini, qui dictitare solent Ianuenses primos conditores esse Peræ oppidi, cum multis ante seculis condita fuerit, quam Ia-[222] nuenses emissent, uel nauatae in bello operæ loco mercedis accepissent ab imperatore Constantinopolitano ; cum Iustinianus ponat Sycas intra Vrbis muros, et Agathias muris clausas tradat, cum ait aduentu hostium *tantum [...] terrorem iniectum fuisse ciuibus Constantinopolitanis, ut [...] Iustiniani regis milites armati [...] insisterent muris Sycarum [...] ut prompte obsistere hostibus possent*. Quid quod Stephanus Sycas appellat urbem, quam postea recentes scriptores, sed antiquiores quam Ianuenses Galatam accepissent, castellum Galacticum uocant, tradentes classem Saracenorum *stationem a Magnaura ad Cyclobion habuisse ; post autem duos dies cum [...] uehemens uentus flaret [...] ad castellum Galatam usque ad Clidion appulsam [...] partem classis exustam fuisse igne, quem imperator [...] ex Acropoli iaculaetur ? Zonaras narrat Michaelem imperatorem, cum terra et mari obsideretur, in hanc desperationem uenisse, ut [...] catenam contenderet ab Acropoli ad oppidulum in contrario litore positum*. Adhuc Galatæ porta est, quæ appellatur Catena, ex eo quod ab Acropoli usque ad eam portam catena extenderetur. Auctam uero a Ianuensibus non semel sed iterum, ostendunt muri saepius promoti, adhuc exstantes ab oriente duplices, ab occasu triplices, designantes uaria urbis incrementa. Iam uidere licet antiquas Sycas in media Galata muris clausas, sitas contra regionem sextam et traiectum Sycenum,*

511 πέραμα : πέρασμα *edd.*

512 Bytharia : Vitharia *edd.*

513 coniecit : coniessit 1561.

*totas adfixas lateri montis, quales describit regionum libellus Vrbis, præter unius plateæ tractum, quam subiacientium eidem monti<sup>514</sup> litorum tantum præstat æqualitas.* Oportuit hanc plateam latam fuisse cen-[223] tum passus Romanos, nam tanta hodie superest inter montem et sinum planities, et maior fortasse, quoniam tot post annos dilatata fuerit, ut quotidie uidemus excrescere ex projectione purgamentorum. Quæ, ut desideant in profundum, retinentur sublicis arcas ligneas stabilientibus, quas fistucis defigunt incolæ studio augendæ planitiei<sup>515</sup> litoralis et oræ maritimæ efficiendæ propius portuosæ. Verum ut planius intellegatur ubi olim Sycena regio fuerit, Galatæ situm ut nunc est describam.

*Descriptio Galatae, et de templis Amphiarai, et Dianæ et Veneris, et theatro Syceno, et foro Honoriano*  
 CAPVT XI

SYCENA regio iam uulgo nominata Galata, siue Pera, rectius nominanda Peræa, ut Iosephus Iudæam Transiordanam nominat Peræam, et trans Euphratem Strabo regionem appellat Peræam. Cur autem appelletur Galata, Constantinopolitani omnes iam prædicant, ex eo quod illic olim lac uenderetur aut mulgeretur, decepti nominis adlusione. Nec dubito, si scirent Galatam appellatam olim Sycam, quin etiam auderent eam dicere a ficuum lacte ita appellatam esse ! Suamque tum aberrationem a uero tueri possent auctoritate Dionysii Byzantii, scribentis Sycam appellatam *a multitudine et pulchritudine arborum* ficuum ibi prouenientium. Quanto rectius coniectassent, si a Galatis populis eam Galatam nominatam fuisse arbitrati essent, adducti Ioannis Tzetzæ ciuis Constantinopolitani et diligentis grammatici *Varia Historia* ab-[224] hinc fere quadringentos annos conscripta. Quæ tradit Brennum Gallum ducem Gallorum, quos Græci Galatas appellant, *profectum Byzantium illinc traiecerisse, indeque Byzantii locum appellatum fuisse Peram ex traictione Galatarum*, a quibus postea arbitror etiam Galatam appellatam. Hæc autem sita est partim in colle, partim in planicie subiecta sub ipsum collem. Quem duæ ualles efficiunt, una ab oriente, altera ab occidente, utraque longa circiter unum miliare. Collis dorsum procedit a septentrione ad meridiem, latum ubique non minus ducentis passibus, tam longum quam ualles quibus utrimque clauditur. Deinde coniungitur cum reliqua continentis planicie. Collis meridianum latus et planitem sub ipsum subiectam continentis Galatam, circumscribit sinus Ceratinus, isthmumque et peninsulam fere semicirculam efficit ; ut si lineam duceret ab ore et fauibus sinus ad medium recessum, quem sinus Ceratinus insinuat in uallem quæ collem Galatinum ab occasu claudit, inclusum uideres intra semicirculum, quem designaret ducta linea, Galatam accendentem ad figuram arcus intenti, nisi eius cornu uergens ad occasum dimidio largius quam orientale esset, et minus longum. Galatæ circuitus muro circumdatus patet quater mille et quadringentos passus, latitudo uaria. Nam media est sexcentorum passuum, quorum uiginti intercedunt inter sinum et muros. Iam uero planities procurrrens inter sinum et collem dilatatur in centum octoginta passus, cliuus uero in quadringentos. Latus Galatæ orientale patet in latitudinem primo quadringentorum passuum, deinde contrahitur in ducentos sexaginta passus. Latus [225] pertinens ad occasum, extra ueterem Galatam situm, habet mollem cliuum et fere totum ad meridiem tendentem, præter exiguum proclivitatem subsidentem ad solis occasum iuxta muros ueteris Galatæ sitam. Cliui enim collis Galatini dupli deuexitate inclinantur, una in ualles, altera in sinum. Vnde fit, ut urbs sit prona triplici proclivitate, una a septentrionibus ad meridiem, altera ad ortum solis, tertia ad occasum. Declivitas per medium

514 quam subiacientium eidem monti : quem subiacientium eumdem montem *edd.*

515 planitiei : planicie 1561.

Galatæ latitudinem decurrens tendit a septentrionibus ad meridiem, ita prona, ut in multis locis cliui gradibus moliantur, ut domus ex parte infera scalis descendantur, ex supera adeantur plano pede usque ad primam contignationem. Latus uero tam uergens ad solis ortum quam ad occasum duplēcē deuexitatem habet, unam a septentrionibus ad meridianum cardinem, alteram ad orientem aut occidentem, ut non modo uiæ rectæ, sed etiam transuersæ procliuitatem habeant, sed orientale latus procliuius in utramque deuexitatem. Occidentale molles cliuos habet tam rectos quam transuersos. Denique Galata sic prona est ut, si eadem altitudine omnes domus essent, superiores contignationes aspectu maris fruerentur, ex eisque uelut ex theatris naues ultra citraque traientes spectarentur. Neque modo Galata, sed tota fere Constantinopolis maris aspectu frueretur, si lex a Zenone constituta et a Iustiniano sancita seruaretur, iubens *intra centum passus* neminem posse Constantinopoli *impedire maris aspectum*, neque *rectum*, neque *obliquum*. Plana urbis pars discurrens inter imos collis cliuos et sinum, nusquam minus stricta ducentis passibus, in cornibus largior est, et [226] quidem alicubi patet in longitudinem quadringentorum passuum. Oppidum triplo longius quam latius latitudo tendit a septentrionibus ad meridiem, longitudo ab oriente ad occasum, latus occidentale latius quam orientale et fere eadem latitudine qua media urbs, nam per longitudinem quingentorum passuum nusquam minus lata quingentis passibus. Orientale latus contrahitur molliter, quoad eius extremitas in formam cunei reducitur, ubi lata est ducentos sexaginta passus. Totum litus, quod circuit Galatam, portuosum est, naues admittens usque dum contingent oram maritimam. Inter moenia et sinum intermissum est spatium, ubi tabernæ et officinæ mercatorum et cauponæ frequentes, et uacua interualla ad exonerandas naues. Portas habet maritimas sex, quarum tres traiectum frequentem habent ad Constantinopolim. Ita enim contra Constantinopolim iacet Galata a septentrionibus, ut primo, secundo, tertio collibus et ualli primæ et secundæ Constantinopolitanis sit aduersa, præ se habens sinum et Constantinopolim, a tergo suburbana ædificia. Nam supra Galatam multæ domus suburbanæ partim in collis Galatini dorso, partim in eius lateribus triplicibus, nam Galata non adtingit summum uerticem collis. Immo ex summa urbe, ubi est excelsissima turris, adhuc restat extra urbem ascensus trecentorum circiter passuum, plenus<sup>516</sup> ædificiis. Inde iugum planum tendens a meridie ad aquilonem, largum circiter ducentos passus, longum duo milia passuum, per quod medium discurrit uia lata, utrimque ædificiis cincta, hortorum et uinetorum. Neque est ulla pars amœnior, ex qua eiusque lateribus ui-[227] detur sinus Ceratinus, et Bosporus, et Propontis, et septem colles Constantinopolis, et Bithynia, et semper niuosus Olympus. Denique ædificia non modo in colle Galatino, sed etiam in collibus et uallibus circumuinicinis sitis in litore Galatino posito contra Constantinopolim, tot colles et ualles habente quot Constantinopolis, ut iam longe dimidio maiorem, quam sit Galata, urbem efficere possent. Ac si centum annos felicitas imperii Byzantini durauerit, altera Constantinopolis futura est Galata.

Qui scribunt Byzantem conditorem Byzantii *templum Amphiarai [...] ædificasse in [...] Syca*, aberrant quidem a rei ueritate, sed non procul. Nam Dionysius Byzantius tradit post locum Sycenum fuisse templum Amphiarai ædificatum a coloniæ deductoribus, quorum princeps erat Byzas. Amphiaraum cum ceteri Græci, tum Megarenses honorabant, deum ut haberent. Sed Amphiarai templum, etsi non esset in loco quem Dionysius appellat Sycenum, tamen eius appellatio dilatata fuit, postquam Sycena urbs condita fuit, ut etiam intra Sycas Amphiarai, et Dianæ Luciferæ, et Veneris Placidæ templa inclusa fuerint, ut plane demonstrauit in tractatione *Bospori*. Sed horum iam nulla restant uestigia, neque illorum quæ tradit antiqua regionum Vrbis *Descriptio* in regione Sycena fuisse. Neque hominum ullorum memoria uiuentium recordatur uestigiorum, ubi illa fuerint. Immo non modo eorum

---

516 plenus : plenum *edd.*

memoriam, sed ne nomen quidem Sycenæ regionis quisquam iam, qui uel audierit, uel legerit, reperitur. Theatrum tamen et forum Honorianum dumtaxat ex architectonica ratione coniicere licet, fuisse illud quidem in [228] imis cliuis, ut solent esse omnia theatra, quorum uestigia uidi in Græcia, forum uero in planicie uicina portui. Vbi nunc xenodochium ædificatum est in fundamentis templi Diui Michaelis, quod integrum exstabat cum uenissem Byzantium. Eoque aquæ uberiores adductæ sunt inuentis cuniculis antiqui aquæductus subterranei. Denique, nihil antiquæ Sycenæ iam apparet, nam columnæ, quæ antiquæ uisuntur in aliquot templis Galatinis, a Ianuensibus foris exportatae dicuntur, quorum nonnullæ antiquo opere elaboratæ sunt. Cisterna Diui Benedicti spoliata cameris et columnis circiter trecentis concamerationem sustinentibus, conuersa in hortorum culturam iam alentium templi æditimum, indicat opus fuisse antiquæ opulentia.

## [CONCLUSION]

Ex ante scriptis cognoscere potes, quæ monumenta Constantinopolis olim habuerit. Quæ uero ædificia publica nunc habeat a Turcis, et qua ratione sint nonnulla a Turcis ædificata, separato uolumine essent tractanda. Nunc summatim pauca exponam. Ædes Mametanas continet plus trecentas, quarum sumptuosissimæ a Regibus et Regum purpuratis ædificatæ, sed omnes tectæ plumbeis tegulis, marmoribus et columnis marmoreis ornatæ ex spoliis Christianarum ædium, ut hæ prius ornatæ fuerant ex ueterum deorum spoliis. Balnea et thermas habet publicas supra centum, quarum quinquaginta magnæ et geminæ, et fere tales quales descripsi a Mametho Rege ædificatas. Xenodochia et publica hospitia longe supra centum habet, quorum illustria aquas salientes in medio atrio habent ex agris suburbanis ductas. Sed præcipue excellunt Reges Turcorum in aquis ducendis [229] intra Vrbem. Eusebius quidem laudat Constantinum. *In mediis, inquit, foris uideas [...] fontes Boni Pastoris insignia habentes, his, qui sacras literas norunt, explorata, Danielem [...], scilicet et leones, ex ære factos laminis aureis fulgentes.* Valens et Andronicus magnis sumptibus flumina procul ab Vrbe perduxerunt, partim arcubus adhuc exstantibus supra terram, partim opere subterraneo. Ceterique reges ingentes piscinas et lacus subterraneos, quos cisternas posteritas appellauit, permultas in omni Vrbis regione, ingentibus sumptibus ædificarunt, metuentes obsidionem a uicinis hostibus. At Turcica Constantinopolis iam adeo longinquos habet hostes, ut cisternas, aut diruat<sup>517</sup>, aut in alios usus conuertat quam aquarum, atque copia aquarum salientium fruitur perducta<sup>518</sup> ex omni agro suburbano, etiam longe remoto. Nullum enim est celebre templum, nullum xenodochium, nullum publicum hospitium, nullæ thermæ nobiles, quæ non habeant aquas salientes in media area. Prætero bassarum, ceterorumque purpuratorum domos. Omitto Regem ipsum, cuius claustrum, occupans uetus Byzantium, passim perennes fluuios habet, longe extra Vrbem adductos. Prætero lacus et castella ubique in foris, in uiis creberrima, non modo largos potus largientia, sed etiam ex usibus hominum exeuntia. Immunditias Vrbis in mare euerrunt, et impuriorem spiritum et causas grauioris cæli auferunt, quibus urbes haberi solent infames. Prætero nunc narrare, ut omnia ædificia Constantinopolitana sint facta ex ruinis incendiorum, terræ motuum, humilia ut non multa habeant duas contignationes, lapide cæmentitio aut latere non [230] modo cocto, sed etiam crudo refecta. Excipio domos Galatæ a Ianuensibus conditas, et domos aliquot purpuratorum Regionum. Christiani Græci suas sexcentas ædes sacras amiserunt, ex quibus nullam retinent nobilem præter ædem monasterii, ubi habitat patriarcha. Reliquæ aut funditus euersæ, aut in usus religionis Mametanæ conuersæ sunt. Nam quas habent ædes iam sacras circiter septuaginta obscuræ sunt. Franci circiter decem habent, Armenii septem, Iudæorum uero synagogæ plusquam triginta, uix capientes multitudinem maximæ nationis. Ex ante scriptis facilius fortasse cognoscetis absens monumenta antiqua, quæ tradit antiqua regionum Vrbis *Descriptio*, quam sine his præsens uideas Constantinopolim, quod experietur qui similia inuestigare post me conabitur. Quod ut quiuis promptius possit, adiungam statim *De regionibus Nouæ Romæ Constantinopolitanæ*, incerto auctore, sed illo tamen antiquo, libellum scriptum ante Iustiniani tempora.

### *Regio prima*

*PRima regio [...] continet [...] domum Placidiæ Augustæ, domum nobilissimæ Marinæ, thermas Arcadianas, uicos siue angiportus uiginti nouem, domos centum decem et octo,*

---

517 diruat : diruant *edd.*

518 perducta : perducti *edd.*

*porticus perpetuas duas, balneas priuatas quindecim, pistrina publica quattuor, pistrina priuata quindecim<sup>519</sup>, gradus quattuor, curatorem unum, qui totius regionis sollicitudinem gerat, uernaculum unum, uelut seruum in omnibus et internuntium regionis, collegiatos uigintiquinque e diuersis corporibus ordinati, qui incendiorum solent casibus subuenire, uicomagistros quinque, quibus per noctem [231] tuendae Vrbis cura mandata est.*

Quos P. Victor, ac siue Sextus Rufus, uernaculos uocat {fuisse} in antiqua Roma, hic in Noua Roma appellat *denuntiatores*. Collegitorum non meminit, neque Rufus, neque Victor. Omnes meminerunt uicomagistrorum, quos distinxisse uidetur Constantinopolitana *Descriptio* in collegiatos et uicomagistros. Latinius quidem uicorum magistri appellarentur, ex inscriptione adhuc exstante in Capitolio antiquæ Romæ :

IMP. CÆSARI DIVI  
TRAIANI PARTHICI FIL.  
DIVI NERVÆ NEPOTI  
TRAIANO HADRIANO  
AVG. PONTIF. MAXIMO  
TRIBVNIC. POTEST. XX  
IMP. II. COS. III. P. P.<sup>520</sup>  
MAGISTRI VICORVM VRBIS  
REGIONVM<sup>521</sup> XIII

### *Regio secunda*

*SECunda regio ab initio Theatri Minoris post æqualitatem sui latenter molli subleuata cliuo, mox ad mare præcipitiis abrupta descendit. Continet in se Ecclesiam Magnam, Ecclesiam Antiquam, Senatum, Tribunal purpureis gradibus exstructum, thermas Zeuxippi, Theatrum, Amphitheatrum, uicos siue angiportus triginta quattuor, domos nonaginta et octo, porticus magnas quattuor, balneas priuatas tredecim, pistrina priuata quattuor, gradus quattuor, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos triginta quinque, uicomagistros quinque.*

[232]

### *Regio tertia*

*TERTia regio plana quidem in superiore parte, utpote in ea Circi spatio largius<sup>522</sup> explicato, sed ab eius extrema parte nimis prono cliuo mare<sup>523</sup> usque descendit. Continet in se eundem Circum Maximum, domum Pulcheriae Augustæ, portum Nouum, porticum semirotondam quæ ex similitudine fabricæ Sigma Græco uocabulo nuncupatur, tribunal fori Constantini, uicos septem, domos nonaginta quattuor, porticus magnas quinque, balneas priuatas undecim, pistrina priuata nouem, gradus decem<sup>524</sup>, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos uiginti et unum, uicomagistros quinque.*

---

<sup>519</sup> pistrina priuata quindecim *om.* 1561.

<sup>520</sup> Cos. III. P.P. : con. III. P. *edd.*

<sup>521</sup> Vrbis regionum *om.* 1561.

<sup>522</sup> largius : longius *edd.*

<sup>523</sup> mare : mari 1561.

<sup>524</sup> gradus decem : *om. edd.*

*Regio quarta*

*REgio quarta a milliario Aureo, collibus dextra lœuaque surgentibus, ad planitem usque ualle ducente perducitur. Continet in se idem milliarium Aureum, Augustæum, Basilicam, Nymphæum, porticum Fanionis, Liburnam Marmoream, naualis uictoriæ monumentum, ecclesiam, siue martyrium, Sancti Menæ<sup>525</sup>, stadium<sup>526</sup>, scalam Timasii, uicos triginta quinque, domos trecentas septuaginta quinque<sup>527</sup>, porticus magnas quattuor, balneas priuatas septem, pistrina priuata quinque, gradus septem, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos quadraginta, uicomagistros quinque.*

*Regio quinta*

*REgionis quintæ non modica pars in obliquioribus posita locis planitie excipiente producitur<sup>528</sup>, in qua necessaria ciuitatis<sup>529</sup> ædificia continentur. Continet in se thermas Honorianas, cisternam Theodosianam<sup>530</sup>, [233] Prytaneum, thermas Eudocianas<sup>531</sup>, Strategium in quo est forum Theodosiacum et obeliscus Thebæus quadrus<sup>532</sup>, horrea olearia, Nymphæum, horrea Troadentia<sup>533</sup>, horrea Valentiaca<sup>534</sup>, horrea Constantiaca. Portum habet Prospchorianum<sup>535</sup>, scalam Chalcedonensem, uicos uiginti tres, domos centum octoginta<sup>536</sup> quattuor, porticus magnas septem<sup>537</sup>, balneas priuatas undecim, pistrina publica septem, pistrina priuata duo, gradus nouem, macellos duos, curatorem unum, uernaculum unum<sup>538</sup>, collegiatos quadraginta nouem, uicomagistros quinque.*

*Regio sexta*

---

525 Menæ : Memnæ 1561.

526 stadium : stadia *edd.*

527 domos trecentas septuaginta quinque : *om. edd.*

528 producitur : perducitur 1561.

529 ciuitatis : ciuitati *edd.*

530 Theodosianam : Theodosiacam *edd.*

531 Eudocianas : Eudoxianas 1561.

532 quadrus : quadratus *edd.*

533 Troadensia : Croadentia 1561.

534 Valentiaca : Valentiniana *edd.*

535 Prospchorianum : Probosphorianum *edd.*

536 octoginta : octuaginta *edd.*

537 septem : quatuor *edd.*

538 uernaculum unum : *om.* 1561.

REgio sexta, breui peracta planicie, reliqua in deuexo consistit, a foro namque<sup>539</sup> Constantini scalam usque, siue traiectum Sycenum, porrigitur spatiis suis. Continet in se columnam purpuream Constantini, Senatum eiusdem loci, Neorium portum, scalam Sycenam, uicos uiginti duos, domos quadringentas octoginta<sup>540</sup> quattuor, porticum magnam unam, balneas priuatas nouem, pistrinum publicum unum, pistrina priuata decem et septem, gradus decem et septem<sup>541</sup>, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos quadraginta nouem, uicomagistros quinque.

#### Regio septima

REgio septima in comparatione superioris planior, quamuis et ipsa circa lateris sui extremitatem habeatur<sup>542</sup> in mare declivior. Hæc a parte dextra columnæ Constantini usque ad forum Theodosii continuis extensa porticibus, et de latere aliis quoque pari ratione porrectis, usque ad mare uelut seipsam inclinat et ita [234] deducitur. Habet autem in se ecclesias tres, hoc est Irenen, Anastasiam<sup>543</sup> et Sancti Pauli, columnam Theodosii intrinsecus usque ad summitet gradibus peruiam, equites magnos duos, partem eiusdem fori, thermas Carosianas, uicos octoginta quinque, domos septingentas undecim, porticus magnas sex, balneas priuatas undecim, pistrina priuata duodecim, gradus sexdecim, curatorem unum, uernaculum unum<sup>544</sup>, collegiatos octoginta, uicomagistros quinque.

#### Regio octaua

OCtaua regio ex parte Tauri, nulla maris uicinitate contermina, angustior magis quam lata, spatia sua in longitudinem<sup>545</sup> producta compensat. Continet in se partem fori Constantini, porticum sinistram Taurum usque, Basilicam Theodosianam, Capitolium, uicos uiginti unum, domos centum octo, porticus maiores quinque, balneas priuatas decem, pistrina priuata quinque, gradus quinque, macellos duos, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos decem septem, uicomagistros quinque.

#### Regio nona

REgio nona prona omnis et in notum deflexa extensi maris litoribus terminatur. Continet in se ecclesias duas, Cænopolim et Homonæam, horrea Alexandrina, domum nobilissimæ Arcadiæ, thermas Anastasianas, horreum Theodosianum, uicos sexdecim, domos centum et sexdecim, porticus maiores duas, balneas priuatas quindecim, pistrina priuata quindecim, [235] pistrina publica quattuor, gradus quattuor, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos triginta octo, uicomagistros quinque.

---

539 foro namque : foroque *edd.*

540 octoginta : octuaginta *edd.*

541 gradus decem et septem : *om. 1561.*

542 habeatur : habeat *edd.*

543 Anastasiam : Anastasianam *edd.*

544 uernaculum unum : *om. edd.*

545 longitudinem : latitudinem 1561.

### *Regio decima*

REgio decima in aliud ciuitatis latus uersa<sup>546</sup>, a nona regione platea magna, uelut fluuiio interueniente, diuiditur. Est uero tractu planior nec usquam præter maritima loca inæqualis, longitudini eius latitudine non cedente. Continet in se ecclesiam, siue martyrium, Sancti Acacii, thermas Constantinianas, domum Augustæ Placiæ, domum Augustæ Eudociæ<sup>547</sup>, domum nobilissimæ Arcadiæ, Nymphæum Maius, uicos uiginti, domos sexcentas triginta sex, porticus maiores sex, balneas priuatas uiginti duas, pistrina publica duo, pistrina priuata sexdecim, gradus duodecim, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos nonaginta, uicomagistros quinque.

### *Regio undecima*

Regio undecima spatio diffusa liberiore nulla parte mari sociatur<sup>548</sup>. Est uero<sup>549</sup> eius extensio tam plana, quam etiam collibus inæqualis. Continet in se martyrium Apostolorum, palatium Flaccilianum, domum Augustæ Pulcheriæ, Bouem Æreum, cisternam Arcadiacam, cisternam Modestiacam, uicos octo, domos quingentas tres, porticus maiores quattuor, balneas priuatas quattuordecim, pistrinum publicum unum, pistrina priuata tria, gradus septem, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos triginta septem, uicomagistros quinque.

[236]

### *Regio duodecima*

REgio duodecima portam a ciuitate potentibus in longum plana omnis consistit, sed latere sinistro, mollioribus cliuis deducta maris confinio terminatur, quam mænium sublimior decorat ornatus. Continet in se portam Auream, porticus Troadenses<sup>550</sup>, forum Theodosiacum, columnam itidem intra se gradibus peruiam, monetam, portum Theodosiacum, uicos undecim, domos trecentas sexaginta tres, porticus maiores tres, balneas priuatas quinque, pistrina priuata quinque, gradus nouem, curatorem unum, uernaculum unum<sup>551</sup>, collegiatos decem et septem, uicomagistros quinque.

### *Regio decimatertia*

Tertiadecima regio Sycena est, quæ sinu maris angusto diuisa societatem Vrbis nauigiis frequentibus promeretur, tota lateri montis adfixa, præter unius plateæ tractum, quam subiacentium eidem monti litorum tantum præstat æqualitas. Continet in se ecclesiam, thermas Honorianas, forum Honorianum, theatrum, naualia, domos quadringentas triginta unam, porticum maiorem unam, balneas priuatas quinque, pistrinum publicum unum, pistrina priuata quattuor, gradus octo, curatorem unum, uernaculum unum, collegiatos triginta quattuor, uicomagistros quinque.

### *Regio decimaquarta*

---

546 uersa : *om. edd.*

547 Eudociæ : *Eudoxiæ edd.*

548 sociatur: sociata esse *edd.*

549 est uero : *uerum edd.*

550 Troadenses : *Troadeas edd.*

551 uernaculum unum : *om. edd.*

*REgio sane {quartadecima} licet in Vrbis quartadecima numeretur parte, tamen quia spatio interiecto diuisa est, muro proprio uallata, alterius [241] quodammodo [237] speciem ciuitatis ostendit. Est uero progressis a porta modicum situ planum<sup>552</sup>, dextro autem latere in cliuum surgente usque ad medium fere plateæ spatium nimis pronum<sup>553</sup>, unde mare usque mediocris hæc, quæ ciuitatis continet partem, explicatur æqualitas. Continet in se ecclesiam, palatium, nymphæum, thermas, theatrum, lusorium, pontem sublicium, siue ligneum, uicos undecim, domos centum sexaginta septem, porticus maiores duas, balneas priuatas quinque, pistrinum publicum unum, pistrinum<sup>554</sup> priuatum unum, gradus quinque, uernaculum unum, collegiatos triginta septem<sup>555</sup>.*

#### *Collectio Ciuitatis*

*COgnita Vrbe per partes, fas est etiam situm conclusæ<sup>556</sup> iam uniuersitatis aperire, ut magnificientiæ unicum decus non solum uideatur opere et manu confectum, sed etiam conspirantibus elementis naturæ felicitate munitum. Prouidentia ergo diuina tot futu-[242] rorum hominum domiciliis considente, longo tractu in promunturii qualitatem spatiösior terra, faucibus Pontici maris opposita, sinuosis portuosa lateribus, angustior latitudine circumflui maris tutela uallatur. Hoc quoque spatium, quod solum apertum maris circulus derelinquit, dupli muro acies turrium extensa custodit. Intra quas sæpta ciuitas continet in se omnia singillatim memorata, quæ nunc ad firmioris<sup>557</sup> memoriae qualitatem summatim collecta referemus.*

*Habet ergo Vrbs Constantinopolitana palatia quinque (4)<sup>558</sup>, ecclesias quattuordecim (12), domos diuinæ Augustarum sex (5), domos nobilissimas tres, thermas octo (9), basilicas duas, fora quattuor, senatus duos, horrea quinque (6), theatra duo (3), [238] lusoria duo, portus quattuor, circum unum, cisternas quattuor (3), nymphæa quattuor, uicos trecentos uiginti duos, domos quattuor milia trecentas octoginta octo, porticus quinquaginta duas, balneas priuatas centum quinquaginta tres, pistrina publica uiginti (21), pistrina priuata centum uiginti (113), gradus centum decem et septem, macellos quinque (4), curatores tredecim, uernaculos quattuordecim, collegiatos quingentos sexaginta (569), uicomagistros sexaginta quinque, columnam purpuream, columnas intra se peruias duas, Colossum unum, tetrapylum aureum unum, Augustæum, Capitolium, monetam, scalas maritimæ tres. Habet sane longitudo Vrbis a porta Aurea usque ad litus maris directa linea pedum quattuordecim milia septuaginta quinque, latitudo autem pedum sex milia centum quinquaginta.*

*Quod autem quattuordecim regiones non continerent, nisi quattuor milia<sup>559</sup> et trecentas octuaginta octo domos, intellegere oportet domos principum ciuium maiores, ut Sextum*

<sup>552</sup> planum : plana *edd.*

<sup>553</sup> pronum : prona *edd.*

<sup>554</sup> pistrinum : *om. edd.*

<sup>555</sup> uernaculum unum, collegiatos triginta septem : *om. edd.*

<sup>556</sup> conclusæ : occlusæ *edd.*

<sup>557</sup> firmioris : infirmioris *edd.*

<sup>558</sup> Les nombres entre parenthèses correspondent aux totaux calculés d'après le texte.

<sup>559</sup> milia : mille *edd.*

Rufum et P. Victorem tradentes quattuordecim regiones Romæ domos continere circiter mille et septingentas nonaginta<sup>560</sup>, interpretari necesse est illustres et capaces, cum utraque Roma Vetus et Noua maxima esset, et frequentissime habitaretur. Nam, ut præteream ueterem Romam, profecto Noua Roma Constantinopolitana adeo frequens erat eo tempore, quo hæc regionum Vrbis *Descriptio* conscripta est, *ut etiam [...] qui habitarent apud uias [...] latas et fora, anguste habitarent, adeoque connexa fuisse [...] ædificia, ut uix locum sub dio apertum inueniretur, ut cælum quis aspicere posset, suburbanaque ædificia latissime usque ad [239] Selymbriam et mare Ponticum continuarentur, marisque non exigua pars ambientis [...] Vrbem obrueretur defixis [...] sublicis ædificia sustinentibus.*

Hæc item<sup>561</sup> monumenta et longe plura olim fuerunt Constantinopoli, quæ nunc nulla exstant praeter columnam purpuream, et Arcadianam, et ædem Sophiæ, et Hippodromum spoliatum, et cisternas aliquot. Nam quæ fuerint Byzantii antiqui antequam euersum fuisse a Seuero monumenta, nemo scribit, quamvis plurima coniicere licet, florentis diu heroicis temporibus, cum ingenia omnium artium erant in pretio, cum Rhodus *tria milia signorum* habebat, non præstantior Byzantio. Ex cuius muris tanta arte constructis, quantopere interiora niterent existimare possumus. Hoc dumtaxat scimus, Darium, Philippum, Seuerum Byzantii monumenta uastasse, et Byzantios ipsos *cum omnia consumpsissent, tamen Seueri militibus restitisse [...], lignis, quæ ex ædificiis [...] detrahebant, et statuis [...] quas in hostes proiiciebant.*

Qui autem a Constantino reædificati Byzantii tot monumenta perdiderunt ? Partim autem attigi<sup>562</sup>, partim summatim perstringam. Primum imperatores dissentientes, deinde incendia creberrima non modo fortuita, sed etiam ab hostibus tam externis, quam dissidentibus uariarum factionum partibus iacta. Quorum nonnulla tres, alia quattuor dies exurere non cessarunt, non modo apta ad comburendum, sed etiam ex marmore statuas et signa, atque omnem structuram ex quauis materia constructam, uelut quidpiam accommodatum, ad exurendum, aceruos ruderum exaggerantia instar collum ex omni genere materiæ accumulatorum, priorem aspe-[240] ctum confudentia, ut ne illi quidem, qui ipsa construxissent, agnoscere possent, quid, uel ubi ea ipsa prius fuisse. Neque modo ab hostibus antiqua monumenta euersa sunt, sed etiam ab imperatoribus, etiam Constantinopoli amicissimis, inter quos primus Constantinus Magnus. Quem Eusebius scribit templa deorum diruisse, *uestibula [...] uastasse, tecta detraxisse, eorum statuas æreas sustulisse, quibus [...] tot seculis gloriabantur [...], easque in omnibus foris [...] Constantinopoleos proposuisse [...] non ad honorem, sed ad ludibrium, totamque [...] urbem sui nominis impleuisse æreis operibus summa et antiquissima arte elaboratis, ut eas spectatores ludibrio haberent ; aureas autem deorum statuas, argenteasque e medio sustulisse, reliquasque ex pretiosa materia factas spoliasse, statuas uero ex ære factas reliquise abiectas.* Deinde auget Eusebius, quam infestus Constantinus fuerit gentilium monumentis, ut ex toto imperio ea deleri curarit, ut lege edixerit *gentilium templa euertenda esse.* Quam ipse Eusebius iis infestus fuerit, quam etiam reliqui scriptores Christianæ religionis, percipitur ex eorum scriptis, nempe tam acerbos fuisse in deorum monumenta, quam Mameiani nunc sunt in nostrates statuas. Non modo mediocres, sed etiam illi coryphæi Basilius, Gregorius, qui non modo in monumenta lapidea deorum sœuierunt, sed etiam in eorum libros, qui de eis lasciue scripsissent. Quid alios commemorem imperatores, Constantini successores omnibus notos, qui adeo infensi imaginibus fuerunt etiam Christianæ religionis, ut non solum ipsas euerterint, sed etiam earum pictores,

560 nonaginta : quinquaginta quinque *edd.*

561 item : idem 1561 ; autem Banduri

562 attigi : Attici 1561.

scalptores, factores insectati sint, [241] ut ex earum insectatione, uelut Parthici ex Parthia deuicta, sic hi iconomachi nominati ? Sileo terræ motus non modo illos scriptis celebratos, quibus sub Zenone, Iustiniano, Leone Conone, Alexio Comneno Vrbis non modo præclara ædificia funditus euersa sunt, sed etiam tota fere Vrbs eiusque mœnia corruerunt<sup>563</sup>, ut ea in antiqua sede consistere uix perciperetur, nisi Bosporus et Propontis, antiqui Constantinopolis limites æterni, locum, in quo olim fuerint, circumscriptiissent. Prætero uastas Vrbis regiones post longa incendia et bella diu iacuisse desertas inopia ciuium, deinde promiscue ædificari cœptas nulla cura habita uicos dirigendi sed omisso discrimine, ædificasse in ruinis incendiorum et terræ motuum. Ea fuit causa, ut non modo, sicut de Roma incensa Liuius inquit, *ueteres cloacæ [...], sed etiam aquæductus et cisternæ per publicum ductæ, nunc priuata passim subeant tecta, formaque Vrbis sit occupatæ, magis quam diuisæ.* Prætero Regum Turcicorum claustra ingentia medium Vrbem occupantia, Regionumque purpuratorum sæpta integras Vrbis insulas cludentia et uias publicas occupantia, uel longe auertentia. Fundamentaque non modo supra terram exstantia, sed etiam substructiones subterraneas abditissimas sagacissime inuestigatas funditus demoliuuntur. Ac nisi uidissem per id tempus, quod ego egi Byzantii, permulta templa et palatia adeo penitus a fundamentis imis deleta et Turcicis structuris postea referta, ut recognoscere nequirem pristinum eorum situm, non tam facile coniecissem, quid demoliri potuissent ab Vrbe capta. [242] Quam quotidie etsi ædificiis publicis ornare student, tamen horridior est atque obscurior interdiu, quam olim noctu, in qua *pernoctantium luminum claritudo*, sicut Marcellinus ait, *dierum solita imitari fulgorem* ædificiorum splendorem illustrabat. Nunc diei fulgor casarum obscuritatem detegens reddit obscuriores, unde fit, ut si uel Constantinus qui illam restituit, ornauit, uel alii qui eam auxerunt, reuiuiscerent, antiquorum ædificiorum situm non agnoscerent.

Quid ? Ego externus, quem non antiquorum ædificiorum uestigia, non statuæ, non inscriptiones, non numismata, non habitatores studiosi antiquitatis me informarunt. Qui alienissimi sunt ab omni antiquitate, sed potius inquirentem impedierunt, ut nihil metiri, nihil percontari libere ausus sim, non modo a barbaris, sed ne a Græcis quidem. Quibus nihil a literis alienius, nihil nomini Latino infestius, quod ut caninum mordent dente canino, detestantur, exsecrantur. Neque esca<sup>564</sup> ulla eos mitigare queas, sed multo succo uuæ. Quos ut impleueris, nisi crebras in uitationes feceris, nisi Græco more exclamaueris te bibere, operam et uinum perdideris, neque tamen ab eis quidquam reportaueris, nisi leuia quædam, nisi morem bibendi, quem solum retinent ex moribus antiquorum Byzantiorum. Ad has incommoditates id accedit, quod ex antiquis scriptoribus Græcis non adiuuari potes ad Constantinopolis cognitionem. Non enim Dionysius Halicarnasseus, non Liuius, non Strabo, non Vitruvius, non Varro, non alii infiniti ad cognoscendam Nouam Romam sicut anti-[243] quam mihi auxiliati sunt. Non Blondus, non Fulgosius, non alii plerique mihi digitos ad fontes intenderunt. Non ignotus scriptor patriæ Constantinopolitanæ quidquam me docere potuit. Ille enim meras nugas habet, et dumtaxat docet quis ædes sacras ædificauit, sed in quo loco sitæ fuerint non docet. Qui si reuiuisceret, earum positiones ignoraret. Adeo omnia immutata sunt, ut non modo quæ supra memoriam uiuentium antiqua dicere possumus, sed etiam quæ sunt supra singulos cursus ætatis antiqua dici possunt. Sic enim quotidie uastantur, ut senex nesciat quæ puer uidit, neque modo ædificia antiqua deleta, sed etiam locorum nomina, quæ illa tenebant, amissa sunt aliaque barbara successerunt, et plane Scythica, inaudita. Sic enim hæc gens suam linguam amat, ut omnium locorum, quæ inuaserit, statim immutet nomina, aliaque imponat noua, incognita, non pristinorum nominum interpretationem habentia, sed quiduis

563 corruerunt : corruerint *edd.*

564 esca : offa *edd.*

aliud potius significantia. Nondum enim se rerum potiri putant, nisi nominum potiantur. Sic enim Græca et Latina suspecta habent, ut timeant uel a nominibus ipsis.

Quid igitur inuestigasti ? Exigua profecto uestigia cum ex hominum memoria tum ex scriptis auctorum quidem tempore recentium, sed usu antiquorum. Quidquid enim est supra memoriam nostram, dicere antiquum possumus in recognitione locorum. Ex illis paucis, *uelut [...] ex unguibus leonem*, deprehendi quattuordecim regiones, potius quam ex earum descriptionibus non propriis, sed communibus et ambiguis, aut [244] ex uestigiis ædificiorum, quæ illæ continebant. Et memoria paulo post exstingetur, si Turci ualebunt. Itaque fiet, ut ne me quidem multo diligentiores postea ulla uestigia reperiant regionum Vrbis eiusque monumentorum. Quibus si succurrere magis quam anteuertere conatus sum, et uindicare ab interitu proxime peritura, siquidem fortasse errauerim, excusandus sum, et mea mora Byzantina diuturnior, quam uoluisse, non accusanda, sed damnanda fortuna, in quam me coniecit Francisci regis mors. Cuius nutu in Græciam accesseram, non diu ut desiderem Byzantii, sed ut conquererem codices Græcorum antiquos, ut non unius Byzantii, sed multorum locorum situs describerem, ut iuuarem, si quid possem, literas. A quo conatu depulsus, ueritus sum redire priusquam quidpiam conatus essem, quamobrem uenisse. Itaque meo tenui uectigali Asiam Græciamque peragrare conatus sum, urbesque nobiles describere, quod addere uolui, ne quis putet redditum meum retardatum, uel ab aliqua myrrha Byzantia, uel ab Asiaticis delitiis. Quas omnes exopto his qui maluerint meam fortunam calumniare, quam probare studium ad quod non utilitas, non existimatio, cum domi meliora et illustriora præstare potuisse, in animi tranquillitate et salutari corporis ratione. Non Leonis Byzantii, non Pasiadis facetiæ me retinuerunt, sicut nec me retinuit pronuntiandi uehementia Byzantii Pythonis, quem *Demosthenes [...] etiam apud inferos horrere* dicitur. Non barbarorum uoces asperæ, truculentæ, quæ etiam non modo tardigradas [245] beluas concitare possent, sed etiam Byzantium ipsum Pythonem, ad relinquendam patriam me extrudere potuerunt. Ad redditum celerem nescio, siue fato, quod me in hos errores ærumnosos meliora sentientem rapuit, et scientem, et prudentem in omnia fere pericula coniecit, siue constantiæ causa ? Siue rei honestas ad ea me impulit confirmata Platonicorum iudicio, tradentium nullum esse modum uestigandi *ueri, nisi inueneris, et quærendi defatigationem turpem esse, cum id quod quæritur sit pulcherrimum.*

FINIS.